Bibl. N 130 in 4°

Peter Dahl
1820.

1743.

J. W. Fremling.
1795

C. G. von Sydow
Lund 1853.

Vincentij
CHARTARII
Rhegiensis
IMAGINES
DEORVM
Quiab Antiquis Colebantur.
Moguntiæ
Apud Ludouicum
Bourgeat.

Vincentii CHARTARII Rhegienſis

IMAGINES DEORUM,

Qui ab Antiquis colebantur, unâ cum earum declaratione &

HISTORIA

In qua Simulacra, Ritus, Cæremoniæ magnaque ex parte Veterum Religio explicatur,

OPUS

Non ſolum Antiquitatis Amatoribus, ſed & Liberalium Artium cultoribus, imò &

CONCIONATORIBUS

valde utile & proficuum,

Hinc inde à D. D. Paulo HACHENBERG, *quondam Sereniſſimi Electoris Palatini a Conſiliis Intimis illuſtratum, & LXXXVIII. figuris Æneis adornatum.*

FRANCOFURTI,
Sumptibus LUDOVICI BOURGEAT, Bibliopolæ.
Typis JOHANNIS MATTHIÆ STANNII.

Anno M. DC. LXXXVII.

Vincentii CARTARI Eugubini

IMAGINES

DEORUM.

Qui ab Antiquis colebantur, una cum earum

declaratione &

HISTORIA

Item Simulacra, Templa, Ceremonia magnaque ex parte RITVS

antiqui complectens,

OPUS

Non solum Antiquariis Amatoribus, Sed & Liberalium

Artium cultoribus, incundum &

CONCIONATORIBUS

valde utile & perfectum,

Ejusdem D. D. Paulo PANCIROLLO quondam Iurisconsulto Ill. Ducis

Federici a Consiliis domesticis, & CLARISSIMO Ipsius Ecclesiae

Advocato.

FRANCOFURTI,

Sumptibus LUDOVICI KOENIGII, Bibliopolæ.

Typis JOHANNIS MARTINI STAMMII.

Anno M. DC. LXXI.

Reverendissimo & Perillustri Domino,

DOMINO

CHRISTOPHORO RUDOLPHO BARONI á STADION

ECCLESIARUM METROPOLITANÆ Moguntiæ, Imperialis S. Bartholomæi Francofurti & Equestris S. Albani propè Moguntiam respectivè Decano & Præposito, nec non Collegiatæ Ecclesiæ B. M. V. ad gradus Moguntiæ Capitulari Canonico, Eminentissimi Archiepiscopi & Electoris Moguntini Consiliario intimo,

Domino Patrono meo perquam Gratioso &c.

VErus veri Numinis cultus, omnem Religionis aut civitatis beatitudinem absolvit, omnisque, quà patet, fœlicitatis basis ac cardo salutatur; non domi, non foris quicquam geritur prosperè, ubi

negligitur Deus ejusque cultus: Pietate collapsâ ruunt omnia; excusso ex animis hominum Dei metu, immanitate & scelere compleantur omnia ac pessum eant necesse est. Nec enim pœnæ utut capitales & atroces satis sint, tantum metus, quantum ipsa Religio subditis incutere possunt: non utut è longinquo nimis rem arcessam: ipsa Germania, Patria dulcissima, ejus quod dixi, testimonium perhibet luculentissimum. Quotusquisque enim est quem vetus, eaque miserrima Patriæ nostræ, dum adhuc veritatis divinæ exul, facies lateat? Mare horridum, informes Terræ, cœlum asperius, tristis cultu, affectuque ubilibet imago, terram imitabantur incolæ, Deucalioneï, saxisq; ipsis intractabiliores Homunciones, naturâ agrestes, mole quadrati, animo rudes, ad arma non ad artes politosve mores apti: & ut paucis dicam, cœlum solumque suum ubique referentes. Sed quantum nunc mutati ab illis? ab eo enim statim tempore, ex quo Christiani facti sunt, novam prorsus faciem, novam fœcunditatem, novam gratiam Patriis accessisse terris earumq; incolis novimus, tanta nimirum ornamenta secum traxit Religionis sanctitas, ut hodie gens nostra, cæteras ferè omnes, sive urbium magnitudine, sive militari laude, sive denique ingeniorum atque literarum cultura, inprimis verò pietate verique Dei cultu, si non superet, exæquet certè ac paria iis faciat; ut quod olim de Roma-

nis Romanus Vates, de nobis potius Germanis hodie pronunciandum:

Venimus ad ſummum Fortunæ: pingimus atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Quare dùm demum & ingens pulchritudo & ſumma divinæ lucis adparet utilitas, cùm intempeſtivæ noctis tenebras contra ponimus, ita quoque divinæ Religionis, quâ hodie corruſcat Germania, magis eluceſcit ſplendor & felicitas; ſi priſcas ejus idololatriæ adhuc ſubmerſæ tenebras plusquam Cimerias paulò penitius intuebimur, in celeberrimi Vincentii Chartarii curioſiſſimis laboribus, intuebimur inquam & ab alterâ parte numeroſiſſima divinæ noſtræ Religionis Numina, quorum Reverendiſſimus Perillustris ac perquam Gratioſus Dominus meus compendium exhibet abſolutiſſimũ. Hinc eſt quod hos fructus laborũ, non fructũ labiorũ, in devoti animi Symbolũ, æternæq; obſervantiæ, ac devotiſſimæ ſubmiſſionis hoſtimentũ ad pedes Veſtros devolvo, Gratioſis Veſtris oculis non tam luſtrandos quam illuſtrandos, ſub ſplendidiſſimis Nominis Veſtri auſpiciis publicum habentes aſpectum, ad Reverendiſſimæ Perillustris ac perquam Gratioſæ Dominationis Veſtræ fores pulſare, minimè auſus fuiſſet calamus meus, niſi & Diis lacte ſupplicare & mola ſalſa litare, liceret iis, qui thura non habent: Unde non tam animatus quam penè coactus in gratiarum Veſtrarum ſa-

crario

crario ſublimibus Nobilitatis, Pietatis, Sapientiæque Veſtræ Tholis affigo munuſculum hoc leviden ſe, ut redderem non quæ debeo, ſed quæ poſſum officia: Hæque Literæ cum ſub Veſtri Perilluſtris Nominis Patrocinio apparere voluerint univerſo Orbi literato; Sanctè conteſtor nullam ex iis, ne minimam quidem, eſſe, quæ in gratioſis Gloriæ Veſtræ radiis non glorietur, devotè exclamando: Eccleſiæ ac Patriæ bono æternum vive Reverendiſſime Perilluſtris ac perquam Gratioſe Domine; in æternum vive, vel ſi hoc mortalis non potes, ſaltem quatenus ferunt cum merita tua, tùm vota noſtra: at hoc ipſum æternum eſſet; Vive ergo quod Homini licet, præſtitutumque à Natura humanæ vitæ ſpatium, totum ad unguem exhauri, tumque temporariæ fœlicitatem, æternæ beatitudine permuta. Quod vovet

Reverendiſſimæ, Perilluſtris ac perquam Gratioſæ Dominationis Veſtræ

Dedicatiſſimus Servus

Ludovicus Bourgeat, Bibliopola & Civis Moguntinenſis.

DEO-

DEORUM, QUI AB ANTIQUIS COLEBANTUR, IMAGINES, UNA CUM EARUM DECLARATIONE,

Et Hiſtoria.

EORUM quæ humanam naturam exornant, nihil equidem præſtantius, neque magis homini proprium eſt, religione: quare nulla umquam natio fuit, quæ aliqua ratione ejus non eſſet particeps. Quamviſque feratur, ratione potiſſimum homo à cæteris animantibus differre: non obſcuris tamen argumentis, etiam ante rationis uſum, in eo religionem deprehendamus licet, utpote quæ natura ipſa humano in animo ab ipſius ortu ſit inſita: cujus quidem ſententiæ Jamblichus Platonicus eſt, qui arbitretur, quoddam veluti lumen, à Deo emanans, noſtros animos ferire, quo mirabiles in nobis, iique naturales excitantur ardores ipſius boni, de quo poſtea, ubi rationis functionem exercere cœpimus, ratiocinamur, atque judicamus. Id Promethei fabula nobis innui, nonnulli voluerunt, ut ignis ſcilicet ille cæleſtis, quo vitam primi hominis pectori indidiſſe fingitur, vim quamdam ſignificet, quæ occultis rationibus aſſidue hominum animos ad ſe attrahat; qui unde profluxerint, & à quo primam originem duxerint, ſentientes, naturali impetu eò ſeſe convertunt. Hincque etiam proficiſci dicunt, ut, cum ſe nobis ſpecies ingentis alicujus boni malive obiicit, primo aſpectu, antequam de eo aliud cogitemus, oculos ad cœlum ſuſtollamus, interdumque manus quoque con-

Religio præcipua hominis virtus.

conjunctas in altum levemus; perinde atque natura magistra edocti putemus, cœlitus omne ad nos bonum derivare, illique collatum beneficium acceptum referendum, qui tribuit, & ab eodem præsentem cunctis in adversis opem expectandam; ex quo fiat, ut supplici eam gestu ab illo implorem. Hæc quidem omnia maxima fuerint religionis argumenta, quæ nos ad Deum amandum pariter, ac reverendum impellant: id verò, si nulla in nobis ejus notio præcesserit, fieri nequaquam potest. Quare vel ante rationis usum homo Deum quodammodo novit, cultuque prosequitur; quod eum à belluis separat; in quibus nonnulli aliquam quidem rationis particulam inesse voluerunt: sed, qui religionis eas aliquo pacto participes faciat, arbitror neminem. Quamobrem hæc tota hominis unius est propria; qua duce homines ad cœlum oculos sustulerunt; &, universitatis hujus admirabilem structuram considerantes, asseruerunt, aliquem esse, qui infinito amore, potentia atque providentia cuncta regeret, administraret, omnibusque jugiter provideret. Hunc verò Deum vocarunt; qui omnium bonorum est auctor, æternus, infinitus, & sub aspectum nequaquam cadens. Sed tamen non omnes veritatem hanc, natura haustam æque prosequuntur. Nanque, cum homines suæ nequitiæ indulgere, & de ea sibi nimis placere cœpissent, non ultra cogitatione sunt progressi, quam quo oculis pertingerent: hincque factum est, ut crederent, stellas, Solem, Lunam, cœlumque ipsum, Deos esse; quæ, ut Plato testatur, primum cum à Græcis, tum multo antea à plerisque barbaris Dii sunt habiti: idemque vult, à perenni quodam motu, qui in eis cernebatur, Græca voce θεοὺς, id est Deos, à θεῖν, quod est currere, fuisse appellatos. Hic postea error in tantum crevit, ut multi mortalium stulta vulgi opinione sint in Deos relati: &, quod magis mirum videatur, quædam bestiæ apud aliquos ut numina sunt habitæ: quibus omnibus varia simulacra dedicari solebant; idque non solum virtutibus, sed vitiis quoque contigit; cum singula Dei cognomentum sortita fuissent: illæ quidem, ut præsentes prodessent: hæc vero, ut absentia ne obessent. Hinc factum est, ut innumera fere Deorum multitudo apud antiquos celebraretur: non enim solum quælibet sibi natio proprios ac peculiares Deos adsciscebat; sed & uniquæque civitas, locus, domus, demum unusquisque sibi Deum pro animi libidine fingebat: neque ulla prope modum humana actio erat, à qua non aliquod numen suum nomen traheret. Hic autem maximus Deorum numerus non solum apud antiquos à vulgo colebatur, sed ab iis quoque, qui sapientia cæteris antecellere putabantur: hi enim, posito quodam primo, summoque bono, quod omnium causam esse dicebant, innumeram quinetiam aliorum seriem subjungebant, quam etiam numinum loco habebant: quosdamque ex eis Deos, alios Dæmones, nonnullos Heroes appellabant; omnibusque sua propria munera,

Deorum multitudo unde.

nera, ac loca distincta assignabant, sicuti etiam alius alis sacrificandi ritus erat. Herodotus scriptis testatum reliquit, initio duodecim tantum apud Ægyptios Deos exstitisse, quos Pythagorici videntur esse imitati: nam dicunt, Græcos & divini cultus rationem, & alias scientias ab Ægyptiis esse mutuatos, apud quos duodecim illæ celeberrimæ Mercurij columnæ visebantur, recondita quadam doctrina, rerum præcipue cælestium refertissimæ, quæ variorum animalium, plantarum, & aliis id genus figuris, quibus literarum vice Ægyptii utebantur, exsculptæ legebantur: has literas, ab eis hieroglyphicas nuncupatas, sacerdotes, qui apud eos non poterant non esse doctissimi, explicabant: idque non omnibus passim, sed dignissimis quibusque, qualis erat Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, qui hanc ob causam peregrinationem in Ægyptum susceperunt. Itaque ad rem revertamur, Pythagorici affirmabant, sicut in primo cœlorum orbe duodecim animalium figuræ sunt collocatæ, quæ duodecim signiferi signa dicuntur, totidem quoque animos, singulis singulos inditos, vitam eis, motum, efficacitatemq; sufficere: qui quidem sunt illi majorum gentium Dij, Jupiter scilicet, Juno, Neptunus, Vesta, Phœbus, Venus, Mars, Pallas, Mercurius, Diana, Vulcanus & Ceres: ab hisque res quoque inferiores administrari volebant. Iidem Dii apud Romanos in senos masculos, totidemque fœminas distributi fuere, quos & Consentos dixerunt, eo quod cœlestis senatus consiliarios esse, & nihil sine eorum arbitrio statui censerent: nam & apud Homerum est legere, Jovem, cum aliquid magni momenti incidisset, advocato Deorum consilio, de eorum sententia, quid faciendum esset, deliberasse; quamvis solus per se interdum statueret, ut & Poetæ fabulantur, & Seneca, cum de fulmine disserit, affirmat, esse scilicet quoddam fulminis genus, quod Jupiter solus pro sua libidine, nullo in consilium Deo adhibito, jaculetur. Non simul autem omnes ii habitabant, quos antiquitas sibi Deos finxit, sed variis inter se erant locis disclusi, neque universi cœlum incolebant, sed terra, fluvii, mare quoque maximum eorum numerum continebat. Item nec omnes immortalitate fruebantur: Semidei enim tandem aliquando fatis concedebant; cujus rei, ut inquit Pausanias, Silenorum sepulcra, quæ Pergami in Asia exstant, amplissimam fidem faciunt. Nymphæ etiam moriebantur. Itaque omnium generum *Dii* apud antiquos colebantur, ut ex *D.* Augustini libro de civitate *Dei* discere facile possumus, ubi hoc ex Varronis authoritate comprobat. Sed tamen apud illos, veritatis cognitione destitutos, fuerunt nonnulli, qui recte de *Deo* sentirent, ut scilicet, eum esse unum, æternum, aspectum refugientem; quare nullis posse lineamentis describi: nam effigiem *Dei*, formamque quærere, imbecillitatis humanæ Plinius, libro secundo, arbitratur. Quamobrem Antisthenes, Cynicæ sectæ princeps, dicere solebat, ita referente Theodoreto Cyrensi Antistite, Deum nequaquam oculis cerni posse.

Præcipui Dii duodecim.

Dii Consenti.

Deus figura caret.

Deus figura describi nequit.

nulli enim aſpectabili eſſe ſimilem, ac proinde longe errare eos, qui putent ſe in num nis cogn tionem per effigiem aliquam pervenire poſſe. Sed & Xenophon, Socratis diſcipulus, ſcriptum reliquit, licet Dei magnitudo, atque potentia vel inde deprehendi maxime poſſit, quod immobilis permanens, motum cunctis tribuat; tamen cujus ſit aſpectus, à mortalibus perveſtigari non poſſe. In hanc ſententiam Xenophanes, hominum ſtultitiam deridens, qui ſtatuas, à Phidia, Polycleto, aliiſque ſtatuariis fabrefactas venerarentur, inquiebat, equos, boves, elephantes, ſi manibus præditi, eis uti ſciviſſent, Deos fabricaturos fuiſſe, qui equorum, boum, atque elephantum formam referrent, ſicuti & homines ſui ſimilia numina effeciſſent. Idemque Cicero libro de natura Deorum ſub perſona Cottæ præclaris quibuſdam rationibus contra Epicureos demonſtrat. Iudæi, qui olim ſoli veræ religionis rationem tenebant, vnum tantum Deum coluerunt, eumque non in ſignis, aut tabulis oculis aſpectabant, ſed mentis contemplatione in divinitate ipſa (quatenus tamen homini fas eſt) intuebantur, &, ut Cornelius Tacitus de eis refert, maximæ impietatis eos arguebant, qui Deum ad humani corporis ſimilitudinem variis in materiis effingebant: quare in ſuum illud templum nullum umquam admiſerunt ſimulacrum. Itaque cum Herodes, eorum rex, aquilam auream ſupra fani portam ſtatuiſſet, quidam adoleſcentes, ubi eſt auditum, eum animam agere, conſpiratione facta, & tumultu in populo excitato, illam confractam dejecerunt, illud contra religionem, ac majorum inſtituta eſſe clamantes, & eam occaſionem ad numinis offenſi injurias vindicandas eſſe accipiendam. Sed id perquam male miſeris cecidit: Nam Herodes tantum adhuc ſupervixit, quoad eos comprehenſos flammis vivos exurendos tradidit. Suidas eſt auctor, cum pilatus in Iudæam vexilla quædam, in quibus Tiberij imperatoris effigies eſſet depicta, intuliſſet, uniuerſum populum miro quodam modo eſſe concitatum, eo quod avitam religionem violari cernerent, per quam nullam ipſis licebat intra ſui regni fines imaginem habere. Hujus ſententiæ nonnulli quoque alii fuere, in quibus eſt Hermes, dictus Triſmegiſtus, qui aſſerebat, eos videri non credere, Deos in cœlo eſſe, qui eorum ſtatuas ſibi ante oculos ſiſti volunt, aut certe ſua vota ac preces illuc uſque pervenire diffidere, atque ex hac perverſa animi inductione Deorum ſimulacra prodiiſſe, eaque numina cœpiſſe vocitari. Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator, legitur ſuis legibus prohibuiſſe, ne Dij homini, aut ulli beſtiarum ſimiles fierent: quare eorum ſtatuas è ſua Repub. eliminauit. Lactantius Firmianus ſcriptis teſtatum reliquit, Ægyptios diuino honore elementa proſequutos, nulla tamen eorum ſibi ad adorandum imagine propoſita. Et, ſi Plutarcho habenda eſt fides, Numa Pompilius, ſecundus Romanorum rex, aliquam Deo effigiem credere attribuendam, haud fas eſſe ducebat: quamobrem Romani centum ſeptuaginta annis omni Deorum imagine caruerunt; tamquam maximum eſſet piacu-

Apud Iudæos ſimulacra non erant.

lum,

lum, divina illa ac immortalia imbecillibus his atque humanis comparare. Apud Persas & Lybes primis temporibus nulla statua, neque templum, neque altare exstabat. De Scythis refert Herodotus, licet multos Deorum loco habuerint, ut Vestam, Iovem, Apollinem, Martem, alioſque, quos nominibus suæ linguę congruentibus, appellabant? nulli tamen, præterquam Marti, (vt inferius suo loco dicetur) templum, statuam aut aram dedicasse, sed cunctis uno, eodemque ritu sacrificasse. Esse dones, Scytharum quoque populus, nullum aliud simulacrum, nisi hominis calvariam venerabantur: quod ita narrat Herodotus; ad eorum domum, quibus pater obiisset, propinqui omnes, atque amici confluebant, oves secum deferentes, quas iugulatas in frusta concidebant, idem de cadauere illo facientes: has carnes una permistas, atque celebri in convivio appositas, omnes absque ullo discrimine comedebant: caput autem, in hunc usum reservatum, carne detracta, intus & foris optime purgatum, ita ut cranium nitidum exstaret, atque auro tectum, Pro simulacro habebant: statisque, ac solemnibus sacrificiis prosequebantur. Addunt Pomponius Mela, & Solinus, illo pro Poculo eos esse usos, quod maximum, quem in mortuum conferre possent, honorem existimabant. Huic perquam simile est, quod Suidas de quibusdam Iudææ incolis narrat, qui asinino capiti aureo divinos honores deferebant, eique advenam aliquem tertio quoque anno, in minutas particulas concisum sacrificabant. Massilienses, qui Galliam Narbonensem habitant, in lucis, in quibus nulla erat Deorum effigies, sacra faciebant, interdumque arborum truncos venerabantur, tanquam, ibi aliquid divinitatis inesse credidissent, ut de eis Lucanus testatur. Primis à diluvio temporibus, sicut apud Plinium legitur, justi ac candidi illi homines sub quercubus degebant, easque pro numinibus, ac sacratis templis sibi ducebant: nam ex eis sibi glandes, quibus victitarent, suppeditabant, atque earum tegmine à pluviis, cæterisque temporum injuriis protegebantur. Pausanias in Achajæ descriptione refert, in quadam ejus regionis parte triginta quadratos lapides extitisse, in quorum singulis singulorum Deorum nomen, absque tamen ulla eorum effigie, esset inscriptum, qui maxima cum religione ab incolis custodirentur: antiquum enim Græcorum erat institutum, hujusmodi lapidibus parem cultum, atque Deorum simulacris impertire. Cornelius Tacitus est auctor, ubi de Germanorum moribus scribit, eos statuis, ac templis caruisse: arbitrari namque magnam factum iri numini injuriam ab eo, qui putaret, intra exiguum fani ambitum parietibus divinitatem posse coerceri, magnopereque augusta Deorum majestatem dedecere, si ad angustam corporis humani formam compelleretur. Eosdemque in Deorum numerum non retulisse nisi eos qui essent in prospectu, quorumque præsentem utilitatem experirentur; cujusmodi sunt Sol,

Calvaria simulacri loco habita.

Quercus pro numinibus habita.

Vulcanus, Luna: de cæteris nullam notitiam habuerunt, vt de eis narrat Cæsar, immò no de nomine quidem eorum est aliquid ad illos perlatum. Est apud Herodotum, Græcos initio cultu Deos affeciſſe, eiſque ſacrificaſſe, ſuis eos nominibus nondum appellantes, quoad, ea tandem ab Ægyptiis didicerunt. Vnde autem hujuſmodi Dij extiterint, & vtrum omnes ſimul, an verò ſigillatim ſinguli prodierint, itemque num ſemper, abſque vllo ortu uniuerſi fuerint, idem affirmat, ſua tempeſtate non fuiſſe compertum, præterquam Homerum, atque Heſiodum, qui ea tempora quadringenis circiter annis præceſſiſſent, primos in Græciam Deorum copioſam prolem, eorumque infinita propemodum cognomina introduxiſſe, eoſdemque ſingulis ſuum munus, ac formam attribuiſſe. Quare non injuria forſan aſſeverari poſſet, Græcos, ab his edoctos, Deos variis figuris exprimere cœpiſſe. Sed tamen ſatius fuerit, ut, cum eodem Herodoto ſentientes, id eos ab AEgyptiis mutuatos eſſe dicamus. Hi namque primi feruntur, qui templa Deis condiderunt, eiſque aras, ſtatuaſque dicarunt. Sicuti autem Græci ab AEgyptiis, ita Romani à Græcis ſacrorum ſimulacrorum vſum ſuſceperunt. Quod tunc primum accidit, cum Marcellus, captis Syracuſis, Romam triumphans intravit, ſecum, quidquid ibi præclarum inveniſſet, aſportans; cum, vt eiuſmodi ſpectaculo populum deliniret; tum vt eorum aſpectu ciuitatem obſtupefaceret, quæ nondum erat experta, quid tabularum, aut ſignorum pulcritudo voluptatis præberet. Quare id tum vitio eſt à multis Marcello datum; primum, quod ſuperbe nimis vel ipſos Deos in triumpho captiuos voluiſſe ducere videretur, eorum ſimulacra in pompa triumphali oſtentans: deinde, quod materiam Populo Rom. ſuppeditaſſet, qui antea laboribus tantum bellicis eſſet aſſuetus, otio ſe, ac inertiæ tradendi? vt qui poſtea tempus fruſtra conterere cœperit, vel in oculis pictura inani paſcendis, vel in ſtatuis elaboratis ſpectandis, artificum manus maxima cum animi admiratione ſuſpiciens. Hoc de Marcello Plutarchus refert, ſubjungitque, eum ſolitum gloriari, eo quod primus in vrbem ea invexiſſet, quæ maximam in ciuibus ſuis Græcarum rerum admirationem concitarent: anteque Plutarchum idem Liuius ſcriptum reliquerat, tum ſcilicet Romanos admiratione Græcarum artium capi cœpiſſe? ac proinde poſtea maxima cum licentia ſacrarum, profanarumque rerum ſpolia diripuiſſe. Tertullianus, cum diceret, Romæ religionis ritum à Numa non ſplendidis cæremoniis, & abſque ſimulacris inſtitutum, (nondum enim illuc Græci, aut Hetruſci confluxerant) viſus eſt innuiſſe, Tarquinium Priſcum, vt qui Græcus eſſet, & Hetruſcæ religionis apprimo peritus, primum Romanis ſtatuarum confectionem oſtendiſſe. Earum ergo uſus ab Ægyptiis, primis inventoribus, perque Græcos ad Romanos dimanavit. Vt verò in Ægypto cœperit, ita ſunt variæ de ea re ſententiæ, ut longe ſit difficilior, quam ut à nobis aliquid certi de illa ſtatuatur. Lu-

Deorum origo.

Marcellus ſtatuas à Græcis ad Romanos primus tranſtulit.

Statius ait, multos in eam discedere sententiam, ut arbitrentur, initio statuas Regibus iis, vel fortibus viris esse decretas, qui populos sibi subjectos sapienter, justeque rexissent, ut justorum Regum memoriam, singularemque benevolentiam, qua vivos prosequebantur, post mortem quoque summa cum pietate retinere se per eorum effigies præ se ferrent. Eusebius item scribit, apud antiquos fuisse in usu, ut præstantissimorum quorumque memoriam simulacris colerent, ita ostendentes, quanto amore cultuque eos afficerent, qui studiose vixissent. Apud Suidam legitur, quendam, Seruchum nomine, qui à Japhæto Noëmi filio erat oriundus, omnium primum simulacrorum cultum in orbem terrarum invexisse, quæ sibi ad fortium virorum memoriam conservandam confecerat, cæterisque Deorum loco, à quibus maxima beneficia in Mortales universos essent collata, proponebat. Non defuerunt etiam aliqui Reges, qui, dum adhuc viverent, sibi statuas efficiendas, publiceque adorandas curarunt, ut de Semiramide legitur, quæ si non prima, inter primos certè id fecisse, est fama. De hac narratur, suam effigiem in lapide, cujus longitudo XVII. stadiorum esset, exsculpi jussisse, centumque sacerdotes statuisse, qui solenni ritu atque pompa eam venerarentur, variisque sacrificiis ei litarent, ac si numen aliquod divinum esset. Eusebius auctor est, olim in Ægypto hominem fuisse ditissimum, qui, ut dolorem, quem ex unici filii morte susceperat, aliquantulum leniret, ejus statuam sibi domi posuit, quam eadem pietate intuebatur, qua filium, dum viveret: quare servi, cum domini animum aliquid offendissent, ex quo sibi magnopere timerent, ad statuam accurrebant, illi in genua accidebant, illi supplicabant, ab ea delicti veniam implorabant, quam à patre ob filii charitatem impetrabant. Hinc factum est, ut eam floribus coronarent, munusculisque aliis prosequerentur, cui sæpe salutem suam referrent acceptam. Ad hujus imitationem aliæ quoque statuæ fuerunt collocatæ; quibus, ut forsan majorem honestatis speciem res præ se ferret, diversorum sunt Deorum posita nomina. Ita etiam Deorum effigies ad humana ut plurimum corpora sunt effectæ, non ea de causa, quod universa antiquitas ita stupore esset oppressa, ut arbitraretur, Deos, hominum instar, capite, manibus, pedibusque constare: sed quia, ut auctor est Varro, cum animi nostri ad divinos proximè accedant, neutrique sint aspectabiles, est existimatum, hujus inter ambos similitudinis corpora fidem amplam facere posse. Porphyrius quoque, Eusebio referente, sensit, ideo ad hominum exemplar esse Deos effictos, ut disceremus, quemadmodum numen est ipsa mens, atque intelligentia, ita nos quoque ejus esse participes. Luctatius affirmat, Prometheum omnium primum hominis simulacrum è terra finxisse, eumque statuariæ artis inventorem exstitisse, indeque factum esse, ut quod à Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus esset, cœperit adscribi. Quare ut numen templis atque aris coli meruit,

Statua incredibilis magnitudinis.

Diis cur humana effigies sit tributa.

Prometheus numinis loco habitus.

ruit; &, quemadmodum Pausanias scribit, ei ara Athenis in Academia erat dicata, ad quam statis temporibus homines confluebant, ibique faces accendebant, quas gestantes, versus civitatem currebant, serie quadam se sequentes: horum qui accensam usque ad urbis ingressum conservassent, palmam ferebant; iis qui præcedebant, si forte eorum faces fuissent inter currendum extinctæ, locum cedentibus illis, qui proxime sequebantur. Id hoc etiam modo fieri solebat: erat una tantum fax communis omnibus, quam currentes sibi mutuo tradebant; iis qui pone, in eorum locum, qui erant ante, per successionem quandam subeuntibus. Sed hic ritus, sive ludos appellare placeat, non solum Prometheo sacer erat (quamquam ab eo institutus legitur) sed in Vulcani quoque ac Minervæ cultum celebrabatur; neque semper pedibus, sed interdum & equis currebant. Quare Adimantus apud Platonem, cum Socratem hortaretur, ne societatem quamdam desereret, dicit, vesperi eam ludis equestribus interesse, mutuo sibi facem in Deæ, hoc est, Minervæ, honorem tradentibus. Herodotus, cum Persicum morem narrat, quo celerrimè nuntios mittebant (sicuti etiam apud nos est in usu, cum aliquid per dispositos, citatosque equos mittimus: semper enim post aliquod decursum spatium in stathmis, alii sunt in procinctu, qui alios currentes & ipsi continuando cursu excipiant) dicit eos Græcorum consuetudinem imitari, cum currentes, facem quam Vulcano accensam gestant, per seriem sibi mutuo præbent. De his ludis quidam memoriæ prodiderunt, eos Promethei factum referre, cum ignem è cœlo sublatum in terras detulit; atque ideo ita ab eo institutos. Alii id ad humanæ vitæ cursum referunt, in quo qui ætate anteeunt, vitæ lumine iis cedunt, qui pone sequuntur, ut est Platonis sententia, qui libro de legibus homines jussit inter se prolis gratia inire conjugia, ut vitam, quam à parentibus sunt mutuati, veluti ardentem facem, ipsi quoque apud filios ponant. Lucretius etiam de mortalium inter se successione loquens, sic inquit;

Libr. 2.

„ *Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.*

Apud Phocenses ædicula quædam, Prometheo dicata exstabat, in qua statua etiam erat, quam nonnulli Æsculapij esse volebant. Sed quoniam è regione aliquot magni lapides visebantur, qui colore fabulum, odore humana corpora referebant, vulgo fere credebatur, esse Promethei, eosque lapides illius esse materiæ, ex qua ab eo primus homo esset effictus, unde postea uniuersum genus humanum profluxerit. *Prometheum* vero primum hominem condidisse, est rationi apprime consentaneum, si pro eo divinam Providentiam intelligamus, quemadmodum Plato intellexit, ex qua non homo tantum, sed res uniuersæ initio promanarunt. *Quare olim ea numinis loco habebatur, qua instar optimæ matrisfamilias hanc rerum universitatem admi-*

Providentiæ imago.

administraret: ejus imago, gravem matronam, natu grandiorem referebat. Quantum autem voluptatis veteres ex statuis perciperent, ex maxima, quæ apud eos exstabat, copia, conjiciamus licet. scribit enim Plinius, apud Rhodios amplius tria millia fuisse, neque pauciores apud Athenienses, Delphios, aliasque Græciæ civitates esse inventas, in quo Romani a Græcis se superari non sunt passi; cum tot simulacris abundarent, vt vulgo iactaretur, Romæ lapideum alterum esse populum. Harum etiam tanta olim erat in multis aviditas, ut certatim quisque undique pulcherrima quæque signa & tabulas præstantissimorum artificum conquireret, quibus non solum vrbanas, sed & rusticas domos adornarent: quod quidem ad luxuriam spectare est existimatum, a veterique Romanorum frugalitate, ac severitate quamplurimum abhorrere. Quamobrem M. Agrippa elegantissimam habuit orationem, qua suadebat, ut priuatarum ædium tabulæ ac signa in commune conferrentur: quod longe satius ex Plinij sententia fuisset, quam ea rus relegare. Est auctor Varro, multos ad Luculli prædia se contulisse, hac tantum de causa, ut pulcherrima signa, ac tabulas, quæ ibi erant, viderent. His olim loculi quidam perquam apti exstruebantur? quos Vitruuius vult esse magnos, ac latos: solebant quin etiam ita statuas fabricari, ut cùm libitum esset, caput adimere, aliudque supponere possent. Quare Suetonius, cum de intolerabili Caligulæ fastu loqueretur, inquit, eum cum longe cæteris principibus, atque regibus antecellere sibi videretur, divinos quoque honores usurpare cœpisse, imperasseque ut Deorum simulacris, quæ & religione, & arte essent veneranda, cujusmodi erant Iouis Olympij, aliorumque nonnulla, capitibus ademptis, suum imponerent. Lampridius, Commodum imperatorem Neronis colosso caput abstulisse, suumque aptasse refert. Statuæ præterea publice propositæ, cujuscumque tandem essent, sacræ omnibus erant, nec ulli fas erat, eas loco movere, nec aliquo pacto labefactare, ut Cicero contra Verrem habet in quam sententiam Rhodiorum adducit exemplum, qui quamvis bellum contra Mithridatem suscepissent, eumque acerbo odio prosequerentur; non tamen ejus statuam, nobilissimo in civitatis loco sitam, loco movere, aut vel tangere sunt ausi. Principium autem statuæ hoc amplius habebant, ut si quis ad eas confugisset, tutus esset ab injuriis, nec vi inde abstrahi posset: hoc tamen M. Antonii filio minimè profuit; Augustus enim, ut apud Suetonium exstat, eum, cùm ad Cæsaris statuam se contulisset, inde ad necem abripi jussit. Hæ ab artificibus interdum nudæ, sæpius vestibus indutæ exsculpebantur; nonnumquam eas totas auro illinebant. Qui vero primus in Italia auratum simulacrum faciendum curavit, Plinius refert, Acilium Glabrionem extitisse, quod patri Glabrioni posuit. Alexander Aphrodyseus arbitratur, Deorum, atque regum regum olim effigies nudas esse propositas, ut id esset argumento, eorum vim omnibus

esse nudã, & apertam, principesque sincero animo, vitiis minime inquinato, aut fraude fucato esse debere. Plinius narrat, id apud Græcos in more fuisse positum ut statuas nudas architectarentur: nam Romani thoraces eis saltem induere solebant; siquidem initio nemini statuam ponebant, qui p[ro]r insigne aliquod facinus non moruisset, ut sui memoria ad posteros magna cum laude transmitteretur: quod postea non perpetuo est observatum; multis enim alia de causa, quam ob propriam animi virtutem fuerunt statuæ decretæ. Quare Cato semper eas neglexit, cuidamque interroganti, cur inter tot ejus similium simulacra, ipsius viseretur, dixisse fertur (quemadmodum Marcellinus recitat) se malle, bonos viros dς se dubitare, cur statua careret, quam non audere causam afferre, cur haberet. Agesilaus etiam, ita Xenophonte referente, statuarum honorem repudiauit, ita dicens, illas quidem statuariis laudem conciliare, sibi vero præclara facinora gloriæ esse. Erat mos apud Romanos, ut publicis in pompis, Deorum simulacra, principum, illustriumque è foro sublata, ubi omnia erant collocata, fercu[l]isque imposita per urbem gestarent: Scipionis tamen statuam ex Capitolio auferebant, ut Appianus refert: nam vivus manifestis argumentis ostenderat, omne suum consilium à divina mente p[ro]ficisci? & tamquam Jupiter, quid faciendum fuisset, ei præscriberet, solus interdiu se in ejus templum, quod erat in Capitolio, abdebat: quare ei quoque statua ibidem est posita, neque umquam indidem est amota. Ex statuis atque imaginibus nobiles domus cognoscebantur: ideo C. Marius, quia ex ignobili stirpe erat, de se apud Sallustium dicit, se non posse fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum suorum ostentare? at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices adverso corpore. Sed ad Deorum simulacra revertamur, quæ aliter alii, prout suus erat cuique mos, architectabantur, in eo sæpe ostendentes ad quid potissimum proclives essent. Quamobrem *Suidas scribit, Phœnices suos Deos, crumenas gestantes effinxisse, hoc significantes, se existimare, ditissimum quemque esse etiam omnium præstantissimum.* Græci armatos effecerunt, credentes, armis præsertim imperia & parari, & retineri. Sæpe præterea in Deorum statuis indicabant, quod ab eis impetrare voluissent, aut jam impetrassent: nam ex voto interdum ponebant (quod & in cognominibus eis inditis fere semper observatum legimus) sed tamen præcipuæ, & maxime propriæ erant, quæ externa figura eorum naturam, atque effectus, qui ab ipsis proficisci putabantur, maxime exprimerent. Neque vero Deorum effigies ita semper proponebantur, ut passim ab omnibus earum significatio intelligeretur; cum ex eorum temporum religione, quamvis vana, atque falsa, sancitum esset, ut sacrarum rerum cognitio penes sacerdotes solos esset; cæteri fere, earum sibi perscrutatione negata, contenti essent credere, ita se habere, quemadmodum essent propositæ. Quare apud Livium, & alios quosdam legitur, quondam cum aliquot

Statuæ à quibus neglectæ.

Statuæ in pompis gestatæ.

Simulacra variè effingebantur.

Phœnices.

quot Numæ libri reperti essent, qui si in vulgum exiissent, magnopere eorum temporum religioni potuissent incommodare (forte enim ejus vanitatem ostendissent) ex Senatus consulto publice fuisse combustos; ne populus in religione perscrutanda esset curiosior, quam ut iis, quæ sibi à Pontifice Maximo, cæterisque sacrificulis, sacrarum rerum interpretationi præpositis, essent explicata, acquiesceret. Tarquinius autem Rex, ut Valerius Maximus refert, M. Tullium Duumuirum, quod librum, secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abiici jussit. Hinc aliquando fiet, ut imaginis alicujus, quam suis lineamentis expressero, ratio à me non possit afferri; cum Herodotus, Pausanias, Plutarchus, multique alii, à quibus exemplar sum mutuatus, asserant, aut non exstare, aut se religione impediri, quo minus eam evulgent. Sed id perquam raro usu veniet: nam quod unus ex toto dicere noluit, id sæpe per partes è multis colligitur; quod nos pro viribus facere studuimus. Ut igitur ad explicandum revertamur, cur Dii variis sint modis efficti, Eusebius, Porphyrii sententiam referens, veteres inquit, ut Deorum diversitatem manifestarent, alios masculos, alios fœminas effeciisse, aliquos etiam virgines, non nullos in matrimonio collocatos; eorumque statuas diversis vestimentis texisse. Scribit Aristoteles, antiquos existimasse, Deorum vitam esse humanæ similem; ac proinde nostram eis effigiem coaptasse: & sicut homines sub regibus viverent, ita quoque inter Deos unum regnare putasse. Luctatius, postquam longa oratione, multisque argumentis priscorum Deos homines fuisse, qui post mortem essent in divos relati probaverat, subjungit, eos ideo diversæ fuisse ætatis, alios nempe pueros, alios adolescentes, aliosque senes, aliis demum aliam eis propriam statuam positam, ut ætas, habitusque referretur in quibus morientes sunt reperti: Eodem contendunt multa quoque alia, quæ de Diis finguntur, ac de eis narrantur, perinde atque homines extitissent; & nos aliquid de hoc dicemus, cum peropportune ceciderit, in alicujus forma exprimenda: quam tractationem mox aggrediar, postquam de statuarum materia disseruero. Ac primum, ut Porphyrius, testante Eusebio, dixit, ex materia lucente, qualis est crystallus, candensve marmor, Deus apud veteres est effectus, ut id nobis esset argumento, Deum, ut qui purissima lux esset, sensum omnem oculorum fugere: eumdemque auro olim fabricabantur, ut eum æternum esse, ac ignem quemdam non aspectabilem inhabitare innuerent: non nullique ex atro lapillo Deum effingentes, eum ab oculorum acie penitus amotum significare volebant. Sed Porphyrius ad sua tempora videtur respexisse: Nam antiquiores ligneos Deos habebant, sicuti enim Theophrastus in libris de plantis scripsit, ex cedro, cupresso, buxo, interdumque ex oleagina radice Deos sibi construebant. Atque ideo ex cedro statuas confectas esse, Plinius affirmat, quod hujusmodi lignum diu-

Statuarum materia.

tissime incolume perseverat, idemque scribit, Apollinem Sosianum cedrinum esse Romæ in delubro, ex Seleucia adiectum. Plutarchus in hanc sententiam inquit, antiquissimum quidem morem simulacrorum efficiendorum exstitisse; atque apud veteres illos ea fuisse lignea: lapis namque eis durior videbatur, quam ut Diis effingendis esset idoneus: aurum atque argentum sterilis & infœcundæ terræ fœcem arbitrabantur, locus enim, ubi sunt auri vel argenti fodinæ, vix aliis rebus ferendis est aptus; eamque terram infirmam atque infelicem illi appellabant, quæ herbas, flores, fructusque non proferret: Nam nulla cupiditatis siti ardebant, eo contenti, quo se alere possent. Plato quin etiam ejus videtur esse opinionis, ut lignea essent simulacra Deorum; ita enim scribit, cum terra sit quædam veluti domus numinibus consecrata, ex ea nefas est, eorum effingi imagines, atque multo magis ex auro, aut argento, quæ sui possessoribus maximam conflant invidiam. Idem prope Luctatius sentit, cùm scribit; pretiosas Deorum statuas esse eorum avaritiæ argumentum, qui sub religionis prætextu, auro, ebore, gemmis, aliisque rebus pretiosis delectantur, cùm ex illis sacras sibi imagines architectentur, quos plurimi quidem faciunt, ea magis ratione, quòd tali materia constent, quam quod magna Deorum numina referant. Sed ad Platonem revertamur, qui post præcedentia ita inquit; Ebur antea vita præditum erat, qua postea cassum, non est dignum ex quo Deorum statuæ efficiantur, à quo etiam ferrum, aliaque dura metalla sunt removenda: his enim instrumentis in bello ad hominum perniciem utimur. Quare solum lignum secundum Platonem erat reliquum, è quo sacræ deorum effigies exculperentur. Cui Pausanias consentit, cùm scribit, primis illis temporibus apud Græcos ipsius quidem sententia lignea fuisse simulacra, illa præsertim, quæ Ægyptii confeciissent: nam adhuc Argis statua quædam Apollinis exstabat, ei à Danao dicata, qui temporibus antiquissimis fuerat: nec ullum reperiri posse simulacrum videbatur, quod quidem antiquitatem præ se ferret, nisi ex hebeno, cupresso, cedro, quercu, hedera, aut loto confectum: sed non nulla quoque oraculi jussu oleagina erant: ex quo concludamus licebit, Deos tunc maluisse è ligno, quàm ex alio quovis exculpi: nam apud Herodotum exstat, Epidaurios, cum Delphium Apollinem consuluissent, quomodo gravissimæ sterilitati, ex qua maxima rerum omnium penuria laborabant, mederi possent, hujusmodi tulisse responsum, ut duas scilicet statuas, unam Damiæ, alteram Auxesiæ (erant autem hi tutelares eorum Dii) non ex metallo, aut lapide, sed ex olea non silvestri ponerent. In primo Junonis templo, quod erat Argis, simulacrum ex trunco pyri erat dedicatum; Romæque, ubi Regina vocitabatur, duas ex cupresso effigies habebat, quæ, solemni pompa gestabantur in illis sacris, quæ tunc primum sunt instituta

tuta (ſicuti Livius refert, cum Annibal Italiam devaſtabat. Apud Plinium legitur, Populoniæ fuiſſe Jovis ſtatuam, admodum antiquam, ex vite confectam: neque id mirum videri debet, ſi verum eſt quod idem ſcribit, Junonis Metapontiæ templum columnis viteis fulcitum, adeo magnæ atque craſſæ illæ vites erant; &, quod magis ſit mirandum, ex vitice, ut Pauſanias refert, in quadam Laconiæ parte, ſtatua Æſculapii fuit efficta, unde is Agnites cognomentum reportavit, quod eſt, ex vitice confectus. Lignei quoque apud Romanos Dii erant, dum parſimoniæ ſtuderent. Quare Tibullus Deos penates alloquens, ſic lib. 1. elegia X. inquit.

Nec pudeat, priſco vos eſſe è ſtipite factos:
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus:
Et placatus erat, ſi quis libaverat unam,
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat,
Poſtque comes purum filia parva favum.

Propertius de ſua ſtatua ita loquentem Vertumnum introducit;

Stipis acervus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.

Refert Plinius; quamvis ſtatuarum uſus apud Italos antiquiſſimis temporibus fuiſſet receptus (quod ex Herculis ſimulacro, jam inde ab Evandro in foro Boario ei poſito probari poſſit; quod triumphalibus inſigniis, cum ab aliquo triumpharetur, exornare ſolebant) ſed tamen Diis nullas neque in templis, neque privatis in ædibus effigies præterquam ligneas, antequam Romani Aſiam ſubegiſſent, eſſe effectas: nam ex ea regione precioſæ ſtatuæ in Italiam emigrarunt. Græcia enim non contenta ligneis Diis, aureos quoque ſibi, ex aliiſque metallis comparavit: utque ſumptuoſius ac magnificentius quidpiam oſtentaret, quemadmodum Pauſanias teſtatur, ab extrema uſque India atque Æthiopia ebur ad ſtatuas architectandas aſportavit: ſed ex ferro raræ illæ quidem reperiebantur; attamen aliquæ exſtabant, qualis erat apud Phocenſes Herculis cum Hydra pugnantis effigies, atque Pergami duo capita, unum Leonis, alterum Apri, Baccho dicata, ad quæ maximi concurſus undique, tamquam ad quidpiam admirabile ſpectandum, fiebant. Corydon apud Virgilium Dianæ pollicetur, ſe effecturum ut tota levi de marmore ſtet: Ubi Servius, apud veteres caput ſolum una cum pectore ſtatuis ex marmore fieri innuit. Erat id præterea in conſuetudine poſitum, ut viles, plebeioſque Deos, cujuſmodi erat Priapus, aliique id genus, qui rus colebant, ſub dioque habitabant, ex ligno, aut argilla, aut alia quapiam vili materia ferè fabricarentur; nobiliores ve-

rò, quales erant cœlestes Dii, ex digniori fabrefacerent. Neque omnes humanam semper formam referebant, sed sæpe ad diversorum animantium speciem fuerunt effecti, interdumque partim hominis, partim belluæ, similitudinem gerebant. Quare, sicuti Seneca scribit, ita D. Augustino referente si vivi illa fuissent forma præditi, quam eorum simulacra præ se ferebant non ut numina colerentur, sed veluti monstra ab omnibus fugerentur. Sed apud Ægyptios, si usquam, hujusmodi ita deformia ac monstruosa simulacra maxime visebantur, ut in plurimis imaginibus, à me describendis, cernere erit: quod quidem nunc aggrediar, initio ab Æternitate sumpto.

DE ÆTERNITATIS IMAGINIBUS.

QUAMQUAM non omnes apud veteres Dii æterni, immortalesque habebantur; digniores certe sempiterno ævo frui putabantur: Quare ea fuit illorum temporum opinio, ut eos semper Æternitas comitaretur: Licet Ioannes Boccatius in libro de genealogia Deorum, eam Demogorgoni soli comitem traditam asserat, quem si vult ille, omnium Deorum primum, in media terra degentem, pallidum, crassissima nebula circumdatum, situ obductum. Sed tamen apud veteres mirum de suo silentium, forte eum Demiurgum appellemus. Quare libere pronuntiarim, Æternitatem semper versari creditam cum iis numinibus, quæ immortalia putabantur. Hanc qualisqualis esset, vel nomen ipsum optime declarat, quod omnes ætates, atque sæcula in se continens significare videtur, ita ut sub nullius temporis mensuram cadat, licet quodam possit modo dici, sed non ita proprie, eam tempus esse, quod omni fine careat. Quamobrem Hermes Trismegistus, Pythagorici, atque Plato, tempus Æternitatis imaginem esse voluerunt: hoc enim in se ipsum in orbem torquetur, ejusque nullus umquam finis exstat. At hæc Perpetuitas potius est dicenda: nam quamvis ea nullo fine terminetur, non totam tamen simul infinitam illam vitam perfecte possidet, qualem Æternitas: Boetius enim inquit, non rectè quosdam facere, qui cum audiunt Platoni visum, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant: namque si propriis uti velint vocabulis hac Platonis sententia admissa, Deum solum, æternum, mundum vero perpetuum appellare possunt. Æternitatem autem idem Boetius describit, esse vitæ immobilis præsentaneum statum; qui quidem Dei unius est proprius, cui neque futuri quidquam abest, neq; præteriti fluit, quemadmodum cunctis rebus conditis usu venit; licet earum quædam numquam sint finem habituræ. Sed nos sinamus nunc ita minute rem scrutari, quemadmodum & veteres fortasse fecerunt, cum suos Deos æternos esse dicerent, quo immortales illos interminatosque, Æternitatemque idem esse atque temporis illam infinitatem

Δημιουργὸς in cujus opificia publicè prostant.

Perpetuitas.

Æternitatis definitio.

tatem, intelligi voluerunt. Quare Claudianus, qui eam in Panegyri, in laudes Stiliconis describit, serpentem inducit, qui antrum, ubi illa degit, complectatur, caudamque mordicus teneat: quod quidem temporis est symbolum, ab Ægyptiis mutuatum, cum annum volunt innuere qui semper in seipsum recurrit, ita ut præteriti finis sit futuri initium. Æternitatis autem imago ita in quodam Faustinæ nummo adumbratur. Matrona quædam stat, pilam dextera manu tenens, amiculo perquam lato capite, humerorum tenus amicta. Sed satius fuerit, ad ejus imaginis descriptionem Claudiani carmina adscribere, quæ sic habent. *Anni imago.*

Est ignota procul, nostraque impervia menti;
Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,
Immensi spelunca avi, quæ tempora vasto
Suppeditat, revocatque sinu: complectitur antrum
Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos vultu longæva decoro
Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris anima: mansura verendus
Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus, stabilesque moras, quibus omnia vivunt,
Ac pereunt, fixis cum legibus ille recenset,
Incertum quid Martis iter, certumque tonantis
Proficiat mundo; quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni, quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius erret.
Illius ut Phœbus ad limen constitit antri,
Occurrit Natura potens, seniorque superbis
Caniciem inclinat radiis: tunc sponte recluses
Laxavit postes adamas, penetrale profundum
Panditur, & sedes, avique arcana patescunt.
Hic habitant vario facies distincta metallo
Sæcula certa locis, illic glomerantur ahena:
Hic ferrata rigent, illic argentea candent
Eximia regione domus, contingere terris
Difficilis, stabat rutili grex aureus anni.

Hanc eruditam Æternitatis descriptionem ita Buccatius explicat; ut Poëta ostendat, Æternitatem infinito intervallo universa tempora excedere, dicit ejus speluncam (quod idem est, ac fœcundissimum ipsius sinum, omnia suo ambitu in se coercentem) omnibus incognitam, imperviam, atque à mortalium conspectu remotissimam, immo & vix Diis adeundam, qui sunt illi

Illi cælestes animi, ab omni materiæ contagio sejuncti: eandem dicit, tempora suppeditantem, atque rursus in se revocantem? cum illa inde profecta ac perenni quodam orbe circumducta, eodem revolvantur, ut iterum indidem fluant: idque tacite ac latenter fit, eo quod nobis ne cogitantibus quidem sensim ætas labitur. Naturam assidue plurimæ circumuolant animæ; quoniam ea cunctis animantibus vitam subministrat, hæ corporeis postea vinculis solutæ, in Æternitatis se gremium abdunt: quod naturæ opera sit, quæ vitam universis elargitur, eandemque certis spatiis circumscriptam aufert? ideoque ante fores AEternitatis statuitur. Senex, qui in antro numeros dividit astris, non absurde prò Deo ponitur, non quod sit revera senex (nulla enim in res æternas ætatis differentia cadit) verum quia nos longævos senes nostra loquendi consuetudine dicere soleamus. Sed, mea quidem sententia, senex ille fatum nobis repræsentat, quod fasces Phœbo submittit, cum se ad antri ostium sistit, quem pro Deo intelligimus licet. De sæculis, quid significent, cum eorum explicatio omnibus sit perspecta, nihil Buccatius dicit? & nos dicere omittemus, ad Saturni imaginem transituri, quem pro tempore veteres posuerunt, de quo superius, cum de Æternitate loqueremur, dicere cœpimus. Hactenus vero sit de Æternitate dictum, quam meis his elucubrationibus in mentem numquam venit optare; cupio quidem certe, ut qui elargiri potest, is vitam aliquam aliquamdiu benigne sufficiat.

Authoris sententia & judicium

DE SATURNO.

Imago 1. a.

PRimus ab atherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis.
Composuit, legesque dedit, latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

Ita Virgilius de Saturno loquitur fabulam historiæ permiscens; nam, si rei veritatem indagare velimus, comperiemus, Saturnum a Jove filio, è Græcia, ubi regnabat, pulsum, in Italiam apuliſſe, sed Poetæ pro more suo fictionibus rem ipsam adumbrarunt. Sunt enim fabulati, Saturnum è cœlo in terras à filio deturbatum; Græcia enim cum ad orientem vergat, Italia est altior, quæ ad occidentem est sita. Illuc ergo Saturnus casu delatus, ad Janum se contulit, qui id temporis ibi regnabat; ubi postea Roma est condita, vitamque more prisco rudem una cum suo populo degebat, eum & benignissimè hospitio excepit, & in regni quoque partem adscivit, cum & agrorum colendorum rationem, & modum cereæ pecuniæ cudendæ ostendisset, nam antea in corio excudebant: Quare in altera numi parte navis,

navis, qua Saturnus in Italiam applicavit, in altera Jani bicipitis imago est expressa : Hujusmodi enim Jano figura ut & inferius videbimus attribuitur, itaque ob facinora egregia ita Saturnus eorum populorum animos sibi conciliavit, ut divinos sibi honores, una cum Jano ab eis mereretur : Illa enim tempestate ii in divos referebantur, qui aliquam artem humanis usibus accommodatam à se inventam homines docuissent. Inter quas nihil sane utilius excogitari potest terræ excolendæ ac fœcundandæ ratione, quam Saturnus rudibus illis hominibus monstravit, ex hocque Stercutii cognomentum à stercorandis agris reportavit, ideoque ex non nullorum sententia falcem gestat, propter agriculturæ scilicet rationem, cujus ipse repertor apud Italos fuit ; Falce autem ad fruges demetendas uti solemus ? Saturno etiam tempus innui, veteres voluerunt ; ad quam rem multas rationes illi attulerunt, quas, cum suscepto argumento non multum inserviant, omittimus. Eundem Græci χρονον vocaverunt, qui est idem ac spatium temporis : id effigie repræsentabant, quam veluti hominis senis, pannosi, capite aperto, altera manu falcem, altera vero nescio quid panno involutum gestantis quod in fauces conjicere videretur, quatuorque infantes prope hàbentis effingebant : quæ ita ferè exponuntur : Saturnus senex, pannosusque describitur ; Tempus enim aut semper exstitit, aut cum mundo cæpit, quod est statim atque ex chao quatuor elementorum distinctio prodiit, exindeque rerum omnium procreatio principium sumpsit, cum tunc primum cœlum in orbem supra terram torqueri incœperit ; ad cujus morum homines tempus metiri quoque cœperunt : ex hocque locus est fabulæ datus, quæ Saturnus Urani filium, quod est cœli, facit. Romani autem cum huic Deo templum construxissent, ejus in fastigio tritonem cum buccina sculpsere, volentes per hoc intelligi (ut Macrobio videtur) ab ejus commemoratione in nostrum usque ævum historiam claram esse, atque vocalem, quæ ante eum muta obscura atque incognita esset. Erat autem idem vestibus ita vilibus amictus, ut intelligeremus initio statim ab orbe condito homines in cultu corporis simplicitatem adamasse ; nec ullas mundicias quæsivisse quod se tectos esse contenti essent. Atque nonsolum levidensæ ejus erant vestes, verum & contritæ atque laceræ, cum hujusmodi magis ad senectutem innuendam facerent. Capite quin etiam erat aperto ; ea enim tempestate, cum is rerum potiebatur, qua & seculum aureum vigere est dictum, veritas omnibus erat nuda atque aperta, nullis fucorum, aut mendaciorum involucris, quod postea contigit contecta. Hac quoque ratione eidem detorto capite olim res sacra fiebat, cum aliis Diis sacrificantes caput obtegerent. Falx in manibus est argumento, tempus omnia metere, atque incidere. Id vero quod ori tanquam voratus, admovet, significat omnia tempore orta, tempore quoque tandem absumi,

Saturnus pro tempore capitur.

Saturni ima.

Expositio Saturni Imaginis.

Imago 2. a.

Historia quando inceperit.

Tabula de Saturno.

cujus rei gratia à Poetis conficta est fabula: Saturnus cum sibi fato quodam portendi didicisset, fore ut à quodam è filiis regno esset depellendus: uxori opi quæ & Rhea dicebatur præcepit, ut quidquid peperisset, statim ostenderet: Nàm nullum masculum sustolli volebat, quin potius eos omnes devorare statuerat. Primo partu Rhea Jovem atque Junonem in lucem edidit: quod Saturnus cum esset subodoratus, vociferans, cum sibi afferri

Lapis à Saturno devoratus.

jussit; ops vero ut maritum arte deluderet, lapidem panno involutum tradit, hunc esse filium, quem ad necem quæreret, asserens. Is, cum non curiose antea id quale esset, explorasset, statim in avidas fauces conjicit, quod mox vomuit, sicuti etiam filios devoratos omnes è vestigio evomebat; Quare scribit Pausanias in Apollinis Delphii templo lapidem non admodum grandem exstare, maxima religione custoditum quem loco Jovis a Saturno devoratum dictitarent; hunc ubi quotidie, sed festis præcipue diebus aliquid olei instillassent, lana illota circumtegebant. Romani autem eum esse crediderunt, qui pertinaciter, cæteris omnibus Diis abeuntibus, solus in Jovis capitolii templo persistere voluit, ideoque pro termino Deo postea est habitus. Eadem quoque fraude Neptunum mater servavit, cum diceret se pullum equinum peperisse; quem ut Arcades, ita Pausania referente, credebant, marito vorandum obtulit. Pluto quoque mortem effugit, cum uno partu una cum sorore Glauca editus esset, quæ sola patri est ostensa; nam cæteros omnes masculos, his tribus exceptis, ad unum devoravit, quos & mox evomuit. Martianus Capella cum Saturnum describeret, dicit, eum

Imago Saturni.

gressibus tardum, ac remoratorem incedere, glaucoque amictu tectum caput, prætendere dextra flammivomum quemdam draconem, caudæ suæ ultima devorantem (quem credebant anni numerum nomine perdocere) ipsius autem caniciem pruinosis nivibus candicare; licet etiam ille puer posse fieri crederetur: Quod ad temporis innovationem quàm quotannis fieri

Expositio imaginis.

videmus, non inepte referri potest: Nam glaucus amictus, quo ejus canities tegitur, anni initium ostendit, cum vere ineunte, terra virescit, quæ hieme nive contegebatur; Ita statim ex uno in aliud anni tempus transitur, ut simul ea inter se copulata videantur; Gressus tarditas ad Saturni orbem potest accommodari, qui tardissimo tempore torquetur, cum inter errones sit maximus, ac omnium supremus, atque ideo omnium ultimus suum cursum absolvit. Quia vero ab hujus stella plurimæ calamitates mortalibus portenduntur; eum senem, mœstum sordidatum, obstipo capite atque operto, pigrum ac lentum effinxerunt, cum ejus astri vis hæc inferiora frigefaciat atque exsiccet, in nobisque atrum bilem excitet. Quare idem Martianus, cum suam illam Philologiam per omnes cœlos ducit, statim atque ad Saturni orbem ea pervenisset, facit ut cum ibi deprehendat conglaciatum, nive atque pruina opertum, cujus capiti serpens, interdumque leonis aut apri ca-

put

put dentes ostentantis, esset impositum. Quæ capita pro temporis effectibus fortasse sumi possunt; sed id, quia nulla priscorum auctoritate nititur, non asseveraverim: Sed tamen imago illa quæ ab Ægyptiis juxta serapidis simulacrum ponebatur, magnopere cum hac consentit: ea autem tribus capitibus constabat, leonis scilicet canis atque lupi, quæ temporis præteriti, præsentis ac futuri illustre admodum erat argumentum, ut suo loco dicetur.

Imago 3. a.

Saturni imago.

Vide secundam effigiem.

Sed nunc videamus quid scribat Eusebius de temporis vi ac natura, à Saturni imagine significata. *Astarte* Cæli filia, Saturni vero soror, eademque conjux (quarum copiosum numerum habebat) regium quendam ornatum merito confecit, qui quatuor erat oculis præditus, quorum duo ante, duo autem pone erant affixi: hi vicissim claudebantur, atque patebant, duobus semper vigilantibus: humeris quatuor alas addidit; quarum duæ erant expansæ, veluti animantis ad volandum parati, duæ reductæ ac complicatæ, tamquam stantis. Quo docemur, tempus, licet dormitare quodammodo videatur, vigilare tamen; dumque vigilat, simul quoque dormire: idemque, cum sistat, quam citissime volare, interque volandum consistere. Eadem etiam mariti fratrisque capiti duas alas affixit, quarum altera mentis præstantia denotatur, altera corporei sensus vis atque natura: nam nonnulli philosophorum sentiunt, animum, cum huc: ut corpori conjungatur delabitur, à Saturni orbe vim intelligendi atque ratiocinandi mutuari, quam, dum est hic, nonsolum in iis, quæ mentis acumine percipit, præ se fert, verum & in illis quoque, quæ sensuum adminiculo cognoscuntur. Sed, si Platonicos sequi velimus, Saturnus nobis imaginem quandam adumbrat ejus mentis, quæ tota diuinarum rerum contemplationi dedita, alia omnia despicit: quod locum fabulæ dedit; Saturno scilicet regnante, aureum sæculum viguisse, quo vita omnibus perturbationibus vacua, atque tranquillitatis plenissima degebatur; ita enim ij vivunt, qui, caducorum onere abjecto, rerum cælestium considerationi inhiant. Arbitror quoque Platonem non raro Saturnum ad primam illam mentem innuendam adhibere, quæ rerum omnium permansionem, vitam, ordinemque efficit. Sed hæc, cum nihil ad Saturni imagines, quarum descriptionem nobis proposuimus, facere videantur, omittamus. Eum veteres; sicut Macrobius refert, laneo vinculo pedibus vinctum effinxerunt, totoque anno ita custodiebant, præterquam diebus sibi festis, hoc est, mense Decembri, quo tempore eum soluebant; significantes, decimo mense semen in utero animatum, in vitam grandescere: quod donec erumpat in lucem, mollibus naturæ vinculis detinetur. Atque inde prouerbium ductum, Deos, laneos pedes habere: quod ita solet à nonnullis declarari, numen non statim ad ultionem nec cum clamore accurrere eorum, qui se offenderint, sed pedetentim incedens illos nihil tale cogitantes opprimere. Dicitur Saturnus esse pedibus vinctus, vel quia omnia in hac rerum vniuersitate ita sunt inter se con-

nexa, ut per seriem quamdam aliud ex alio trahatur? aut quia tempora sic mutuo sibi cohærent, ut deinceps se sequantur. Cum vero ea velociſſimo curſu effluant, ideo fortaſſe Poëtæ eum in concitatiſſimum equum converſum finxerunt, cum ab uxore, una cum Philyra Nympha concumbens (ex qua Chironem Centaurum ſuſcepit) eſt deprehenſus: ſed tamen in equum mutatus ſtatim ſe ab uxoris conſpectu abſtulit. Quare Virgilius, lib. Georgic. III. cum nobis pulcherrimum equum informaret. Saturnum inducit, ita inquiens?

Talis & ipſe iubam cervice effudit equina,
Conjugis adventu pernix Saturnus; & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Sed harum rerum tractatio magis ſpectaret ad eum, qui antiquorum de Diis fabulas explicandas ſumpſiſſet, quam ad nos, qui eorum tantùm imagines effingendas propoſuimus; In quo cum videamur ſatis de Saturno dixiſſe, ex eo ad Ianum in regno ſocium, gradum faciendum duximus.

DE JANO.

EX hiſtoriis patet, Saturnum atque Ianum eodem tempore in Italia regnaſſe: Macrobius addit, Ianum omnium primum Deis ibi templa conſtruxiſſe, ritumque ſacrorum inſtituiſſe. Quare ipſe quoque pro *Deo* eſt habitus: & veteri inſtituto in ſacrificiis Ianum Latini perpetuo præfari ſolebant: quod hac etiam de cauſſa factum dicunt, quod eum pro cæli januis aſtare crederent, quare noſtræ illuc preces haud potuiſſent pervenire, niſi is aditum patefeciſſet; immo erat (credo) neceſſarium ut ab eo manu fulcirentur, quo inambulare poſſent: preces enim, ſi Homero credimus, claudæ exiſtunt: cujus rei ea videtur pene ratio reddi, quod, cum aliquem oramus, ei genua inflectimus: vel quia, cum aliquid petitum accedimus, in ancipiti verſamur, poſtulata impetraturi ſimus, necne. Sunt eædem vultu mœſto, ac ſtrabis oculis, quod graviter, & ore parum hilari intueri queant quos offenderunt, & a quibus veniam deprecantur. Cœli portæ ſunt duæ, altera ad orientem, per quam Sol, orbem terrarum illuſtraturus emergit? ad occidentem altera, ex qua exiens, diem cum nocte commutat. Macrobius, & nonnulli quoque alij pro Iano ſolem intelligi volunt: quamobrem ei portarum cœli cuſtodiam demandant: ingredi enim, atque egredi eſt ei ſemper integrum. Ideo etiam eum bifrontem effecerunt, ut ſcilicet oſtenderent, Soli, ſi poſteriora ſpectare velit, nihil eſſe opus retro reſpicere. Sceptrum altera manu, altera clavem geſtat, ut intelligamus, Solum orbi univerſo moderari, eundemque aperire cum mane ingreditur; veſperi autem cum inde migrat, occludere. Hinc eſt creditum Ianum atque Portunum idem numen eſſe, cum hic oſtiis præeſſe putaretur, clavemque manu teneret, quemadmodum

Preces quales ſint.

Cœli porta.

Iani imago.

& Ia-

& Ianus. Ex quo aliud quoque numen derivavit, quod est citea januarum cardines. *Ovidius* enim 6. Fastorum narrat, Ianum, cum Nympham Cranem nomine compressisset, eam pro positæ virginitatis pretio, jure cardinis donasse, ut penes eam illarum claudendarum, aut aperiendarum potestas esset: spinam quoque albam, Ianalem virgam nuncupatam, ei est elargitus, qua striges, cæteraque noxas, quæ infantibus solent obesse, à foribus arceret. Hæc *Nympha Carna* postea, atque Cerdinea est vocitata: cujus in tutela cor, jecur, aliaque hominis viscera erant. Solebant Romani Kal. Iuniis in hujus Deæ honorem suillo lardo, faba, atque fare vesci; vel quod ejus ope sibi viscera haud læsum iri sperarent; vel quod priscorum temporum, quibus Dea illa fuerat, parsimoniam, atque omnis luxuriæ adscitarum aliunde dapum fugam imitari volebant. Huic Romæ in Monte Cælio templum à Bruto, qui se insanum finxerat, positum comperio, ea de causa, quod ejus patrocinio bene fausteque quod tamdiu cælaverat, clausumque pectore gestaverat, successisset, impotenti Tarquinii Superbi dominatu abolito. Sed nondum me quicquam de ejus simulacro legisse memini. Siquis vero aliquod effingere voluerit, ex iis quæ dicta sunt, non difficile admodum, aliquod ipsius Deæ naturæ maxime accommodatum, poterit excogitare. Erat etiam apud antiquos Forulus, vel, ut alii dicunt Foreulus, qui foribus præerat, quæ super cardines versatæ clauduntur, aperiunturve. Limentinum quoque Deum colebant, qui liminis erat præses. Quare merito D. Augustinus eorum vecordiam irridet, tria hæc munera ab uno tantum ostiario perquam commode obiri posse asserens, quibus illi tria numina præfici, oportere decernunt, quæ sunt, Cardinea, Forulus, atque Limentinus. Sed nunc tandem ad rem, de qua agebamus revertamur. Dicebamus enim Ianum eumdem atque Solem diem aperire, itemque claudere: idem quoque de anno facit; nam ineunte vere annum aperit, cum terram ad herbarum florumque productionem movet, ejusque fœcundissimum sinum patefacit, quem hieme claudit, cum ea omnibus suis ornamentis privata, constipatur, nivis ac glaciei rigore constricta. Binæ quoquæ Iani facies temporis sunt signa, quarum altera quæ adolescentem refert, tempus mox adventurum repræsentat; altera, quæ eum grandem jam natu ostendit, præteritorum temporum est argumentum. Plinius libro trigesimo quarto, Ianum à Numa rege dicatum ait, digitis ita figuratis, ut CCCLXV. nota per significationem anni, temporis, & ævi se Deum indicaret: tot enim diebus annus constat; nam apud antiquos digitorum varia inflexione, quos quisque vellet numeros, facile ostendebat: de qua numerandi ratione exstat adhuc sanequam eruditus Bedæ liber. Suidas scribit, alios Ianum effingere in dextera manu tenentem clavem, ut temporis principium, ac anni reclusorem, janitoremque: alios vero in dextera CCC. sinistra LXV. continentem

Forculus Deus.

Limentinus Deus.

Iani facies quid significent.

ut annum significet. Phœnices, M. Tullio, atque Macrobio ita referente, Janum mundi symbolum sunt arbitrati: quare serpente caudam suam vorante, cum repræsentabant, mundus enim seipsum alit, & assidue in orbem torquetur; quod rerum omnium ortus, interitus, vicissitudo, atque instauratio aperte nobis ostendunt. Sed & Plutarchus, cur biceps effingeretur, in causis Romanorum capitum edisserit; vel quod cum ipse Janus Perrhæbus esset, post, cum in Italiam veniisset, linguam, & vivendi rationem immutasset: vel, quod Italos, cum agrestes, ac barbari essent, ad mansuetiorem vitam & rempubl. administrandam pellex set. Alii ad sapientum regum prudentiam id referuut, qui ut res quas præ manibus habent, sapientissimo consilio administrent, una facie futura multo ante cognoscunt, antequam eveniant, altera præteritorum memoriam retinent: ex utrorumque autem collatione, quid sit in unoquoque statuendum, vident. Hoc autem in principes optime quadrat, cum juxta Plutarchi sententiam ij sint vivæ Deorum imagines. Apud veteres Antevorta, ac Postvorta, Divinitatis comites colebantur; quo innuebant, nihil divinam sapientiam, sit illud licet præteritum, aut futurum, latere: ità Reges, quos in terris Deorum loco habemus, omnia noviſse oportere quæ ad optimam regni administrationem facere videantur. Nonnulli quoque voluerunt, Janum esse illud chaos; rudem rerum omnium, indigestamque molem, quam poetæ ante mundi conditionem exstitisse fingunt; ac propterea alteram ejus faciem horridam, hirsutam, obscuramque videri: alteram vero hilarem, pulchram, juvenilemque effingi, ut pulchritudo ex rerum distinctione, ac perenni ordine profecta, significaretur. Atque ita tamquam principiorum Deum esse cultum, cui omnium rerum primordia essent consecranda. Sed nos à rebus ex materia concretis ad ea quæ inrelligentia percipiuntur transeamus, ac Jani bicipitis imaginem animo nostro accommodemus: de qua re breviter quidem, sed intelligenter non nulla attingemus. Humanus animus (ut Platonici sentiunt) cum primum est à Deo conditus, ad eum ut patris amantissima proles natu'i quodam instinctu sese convertit, quippe qui dulcissimi parentis faciem revisere vehementer exoptet: quæ quidem cupiditas ita est menti innata, ut flammæ est proprium sursum ascendere, natura assidue illam ad id, unde exordium sumpsit, instigante: Nam ignis hic ex superiorum corporum virtute accenditur: non secus ac divinæ particula auræ, quam pectore inclusam gestamus, cum sciat se à *Deo* inspiratam, ad Deum miro quodam ardore anhelat. At hoc desiderium, seu lumen dicere malumus, non idem semper perseverat; quo enim magis cum animo cohæret, eo minus clarum efficitur, quoad in eo penitus obrutum ita obtenebretur, ut nullum fere amplius ex se lumen emittat; quo fiat ut is, *Deo*, divinisque rebus è cogitatione abolitis, se tantum, inferioraque intuea-

Ianus cur biceps.

Antevorta & Postvorta imagines.

Iani bina faci s quid in animo significent.

intueatur. Sed tamen non ita divinum illud lumen in nobis hebescit, ut cælestia non sinat nos amplius contemplari : at semina quædam, & scintillæ interdum divinitus emicant, quibus, si modo velimus, ad Deum postliminio reverti conceditur. Quare duobus est mens nostra luminibus prædita, quorum alterum ab ortu traxit, eoque seipsam, inferioraque contemplatur, altero divinitus illapso, tamquam duce ad cælestia perscrutanda utitur. Hæc ambo lumina ex Iani effigie animadvertamus licet : Divinum illud, ac postea adveniens juveni facie significatur ; naturale, quod est nobis ingenitum, senilis nobis aspectus atque barbatus designat ; omnia enim, quæ hic oriuntur, subinde mutantur, inveterascuntque ; eorum etiam cognitio, lumine naturali comparata, plurimum in se obscuritatis, ambiguitatisque continet : Quare res hujusmodi obtusa oculorum acie cernimus : Divina vero, qualis est Deus opt. max. mentes illæ corporibus exutæ, cælestes orbes, quæ illustria quidem sunt, neque interitui, aut mutationi ulli sunt obnoxia, animus noster acuto obtutu, lumine sibi divinitus indito, intuetur. Alia quoque nonnulla, quæ nostris in animis exsistunt, ad bicipitem Janum accommodari possent ; sed, quia obscuriora sunt, neque multum ad rem nostram facere videntur, prætermittamus. Sed & quadricipitem Ianum veteres effinxeruut : Nam hujusmodi statua in quodam Hetruriæ loco est reperta : hac Ianus pro anno proculdubio ponebatur, cujus sunt quatuor tempora, quattuor ejus faciebus adumbrata ; ea sunt Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, quæ apud priscos vario aspectu, atque habitu depingebantur, prout ab Ovidio secundo Metamorph. suis quasi lineamentis designantur, cum Phœbi solium describit. Sed elegantissima ejus carmina opponamus ; quæ sunt ejusmodi,

Verque novum stabat cinctum florente corona ;
Stabat nuda Æstas, & spicea serta gerebat ;
Stabat & Autumnus, calcatis sordibus uvis,
Et glacialis Hyems, canos hirsuta capillos.

Aliter interdum hæc anni tempora ostenduntur : Venus enim pro Vere, pro Æstate Ceres, pro Autumno Bacchus sumitur ; Hiemem partim Vulcanus ad fornacem ardentem adstans, partim Venti una cum Æolo eorum Rege, (hoc enim tempore præcipue, si umquam alias, tempestates excitantur) nobis repræsentant. Duodecim etiam aras antiqui Jano posuerunt, quæ duodecim anni mensium, vel totidem signiferi segmentorum, per quæ singulis annis Sol decurrit, significationem habent. Romæ erat templum Jano sacrum cujus testudo quatuor columnis pilatis sustentabatur, quatuor perviis januis : in singulis, vero loculamenta duodecim, tamquam fenestellæ in quibus statuæ reponerentur : Has quidam existimant duodecim mensium, quæ in quatuor anni tempora dividuntur, Imaginem præ se ferre: Imago 4. a.

Ejus

Ejus templum à Numa extructum, duas habuisse portas legimus; in cujus vestibulo Janus insigni in solio sedebat: Paltulcius atque Clusius ab aperiendis, claudendisve portis vocabatur: hæ belli portæ dicebantur: Quas Virgilius in VII. Æneid. ita describit.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sævi formidine Martis:
Centum æreis claudunt vectes æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis referat stridentia limina Consul:
Ipse vocat pugnas; Sequitur tum cætera pubes.

Dum vero bellum duraret, portæ assidue patebant: quo absoluto statim claudebantur. Hoc à Numa institutum, à posteris sancte ac religiose semper servatum fuit, quemadmodum Plutarchus refert, Quare Janus pacem bellumque in manibus habere est dictus, ut de se apud Ovidium *primo fast.* prædicat, cum suorum Festorum rationem reddit. Hujus rei licet multiplex possit esse causa; illa tamen mihi potissima videtur quod Jano cœlum innui, cum alii plerique, tum Marcus Tullius existimavit, quod, cum perenni motu in orbem torqueatur, siderum conjunctiones, varios inter ea aspectus ac comparationes efficit, quibus fit, ut inter Astrologos constat; alii ad alia sint propensi: Quamobrem vulgo dictitatur, plurimas humanarum rerum, præsertim bellum atque pacem è cœlo portendi. Itaque eo fortasse valvarum aperiendarum aut claudendarum ritus spectabat, qui in Jani Templo observabatur. Erant præterea in foro Romano duo Jani, ubi celebris erat mercatorum locus; nam argentarii ac numularii, cæterique hujusmodi in Janis nuncupatis suam artem exercere solebant: is enim primordiorum Deus putabatur, atque ideo Kalendis præerat, & Junonius dicebatur, quod omnium mensium ingressum teneret, ut etiam Juno Kalendisque fœneratores pecunias fœnori collocare solebant. Jani quoque arcus quadriformes ac pervii dicebantur qui in pompis triumphalibus per urbem ad Jani templi similitudinem excitabantur. Quare Suetonius de superbia fastuque Domitiani loquens, ita inquit; Janos arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones urbis exstruxit.

Imago 5.a.

DE APOLLINE, PHOEBO QUI ET SOL DICITUR.

Dii apud antiquos quo pacto introducti.

VARIÆ ac diversæ de rerum primordiis sententiæ apud antiquos exstiterunt: nam alii aliud de universitatis hujus conditore ac de materia ex qua coagmentata esset, opinabantur: ideoque Poetæ, qui omnium primi de Diis scripserunt maximam eorum multitudi-

nem

nem sub variis fabularum involucris invexerunt. His diversas sapientum opiniones de rerum opifice primariaquo earum materia adumbrantur; quare Elementa quatuor, Solem, Lunam, aliaque astra Deos diversis fictionibus innuerunt. Itaque eis templa, altaria, statuæ Gentium consecrabantur præterquam apud quosdam Assyrios, qui ut Lucianus scribit, licet eorum Deorum effigies susciperent qui sub aspectum non caderent: Soli tamen ac Lunæ nusquam non occurrentibus, nullam statuam ponendam asseverabant. Si enim ipsa per se feriunt oculos, statim atque ad cælum suspicimus, quid opus est eorum simulacris, cum rem ipsam teneamus, Sed tamen Macrobius refert in quadam Assyriæ parte, ubi Sol atque Jupiter pro eodem colebantur, cum mundi animus esse crederentur, quoddam fuisse auratum simulacrum, idemque imberbe, quod protensa dextera auri-gæ more flagellum, sinistra fulmen, spicasque gestaret: quæ Solis atque Jovis vim esse junctam significabant. Quia vero cæteris omnibus sideribus Sol virtute antecellere videtur, quam longe illustrius in hæc inferiora exserat; nonnulli ejus fuere sententiæ ut dicerent, reliquos Deos pro Apolline poni, prout is diverse suas vires demonstaverit. Propterea diversis eum simulacris effinxerunt, eumdemque plurimis nominibus, inter se maxime differentibus appellarunt, non solum ii qui lingua discreparent, sed & quibus esset communis sermo; & inferius, data occasione dicemus. Græci enim Apollinem sive Phœbum vocaverunt, in quo eos latini sunt imitati; Nam nullum apud nos proprium ejus nomen exstat præterquam Sol, quo nomine plerumque nos utemur. Hunc prisci juvenem imberbemque effinxerunt. Quare Alciatus suis Emblematibus, cum juventam vellet exprimere, Apollinem & Bachum, induxit: iis enim inter Deos adolescentes esse præcipue contigit, de quibus Tibullus inquit. Imago 6. a.

Solis æterna est Phœbo Bachoque Juventa,
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum.

Ex quo Dionisius Syracusarum Tyrannus, lepido dicterio sacrilegii excusandi ansam sumpsit. Cum ex Æsculapii statua auream barbam ad se avertit sibi absurdum videre dicens, patre existente imberbi filium tam promissam barbam habere: Æsculapium enim Apollinis filium ferunt. Flava cæsarie Apollinem ornant, quæ fulgentes Solis radios designat. Ejus adolescentia admonemur, ipsius virtutem, caloremque quo vitam rebus influit, semper eundem perseverare nunquamque inveterascere, aut aliquo pacto retundi. Sed de aliis quoque Diis dicitur, nunquam senescere. Itaque apud Homerum legimus, Hebem (quæ vox ætatis florem sonat primamque ingenis lanuginem significat) pocula cæteris Diis ministrare, Jovi verò Ganimedem. Hæc autem juventus ab antiquis colebatur: cui Romæ in citro maximo ædem Licinius Lucullus duumvir dedicavit; quam voverat XVI. *Apollo semper juvenis.* *Juventas Dea.*

annis ante M. Livius Consul, quo die Astrubalem, exercitumque ejus cæcidit, ut refert Livius. Hanc pulcherrimam adolescentulam vestibus varios colores referentibus ornatam, floreis sertis redimitam quemadmodum & Imago 7. a. Pomonam Romani effingebant. Græci ut eam exprimerent, me latet; nam Pausanias ei in quodam templo, quod in Corinthio agro in cupressorum luco ipsi erat dicatum, nullam positam esse statuam ait, idque quadam arcana de causa, quam ille proferre non est ausus, nec nos apud alios scriptores comperimus. Sed maximis eam veteres prosequebantur honoribus; nam qui ad ejus templum, tamquam ad asylum confugissent, pœnas, quibus ob sua flagitia essent obnoxii, effugiebant: qui autem ex carceribus evasissent, compedes illuc apportabant, quas arboribus ibi consitis suspendebant.

Apollo Lyram tenebat.

Tenebat Apollo manibus lyram, ut suavissimum concentum ostenderet, quem cœli efficiunt, maximum in motu ordinem servantes; cujus ordinis Sol est causa, cum enim erronum sit medius, ex Platonicorum sententia, ut Macrobius refert, cunctis motus legem præscribit. Itaque unusquisque celeriter, tardeve movetur, pro ea quam sibi sol virtutem ingenerarit.

Apollo Musarum dux.

Quia vero singulos cœlos singulas habere musas, Platonici volunt, quas & Sirenes interdum appellant, quæ cum suavissime canant, cœlorum concentum imitari videntur; ideo Apollo Musarum dux, cum eisque assidue versari dicitur. Quare quoddam templum, quemadmodum Pausanias testatur, utrisque est dedicatum. Initio tres tantum Musæ existimabantur; quarum nomina apud Græcos erant Μελέτη Μνήμη, Ἀοιδή, quæ apud nos Meditatio, Memoria, ac Cantus dici possunt. Sed Pierius Macedo, unde mons Pierius est dictus, novem esse Musas (sicut Pausanias scribit) decrevit, quibus ea nomina imposuit, quæ postea sunt vulgo recepta. Ab eo monte omnes Pierides, sicuti ab aliis locis aliter sunt nuncupatæ. Jovis ac Memoriæ filiæ, itemque Poesi & Musicæ præesse sunt creditæ; qui enim ingenio, ac memoria est præditus, facile in eo excellit, ad quod animum appulerit. Sed & qui præclara poemata facile peragit, propitias habere Musas dicitur. Musæ puellari, & Nympharum habitu indutæ finguntur, cum variis & diversis instrumentis, pro artium ratione, quibus præsunt; de quo inter Virgilii poemata non invenustum habetur Epigramma, quod est hujusmodi;

Musarum imago.

Carmine Calliope libris heroica mandat.
Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato, saltat pede, carmine, vultu.

Signat

Signat cuncta manu, loquitur, Polyhymnia gestu.
Vranie cœli motus scrutatur, & astra.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas,
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Coronabantur vero varie & florum, & frondium coronis: sed & interdum palma, propter nominis similitudinem; quia scilicet Phœnices literas inveniſſe feruntur. Sed & coronas interdum gestare Musæ finguntur ex pennis versicoloribus, non modo propter Pieri filias, à se superatas, & in Picas conversas, sed etiam ob Sirenas devictas. Certe harum signa hodie quoque pervetusta Romæ visuntur, quæ pennam habent in vertice affixam; hæcque Sirenum esse creditur. Utque liberales artes (quas ἐγκυκλοπαιδείαν vocant) inter se aptas oblenderent, ita ut alia ex alia per seriem quamdam sequatur; earum inventrices Musas, mutuo inter se manibus junctas, in orbem choreas ducere effinxerunt, chorago exsistente Apolline, qui illud lumen adumbrat, quod hominis mentem colluſtrat, ut sapientiæ sacris initiari valeat. Medius autem locus Apollini cum alibi, tum in cæleſtibus globis eſt tributus: quaqua enim is sua virtute, ac radiis pertinet: quare optimo jure cœli cor eſt nuncupatus: utque sciremus, ejus vim atque efficacitatem non solum ad cœlos omnes, ac terras permanare, sed & ad penitiſſima inferorum loca pervenire: lyram ei addiderunt, quæ cœleſtis harmoniæ, quoquoversus permeantis speciem præ se fert: clypeum quoque gestat, quo noſtrum hoc hemiſphærium, quod in clypei figuram eſt orbiculatum, repræsentatur. Idem sagittas fert, quæ radiorum vicem subeunt; sicut enim illæ ex arcu emiſſæ maximo cum impetu illiduntur, ita & Solis radii ad abſtruſiſſimos terræ receſſus perveniunt, quos inferos locos vocamus. Hæc omnia ex Servio retulimus, qui se à Porphyrio mutuatum fatetur, ex ejus scilicet libro, qui Sol inscribitur. Nonnulli, Apollinem inferorum Deum appellatum, sagittasque in manibus habere dicunt; quod nimius Solis æstus magnopere mortales infeſtat; fere enim peſtes, aliaque morborum genera affert. Sed quia Solis temperatus calor plurimum nobis affert commoditatis, dextera Gratias gestaſſe, siniſtra arcum & sagittas Apollo fingitur; nam humorem exsiccando, quem assidue terra exhalat, salubre cœlum ac purum reddit. Hoc Poetæ innuentes, commenti sunt, Apollinem sagittis Pythonem serpentem confeciſſe, qui ex terra, diluvii aquis nudata, exſtitiſſe fertur. Pytho enim Græce putredinem sonat; nam terræ adhuc humidæ exhalatio in superna volubili impetu meando, atque inde seſe, poſtquam calefacta eſt, instar serpentis mortiferi in inferiora revolvendo, omnia vi putredinis corrumpebat, quæ non niſi ex calore & humore generatur, ipsumque Solem denſitate caliginis obtegendo, nebula videbatur quodammodo lumen ejus exime-

Musarum corona.

Apollo cur in medio.

Pytho ab Apolline interfectus.

eximere sed divino radiorum fervore tandem, velut sagittis incidentibus, extenuata, & exsiccata, interempti Pythonis ab Apolline fabulam fecit: quod etiam ex eo significatur, quod Lupi sub Apollinis tutela sunt; sicut enim lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque humorem radiis absumit. Ideoque Sol, Luna, cæteræque stellæ ex humore, quem sursum terra atque mare emittunt, ali feruntur; ut Marcus Tullius in libro de Natura Deorum ex Cleanthis sententia testatur. Huc proculdubio Homerus spectavit, cum Jovem, cæterosque Deos apud Oceanum cœnatum profectos fingit. Lupus quoque ita oculorum acie pollet, ut & nocte cuncta cernat; ita & Sol cum exsistit, statim noctis tenebras dispellit. Quare Delphis in ejus templo æneus lupus visebatur; nam fabulantur poetæ, Latonam, à Jove gravidam, in eam belluam esse conversam, ne forte Juno, ubi id resciviisset, aliquid ei insidiarum pararet; ideoque lupam exsistentem, Apollinem peperisse. Aut sicuti apud Pausaniam in Phocicis legitur, quia hominem quemdam ajunt, sacram pecuniam, quam avertisset, abdidisse in ea Pernassi parte, quæ maxime esset arboribus condensa: Lupum vero, in dormientem impetu facto, illum occidisse; ac deinde quotidie cum ululatu solitum intra urbem penetrare; id cum non nisi divinitus fieri existimare homines cœpissent, feram sequuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam lupum ex ære dedicarunt. Hucusque Pausanias, qui causam templi, quod Argis Apollini, Lycio nuncupato, dicatum est, in Corinthiacis afferens, cum Danaus, inquit, Argos venisset, de regno cum Gelanore, Sthenelæ filio contendit; atque cum eorum uterque ad populum multa, & ea maxime probabilia, & juri consentanea dixisset, neque omnino, quæ Gelanor asserebat, minus æqua viderentur, causa ampliata est in crastinum. Postero die prima luce in boum gregem, in pomerio pascentium lupus impetum fecit; atque is taurum ipsum, gregis ducem adortus est: visum est Argivis, Gelanoris cum tauro, cum lupo esse Danai aptissimam convenientiæ rationem: quod scilicet uti lupus animal est homini minime familiare, sic propemodum ad id temporis nulla fuisset Danaus Argivorum usus consuetudine: quare, cum taurum lupus confecisset, è re nata Argivi Danao imperium adjudicarunt. Tunc Danaus lupum ab Apolline immissum interpretatus, Lycii Apollinis ædem dicavit (λύκος enim Latine lupus vertitur) Pro æde basis est, in qua incisa est tauri & lupi pugna: incisa etiam & virgo, quæ lapidem in taurum mittit; Dianam eam virginem nominant. Corvus quinetiam Apollini est dicatus; nam, ut Martianus refert, Apollo divinandi peritia præditus esse creditur; corvus autem instinctu quodam naturali pluviam, serenitatemque prædicit, voce quandoque clara, quandoque rauca utens, quemadmodum ex Virgilio in Georgicorum libris, ubi de tempestatum signis agit, discere possumus.

Lupi cur sub tutela Apollinis.

Sol, cæteræque stellæ ex quo alantur.

Apollo Lyrius.

mus. Putatur etiam corvus multa alia prædicere solere; quare eo antiqui plurimum in augurandi arte usi sunt: jure ergo Apollini minister est attributus, quod Ovidius de eo narrat: idemque dicit, Apollinem cum cæteris Diis cum in Ægyptum, ut manus Typhonis evaderet, profugisset, in corvum se vertisse. Eidem & cycnum addiderunt, ut hoc diem significarent, quem nobis solis præsentia efficit; sicuti absentia noctem, corvo similem parit. Sentiunt aliqui, nullam avem magis Apollinis naturæ respondere Cygno: is enim suo candore Solis lucem refert, cantu suavissimum efficit concentum, quem & Apollo lyra efficere creditur: idem & mortem sibi præsagit, cum enim est morti propinquus, dulcissimè, si umquam, canit, vel quod naturæ quodam impulsu gestit, cum sciat, se brevi moriturum; vel quod tunc maxima sanguinis copia ad cor confluat, qua concalefactum, dulcedine quapiam titillatum, ita suaves voces emittit. Non desunt, qui dicant, eo tempore cycnum flere potius quam canere, nam capitis pennæ altius infixæ cerebrum contingunt, qua ex re mors sequatur oportet. Pausanias scribit, Græcos Gallum veneratos esse, ut Apollini sacrum; is enim cantu mane Solis adventum annunciat. Fortasse etiam quod sæpe antiqui ex ejus cantu tempestivo faustarum rerum auguria capiebant, ex præmaturo autem, aut tardo contraria præsagiebant; Ita enim Bæotii nobilem illam Leuctricam victoriam de Lacædemoniis reportatam præsenserunt, præcedenti nocte tota gallis concinentibus, nam gallus à rivali victus, conticescit, & aliquo se abdit, in aliorum se conspectum dare non audens: cum victoriam reportarit, præ lætitia gestit, cantuque ubique suam victoriam prædicat. Homerus eidem Apollini Accipitrem dicatum vult, quem velocem Apollinis nuncium appellat, cum narrat, Telemachum dum Ithacam reverteret Accipitrem vidisse, qui Columbam dilaniaret; ex quo faustum omen suscepit, se domum à procis brevi liberaturum Ægyptii sub accipitris symbolo Osirim, qui apud eos est Sol, intelligebant, cum quod hæc avis acutissima est oculorum acie, tum quod citissimè volat, eum Ægyptii divinis honoribus prosequebantur (quemadmodum Diodorus siculus refert, cum belluas quas Ægyptii numinum loco haberent recensetcum alias ob causas, tum præcipue quod priscis temporibus accipiter ex ignotis regionibus, Thæbas (quæ erat Ægypti primaria urbs) ad Sacerdotes librum rubris literis conscriptum attulit, in quo sacrorum ritus continebatur. Hinc factum est ut sacrarum rerum scriptores apud eos pileum rubrum, una cum accipitris ala gestarent; Porphyrius in libro de abstinentia ab animantibus, Apollini inquit, apud Ægyptios Accipitrem, Scarabeum, Arietem, atque Crocodillum præ cæteris Diis attributum. Sed & Egyptii Solem pingebant juvenili ac rotunda facie; eumque in navi collocabant, quam Crocodillus ferebat; per navigium motum ejus in humido significantes;

Cycnus Apollini sacer.

Gallus Apollini sacer.

Accipiter Apollini dicatus.

Pileum rubrum quinam apud Ægyptios gestarent.

Imago Solis navis.

pèr Crocodillum vero aquam pluviam, cujus causa soli tribuitur, ex qua noxia quæque salutaribus suis radiis Sol secernit. Hæc Eusebius scribit. Jamblicus autem cum de Ægyptiorum mysteriis loquitur, Ægyptios inquit, cum Deum in navem imponunt, tamquam ejus gubernaculis præpositum, primam omnium causam intelligere, quæ orbi universo moderetur, quæque immota manens, superne secundas causas, serie quadam inter se aptas, per easque mundum universum movet, perinde atque navicularius temone leviter tacto, navim totam quo vult movet; Martianus eum suam Philologiam ad solis orbem introducit, eam dicentem facit, se ibi navim cernere quæ diversorum sententiis gubernata, huc illucve, prout naturæ impetus fert, impellitur; eandem flammis universam conflagrare, pretiosissimis mercibus esse onustam, septem ei fratres præesse; leonem in malo, & crocodilum extrinsecus esse depictos; intrinsecus lucis fontem coercere, quam occultis quibusdam viis per universum orbem diffundat. De Scarabeo apud Eusebium legitur, Ægyptios plurimi eum feciisse, & tamquam expressam Solis imaginem coluisse: Nam scarabei omnes sunt masculi, ut Ælianus testatur: quare milites Ægyptii anullos, in quibus ejus effigies esset insculpta, induebant, ut eam spectantes, fœminea mollitie deposita, ad masculam virtutem excitarentur. Scarabei ita sibi sobolem comparant: suum semen in stercus effundunt; ejus segmenta rotundant, quæ viginti & octo dierum spatio pedibus versant, donec abunde concalefacta, vita informentur: hincque recentes scarabei exsistunt. Sol quoque suam virtutem in terras effundit, eas assidue versat; in orbemque se torquens, efficit ut Luna singulis mensibus innovetur, quo tempore scarabeus quoque sibi prolem surrogat.

Scarabeus plurimi ab Ægyptiis faciis.

Non solum apud antiquos sua cuique Deo animalia erant sacra, sed & arbores dicabantur. Quare Laurum Apollini attribuerunt, ex qua serta ac coronas ei conficiebant; vel ut ad fabulam Daphnes, quam is adamabat, in laurum conversæ alluderent; aut quod laurus divini nescio quid in se contineret, cum in prunas conjecta, futura præsagire videatur, fausta quidem, si magnum ex se strepitum edat: infelicia, si nullum, aut parvum. Multi apud veteres sibi persuadebant, fore ut, si quispiam cubiturus, lauro sibi tempora vinciret, in somnis videat ejus rei, quam scire cupiat, veritatem. Videntur præterea in lauro ignis semina latitare; nam ea hederæ adfricata, perinde atque silici Chalybs, ignem emittit; in quo quidem Solem adumbrat. Quia vero laurus Apollini erat sacra, ea poetæ, qui sub illius tutela erant, coronabantur. Imperatores etiam eadem se exornabant, ea fortasse de causa, quod hæc arbor è cœlo minime tangeretur. Quamobrem Tiberius Imperator, cum cœlum fulgurare cerneret, statim lauro caput cinxisse legitur,

Laurus sacra Apollini.

ita

ta se a fulmine sartum tectum credens. Kalendis Januarii iis qui magistratum iniissent, Romani lauri folia offerebant, ut illis muniti toto anno valetudinem tuerentur; nam plurimum hæc arbor ad sanitatem conferre vulgo existimabatur, cui Apollo præerat: idemque medicinæ inventor habebatur (ut inferius in Æsculapio videbimus) nam cœli temperatio, quæ nostris corporibus magnopere prodest, à sole efficitur. Apollinem Ægyptii hieroglyphicis literis describere volentes, sceptrum effingebant, ejus in vertice oculum imponentes, quem interdum Jovis oculum appellabant: hoc innuentes, eum cuncta cernere, eumdemque universum summa cum justitia administrare; sceptrum namque regni est symbolum: Homerus quoque sæpe scribit, Solem omnia cernere, atque audire. Quare apud Spartanos Apollini statuam, quæ quatuor aures, totidemque manus haberet, positam legimus: quod aliquando ea forma pro ipsis pugnantem, se præbuerit cernendum: sed fortasse quatuor aures prudentiam, quæ ex Apolline manare putatur, significant; prudens enim in loquendo est tardus, sed ad audiendum aures semper apertas habet: quare apud Græcos proverbio quodam admonemur, ut eum, qui quatuor auribus est præditus, virum scilicet prudentem, audiamus. Apuleius, Solem cuncta videre asserit, cum inquit, in Thessalia fuisse striges, quæ, ut suis præstigiis aliquid ad se averterent, eo se insinuabant, ubi cadaver fuisset, ita latenter, ut ne à Solis quidem oculis cernerentur; perinde atque minime fieri, aut vix possit, ut aliquid Solem lateat. Phœnices lapidem nigrum ad basim orbiculatum atque latum, paulatimque in acumen vergentem, quem cælitus ad se demissum jactabant, verum solis simulacrum habebant, quod divina, non humana arte esset effictum. Ab hoc forma non discrepabat (nam de colore non ausim asseverare, cum Pausanias, qui rem narrat, nihil de eo meminerit) lapis quidam, Pyramidis speciem referens, quem Megarenses sub Apollinis nomine colebant. Et apud Pæones (sicuti Alexander Neapolitanus lib. IV. cap. XII. refert) dicus brevis, longo ligno appositus pro sole habebatur. Lactantius Statii interpres scribit, maximum apud Persas Deorum solem extitisse, quem in quodam antro venerabantur. Eum figurabant Leonis rictu, cum thiara, utraque manu tauri cornua premente. Leonis caput; Solem maximam tum vim habere innuit, cum ad Leonis signum pervenerit, aut eum inter cætera sidera eodem loco atque leonem inter belluas numerari. In antro degit, cum ob Lunæ oppositum, à nobis minime conspicitur, Luna vero quæ Vaccæ similitudinem gerit, ob eas, quas inferius suo loco rationes afferemus, cornibus abeo tenetur, ut eam sæpius à sole lumine privari, cum scilicet Lunæ defectus accidit, cogique quodammodo, solis vestigia persequi intelligamus. Nonnulli arbitrantur id ad Persicorum sacrorum ritus referendum; apud quos nemo Apollinis sacris initiabatur, qui prius suæ virtutis, ac patientiæ quodam

Apollo medicinæ Deus.

Iovis oculus.

Sol cuncta cernit.

Apollo quatuor auribus preditus.

Solis imago.

Imago 9. a.

in

in antro specimen non dedisset. Patris quæ sunt in Achaja, ut Pausanias Lib. VII. refert, Apollinis nudum est ex ære signum, pedibus tantum calceatis; quorum altero bovis calvæ insistit. Delectatum vero bobus Apollinem in hymno, quem in Mercurium fecit, docet Alcæus, boves ereptas Apollini à Mercurio memorans, sed ante Alcæum versibus suis prodidit Homerus, certa mercede Laomedontis armenta Apollinem pavisse: idemque ita loquentem Neptunum facit:

Boves Apollini grati.

Ipse ego Trojanam vallabam mœnibus urbem
Tam latis pulchrisque, ut inexpugnabilis esset:
At tu Phœbe, boves cæruleas tunc pastor agebas.

Nulla autem gratiori Apollini victima litabatur, quam bove. Quare Charystii ex Eubœa bovem æneum Apollini statuerunt de Persica victoria. Quod illuc refert Pausanias in Phocicis, quod, Barbaris è Græcia pulsis, & alias fortunas incolumes habuerunt, & libero solo terram arare potuerunt. Itaque Plutarchus causas afferens, cur Theseus in nummo bovem exprimendum curarit, hoc inquit, eum voluisse populos suæ fidei creditos agriculturæ admonere, adeamque clam excitare Ægyptii bovem pro Osiride colebant, eum solis loco habentes, talique specie credentes post mortem visum: Hunc enim Typhon frater interfecerat, quod ei invideret ob eximios honores decretos, quos sibi egregiis artibus à se inventis, ac Ægyptio populo traditis commeruerat; Eum ergo Ægyptii Apin, quem bovem lingua nostra dixeris, appellarunt. Sed sunt qui arbitrentur, bovem ab Ægyptiis maximo in honore habitum, quod Osiris ejusque uxor Isis ita sanxissent, idque ob maxima commoda, quæ in mortales à bove ratione agriculturæ dimanant: Neque ejus effigie contenti belluam quoque vivam venerabantur; quam nec diu vivere patiebantur; post paucos enim annos eam præcipitem in fluctus agebant de cujus morte publicus luctus celebrabatur, passim omnibus sibi vestes atque capillos lacerantibus; jnstitium tantisper edicebatur, donec alius bos esset inventus: non enim omnes boves aut vituli (ita eum Herodotus vocat) Deo Api subrogando erant idonei; Sed ex vacca primo partu editum, seligebant, (eam splendore quodam, cælitus emisso gravidam effectam jactabant) totum nigrum, nisi quod macula alba, eaque quadrata esset in fronte aspersus? in dorso aquilæ signo esset insignitus; lingua aut palato signum nigrum haberet expressum, quod scarabeum fortasse repræsentaret; cauda pupilli pilo esset contecta. Hanc Ægyptij belluam nacti, publica omnes lætitia gestiebant, eamque sacerdotibus maxima cum veneratione, diuinisque honoribus, quales numina decent, custodiendam tradebant? a qua & oracula hoc modo petebant: fœnum, aut fruges porrigebant? quas si bos ille statim arripuisset; fausta omnia euentura sibi Persuadebant? sin renuisset, alia omnia potius.

Apim

Apim interdum Memphi se videndum præbere dictitabant: quare festos dies, eius visioni dicatos maxima cum religione colebant. Sed Cambyses Persarum Rex, qui AEgyptum sibi subegerat, cum exbello Ammonico, infeliciter sane à se gesto, Memphim reuerteretur, populum publica lætitia prædicta festa celebrantem forte offendit? quo spectaculo perculsus (nihil enim de solemnitatis more didicerat) confestim ex primariis aliquot interficiendos jussit, eorum excusationem non accipiens, sacrorum suorum ritum ita ferre dicentium, suspicans potius, publicum gaudium susceptum ex clade, quam ab hostibus reportasset; cum sciret se populo esse exosum: nam quod ad Apidis speciem pertinebat, negabat posse fieri, ut illuc Deorum aliquis, se insscio perveniret. Cum vero Sacerdotes in eo insisterent, Apim maximum *Deum* esse visum, asseverantes, jussit, ut statim hunc ei Deum videndum exhiberent; qui maxima cum pompa prædictum bovem ad Regem adducunt: quem cum Cambyses esset intuitus, illorum superstitione irrisa, ac, gladio stricto, jugulavit; & ad Sacerdotes, reliquosque Ægyptios, ibi præsentes conversus, Sunt, o hominum nequissimi, inquit, ita carne ac sanguine Dii coagmentati, ut plagis, ac vulneribus sint obnoxii? hic est vobis profecto Deus maxime dignus. Sed efficiam, ne mihi verba dedisse, vobis operæ pretium fuerit. Statimque Sacerdotes virgis cædendos curavit, ac publico edicto cavit, ne quis festum diem celebraret; quod qui secus fecerit, is capite plecteretur. Hæc narrat Herodotus. Sed Augustinus lib. XXXII. de civitate Dei ita de Api scribit; Apis rex Argivorum, navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Hominis autem hujus, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit: quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græce, & ibi venerari eum sepultum cœperunt, priusquam templum ejus esset exstructum, velut σόραπις primo; deinde, una litera (ut fieri solet) commutata, Serapis dictus est. Constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus templis, ubi coleretur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum, quod, digito labiis impresso, admonere videretur, ut silentium fieret (is erat Harpocrates) hoc significare idem Varro existimat, ut taceretur, homines eos fuisse. Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Ægyptus, in honorem ejus deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago vivum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur. Præter bovem Ægyptii ut numina, habuerunt bellúas quoque non paucas, ut Hircum, quemadmodum Josephus in libris contra Apionem refert, Cynocephalum, de quo dicetur, cum de Mercurio agemus, & Crocodilum, quem non aliter Cleomenem Alexandri

Cambyses Apim occidit.

ducem tractare voluisse dicunt, atque Cambyses Apim tractarit; is enim cum illac transiret, ubi Crocodilus pro numine colebatur, cum audisset, quemdam ex suis famulis ab hujus generis bellua vehementer læsum, omnibus ad se accersitis sacrificulis, vehementer de eorum Deo est conquestus, qui ultro se injuriis appetisset, nullo prius damno accepto; pœnasque de eo se sumpturum, est comminatus. Quare post crocodilorum venationem instituit. Sed tamen minæ nullum habuerunt eventum; Cleomenes enim maxima pecuniæ summa sacerdotibus emunctis, quasi Dei sui contumeliam, atque adeo necem redemerunt, ab incepto destitit. Hoc Aristoteles in libris de Repub. refert, eorum exempla adducens, qui varios pecuniæ conficiendæ modos excogitarunt. *Apollo pastor.* Sed jam ad Apollinem revertamur, qui Nomii cognomen habuit, ex prædictis ejus muneribus, quæ maxime cum pastoricia arte consentiunt (quamvis etiam in fabulis sit, eum Admeti regis pecora pavisse) Sol enim omnia pascit, quæ terra progenerat. Ex hoc fortasse stulta Æthiopum opinio, qui Africam ad mare australe incolunt, originem traxit, apud eos enim sunt prata quædam, in quibus omnium fere animalium carnes assatæ ut plurimum reperiebantur; quo omnes passim confluebant, ut opipare sane epularentur ex iis, quæ etiam assata sponte a terra sine hominum labore solis virtute producerentur: Itaque is locus *Solis mensa.* mensa Solis vulgo dicebatur. Hinc locus proverbio datus, ut mensæ Solis & divitum ædes nuncupentur, quo omnibus patet aditus ad edendum atque bibendum. Sed tamen Herodotus arbitratur, eas carnes noctu à Magistratibus inferri solere.

Assyrii ut Solis vires quas in rebus inferioribus exserit, exprimerent *Apollinis simulacrum.* Apollinem promissa in acutum barba, eminente super caput calatho effinxerunt. Lucianus narrat, quosdam Assyriorum Apollinem barbatum effecisse, cæterosque qui eum imberbem repræsentarent, vituperantes; perinde atque Juvenilis forma aliquod sit imperfectionis argumentum, quæ procul à Deis est amovenda. Idem thorace æneo erat indutus: dextera astam tenebat, in cujus vertice Imaguncula quædam victoriæ erat; sinistra florem porrigebat; ex humeris pannus dependebat, in quo Medusæ caput, serpentibus circumdatum erat expressum: aquilæ propter exprimunt instare volatus: ante pedes Imago fœminea est, cujus dextera, levaque sunt signa fœminarum; ea cingit flexuoso volumine draco. Ita Macrobius *lib. II. Saturnaliorum* Solis simulacrum, quod erat Hierapoli, describit radios in terram superne jaci, barba demissa signat: Calathus aureus surgens in altum, monstrat ætheris summum, unde solis creditur esse substantia, hastæ atque loricæ argumento imago adjungitur Martis, is enim Solis Virtutem atque efficacitatem nobis ponit ob oculos: Victoria testatur cuncta submitti hujus sideris potestati; floris species florem rerum protestatur,

teſtatur, quas hic Deus inſeminat, progenerat, nutrit, fovet, maturatque: Species fœminea terræ imago eſt, quam Sol deſuper illuſtrat: quod iidem quoque Aſſyrii (quemadmodum Macrobius inferius eodem in libro recenſet) maximi apud ſe Dei ſimulacro, oſtendunt, quem ipſi Adad appellant. Huic ſubjungunt Deam nomine Atargatim, omnesque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, terramque intelligentes: Simulacrum Adad inſigne cernitur radiis inclinatis; quibus monſtratur, vim cœli in radiis eſſe Solis, qui demittuntur in terram. Atargatis ſimulacrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt, monſtrando radiorum vi, ſuperne demiſſorum enaſci quæcunque terra progenerat, ſub eodem ſimulacro ſpecies Leonum ſunt, eadem ratione terram eſſe monſtrantes, qua Phryges finxerunt matrem Deum, id eſt terram, leonibus vehi; ut in ejus imagine inferius docebimus. Signa duo æque fœminea, quibus ambitur, hylem, naturamque ſignificant confamulantes: & draconis effigies flexuoſum iter ſideris monſtrat: aquilæ propter altiſſimam velocitatem volatus, altitudinem ſolis oſtendunt: addita eſt Gorgonea veſtis, quod Minerva, quam hujus præſidem accipimus, ſolis virtus eſt; ſicut & Porphyrius teſtatur, Minervam eſſe virtutem ſolis, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat: nam ideo hæc Dea Jovis capite prognata memoratur, id eſt, de ſumma ætheris parte edita, unde origo Solis eſt. Quod autem apud veteres Solis aliquæ virtutes per Martem ſignificarentur, præter ea quæ paulo ante ex Macrobio retulimus, & alia quæ inferius in Marte demonſtrabimus; fidem quoque facit ingens quoddam ſimulacrum, cujus altitudo ad triginta cubitos pervenit: quod Pauſanias in quadam Laconiæ parte refert, Apollini poſitum: hæc ſtatua perquam antiqua videbatur, eoque tempore exſculpta, quo nondum homines artem earum fabrefaciendarum callerent; nam ante Dædalum, qui omnium primus ſtatuarum membra cœpit diſtinguere, ut Suidas eſt auctor, ſtatuarii rudes ac informes ſtatuas effingebant. Hæc igitur, niſi quod caput, manus, atque pedes diſtinctos haberet, cætera omnia columnæ inſtar erat: galea caput habebat contectum; altera manu arcum, altera haſtam geſtabat, quæ Martis proculdubio ſunt inſignia: quamvisque eiſdem Minerva ſit inſignita; tamen longo diverſam eſſe rationem, cum ad ejus imaginem perveniemus, oſtendetur. Ægyptii variis modis Solem adumbrarunt; inter quos hic refertur à Macrobio: Erat ſimulacrum cujus caput erat ſemiraſum, dextera enim pars capillis contegebatur; hoc eo ſpectabat, quod Sol à natura nunquam ita receſſit ut nihil ſuis in eam radiis virtutis influat: capilli inciſi deſignant, Solem eo etiam tempore, quo latitat, vim ad nos remeandi habere, perinde atque capilli, ubi ſemel abraſi fuerint, iterum pullulant, cum eorum radices adhuc ſuperſint. Eodem argumento ſignificatur & tempus, quo angu-

Adad.

Atargatis.

ſta lux eſt; cum velut abraſis incrementis, anguſtaque manente exſtantia, ad minimum diei Sol pervenit ſpacium, quod veteres appellavere brumam, hanc à brevitate dierum cognominantes, id eſt, βραχυ ἡμας, ex quibus latebris, vel anguſtiis rurſus emergens, ad æſtivum hemiſphærium tamquam enaſcens, in augmenta porrigitur; & tunc ad regnum ſuum perveniſſe jam creditur. Iidem Ægyptii Solis ſimulacra pennata fingunt, quibus color apud illos non unus eſt: alterum enim cærulea ſpecie, alterum clara fingunt: ex his clarum ſuperum, & cæruleum inferum vocant: inferi autem nomen ſoli datur, cum in inferiori hemiſphærio, id eſt, hiemalibus ſignis curſum ſuum peragit; ſuperi, cum partem zodiaci ambit æſtivam. Pennæ, maximæ Solis velocitatis ſunt argumentum, ut Macrobius eodem libro exponit. Apud eoſdem ſub Serapidis nomine Sol intelligebatur, etſi eum interdum pro Jove ponebant. Statua eſt hujuſmodi: ejus capiti modium infigunt, omnibus in rebus menſuram eſſe adhibendam innuentes. Suidasque refert, juxta aliquorum ſententiam, illa eos effigie Nilum adumbraſſe, qui modio illo, ac baculo, quo ad menſurandum utimur, docere velle videbatur, ſuas aquas certa quadam menſura Ægyptum tegere oportere, ut eam fœcundam redderent. Huic ſimulacro, ut Macrobius etiam libro primo Saturnaliorum narrat, Signum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite Leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur, manſueta ſpecie blandientis: pars vero læva cervicis rapacis lupi capite finitur: easque formas animantium draco connectit volumine ſuo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conſpicitur monſtrum. Ergo Leonis capite monſtratur præſens tempus; quia conditio ejus inter præteritum, futurumque actu præſenti valida, feruenſque eſt: Sed præteritum tempus Lupi capite ſignatur, quod memoria rerum transactarum rapitur, & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis deſignat eventum, de quo nobis ſpes licet incerta, blanditur. Idem quoque Deus Alexandriæ in templo ſibi dicato, ſtatuam habebat, quæ ex omnium metallorum genere atque lignorum erat coagmentata; eademque ita erat ingens, ut manibus utraque fani latera contingeret; è regione quædam feneſtella erat ita effecta, ut Sol exoriens, per illam ſuis radiis ſimulacri caput feriret. Hincque populi opinio nata eſt, Solem mane Serapim inviſere, atque oſculari. Thebis quoque in Ægypto in delubro, quemadmodum Plinius lib. XXXV. ſcribit, erat Serapis ut putabant, Memnonis ſtatuæ dicatus, ex baſalte, ferrei coloris atque duritiæ, quem quotidiano Solis ortu contactum radiis crepare dicebant. Sed qui Solem melius nobis ob oculos ſtatuat, ita ut omnium temporum viciſſitudinem ab eo profluere cernamus, equidem Martiano Capella eſſe arbitror neminem, nam is lib.

Serapis.

Imago. 11 a.

Primo

Primo Philologiæ Mercurium atque virtutem ad Phœbum proficiscentes facit, eum de Matrimonio inter se contrahendo consulturos; quem edito considentem, arduoque suggestu offendunt, atque in conspectu quatuor urnulas adopertas, vicissimque alternis inspectionibus inundantem quæ diversa specie; metallisque sunt formatæ: *Vernulæ Phœbi* Nam una ex ferro quantum conjici potuit, duriore, alia ex argenti fulgentiore materia, tertia liventis plumbi fusili robore videbatur: At vero proprior Deo pellucentis vitri salo renidebat, singulæ autem rerum quædam semina, elementaque gestabant: Nam flamma flagrantior, & ab ipsius cacuminis exantlata fomitibus ex ferri prædicta anhelabat Urna; quæ tamen vertex Mulciberi dicebatur. *Vertex Vulcani.* Alia etiam, quæ fuerat ex argenti materia, præferebat serena fulgentia, & vernantis cœli temperie renidebat: Hanc dicebant risum Jovis. Illa vero metalli, gravioris plena undosæ Hiemis atque algidi rigoris, nec non etiam primarum: hæc Saturni vocabatur exitium. At vero sali resplendentis, atque ad ipsius *Dei* dexteram sita aeris totius seminibus erat referta, hanc Junonis ubera memorabant, ex his igitur urnis *Deus* alternatim, quantum dispositis sat erat, hauriebat; nam quoties orbi complacito vita, is Spiritus salubres ministrabat auras, ex illa argenti clementia aeris hausti permiscens semina temperabat. Cum vero pestem diram commeritis mortalibus minabatur, aeris similiter anhelos ignes aut torpentis frigoris venena miscebat, & in affligendum meare cogebat orbem. Ex his Martiani verbis manifeste patet, temporum anni diversitatem ex Sole, ut alias diximus, proficisci, aerem vero subinde ejusdem virtute varias, induere qualitates ex quibus alias alii apud nos effectus, quandoque salutares, sæpe pernicioſi exsistant oportet. *Apollo Cyclopas interficit.* Quare optimo jure Poëtæ, Cyclopas ab Apolline interfectos tradunt, qui pro nebulis, aliisque aeris male affecti qualitatibus capiuntur, e- *Apollo Æsculapii Pater.* undemque Æsculapii Patrem volunt ex quo Hygæa, quæ sanitatem so- *Æsculapius.* nat, est orta: Nam ut Pausanias refert, se à quodam Phœnice didicisse, AEsculapius aerem nobis repræsentat; qui à Sole ita noxis purgatur, ut nobis sit salutaris; quemadmodum & medici facere creduntur, qui sua arte vel ægrotis corporibus sanitatem afferunt, vel in sanis conservant. Itaque veteres Æsculapium ut medicinæ Deum coluerunt, qui Epidauri Græciæ civitatis tutelaris Deus credebatur, quæ ob ejus insigne templum apud omnes erat celebris, quemadmodum *Solinus* scribit: Nam qui afflictæ suæ valetudini medicinam quærebat, ad illud fanum proficiscebatur, noctuque ibi cubans, in somnis, quid sibi facto esset opus, discebat. Pausanias hujus Dei

Imago rz.a. *Risus Iovis.* *Exitium Saturni.* *Vbera Iunonis.*

simu-

simulacrum, quod Epidauri erat, in Corinthiacis hoc modo describit, sedet in Solio, scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente; Imaginis hujus Festus Pompejus hanc affert rationem in Æsculapii tutela est Draco, quod vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima est. Canes adhibebantur ejus templo, quod iis uberibus canis sit nutritus. Bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis. Laurea coronatur, quod à Pausania omissum, Festus addit, quia ea arbor plurimorum sit remediorum. Sed hic Deus promissa ferè barba fuit effictus, ut superius à nobis, cum de *Dyonisii* Tyranni sacrilegio diceremus, est expositum, sed interdum & imberbis ostenditur, qualem Petrus Appianus libro antiquationum eum describit; nam Auximi, quod est Agri Piceni oppidum, Æsculapii signum marmoreum est hac forma exsculptum; indutus esse videtur subucula græcanica, & amiculo succinctus; sinistra quidem in amiculi lacinia fructus nescio quos tenere videtur; dextera vero duos gallos continet; gallum enim ei ob vigilantiam, qua medicus debet esse præditus, antiqui & consecrarunt & sacrificare solebant. Quare Socrates, ut apud Platonem exstat, jam moriturus, testamento gallum Æsculapio legat, ita sapientissimus vir innuens, se lucis usuram, cujus est gallus nuncius, hoc est vitam divinæ bonitati, omnium morborum curatrici, quam Æsculapius designat, quæque divinæ providentiæ, ab Apolline adumbratæ, est proles, restituere, a qua & mutuatio acceperat. Æsculapium Phliasii quoque (hi Peloponesum incolunt) imberbem habuerunt; hujusmodi etiam, ut Pausanias refert, erat apud Sicyonios: nam in eorum Asclepiei vestibulo fuisse ait imberbem Æsculapium, ex auro, eboreque confectum, sceptrum dextera, sinistra vero manu domesticæ pinus pomum tenentem. Dicebant ipsum in draconis speciem ad se ex Epidauro mulorum bigis vectum; idque factum fuisse à Nicanora, fœmina *Sicyonia*: adeo non Romanis tantum serpens Epidaurius est impertitus; qui (si Valerio Maximo, id libro primo referenti credimus) triennio continuo vexati pestilentia, cum finem tanti, ac tam diuturni mali nullum imponi viderent, cura sacerdotum inspectis Sibyllinis libris, animadverterunt, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidauro Æsculapius esset accersitus. Itaque, eo legatis missis, unicam fatalis remedii opem ab eo se impetraturos crediderunt. Nec spe sunt falsi: nam ubi legati in templum ejus venerunt, is anguis, quem Epidaurii in modum Æsculapii venerabantur, per urbis celeberrimas partes mitibus oculis, & leni tractu labi cœpit, triduoque maxima cum omnium admiratione conspectus, tandem ad triremem Romanam perrexit; paventibusque inusitato spectaculo nautis, eo conscendit, ubi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem convolutus est, ac se Romam

Imago 13. a.

Gallus Æsculapio sacer.

Serpens Æsculapio sacer.

Æsculapius ut Romam advectus.

Romam perduci fivit, atque in Insulam Tyberis, ubi erat ei templum dicatum, transnavit; & adventu suo tempestatem, cui remedium quæsitus erat, dispulit. Quare non injuria Serpens in Æsculapii simulacro visebatur qui nonnunquam Scipionem, quem gerebat suis voluminibus complecteba tur. Hujus rei plurimæ esse possunt causæ, quæ ex Philostrato, Hygino, Eusebio, Plinio, Macrobio, aliisque nonnullis colligi possunt; ex quibus unam delegi, non quod ea sit visa omnium verissima, cum sit plane fabulosa, sed quod eam lepidissimam esse existimaverim. Ob insignia quædam opera, quæ in morbis vel desperatissimis curandis, ediderat, tam celebre apud o mnes erat Æsculapii nomen, ut vulgo vel mortuos ab inferis revocare posse crederetur. Quare Minos Cretæ Rex eum ad se accersitum jubet Glauco filio jam mortuo vitam restituere: ad quod cum nec precibus nec promissis tentandum posset adduci; erat enim opus longe majus, quam ut homini Præstare liceret: Minos ad minas atque vim conversus, eum in carcerem conjecit, non emissurus, quoad reducem filium ex inferis stitisset. Hic ergo loco secreto inclusus, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus arrepsisse: quem Æsculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem sæpius feriens. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, & in caput ejus imposuisse: quo facto, loco fugisse. Itaque Æsculapius usus herba eadem, Glaucum ab inferis excitavit. Ideoque Anguis semper Æsculapii Scipioni implicatus in omnibus fere ejus simulacris, quæ exstant videtur. Et ob hanc rationem, vel ob plurimas alias, quæ afferri possunt, angues semper in Æsculapii tutela esse sunt creditи. Nam Epidauri, ubi propriæ ejus erant quasi sedes, serpentes religiose colebantur, præcipue domestici qui hominibus sunt minime noxii: sed & Corinthi in ejus fano angues olebantur, ad quos nemo auderet accedere, verum, cibo ad templi fores relicto, recedebant. In agro etiam Corinthio alicubi inter multas Æsculapii imagines, quæ in proprio templo erant ei positæ, erat etiam quæ eum super anguem sedentem referebat, quem Arati matrem adumbrare dicebant, quacum AEsculapius concumpens, eum genuerat. Hoc Pausanias scriptum teliquit; qui & in Bœoticis narrat, in quadam spelunca Bœotiæ, vbi sunt Ercynæ fluuij fontes, quædam fuisse simulacra stantia, quorum sceptris angues circumvoluti erant: ea alij dicebant esse AEsculapij & Hygeæ, alij vero Trophonij, & Ercynæ; lucus enim, qui circa est, ab eo nomen sumpsit, & fluuius ab Ercyna Proserpinæ socia, est nominatus; cum non magis AEsculapio, quam Trophonio angues consecratos antiqui arbitrarentur, eos fortasse putantes tamquam oraculi nuncios, quod ex caverna edebatur, quam Antrum Trophonij dixerunt; ibi enim Trophonius diu delituit, futura prædicens, atque fame mortuus, ibidem est sepultus. Sed post mortem majori quam vivus

Fabula de Æsculapio.

Angues in Æsculapii tutela.

Trophonii antrum.

est

est honore affectus ; præcipue vero, quia mortuus adhuc non cessavit oracula profundere, vel quod ejus genius ibi permaneret, vel quod in ejus locum dæmon aliquis successisset. Quod ad oraculum pertinet, observabatur ritus hujusmodi. Vbi statuisset quis in Trophonii antrum descendere, primum, dierum certo numero erant ei Trophonii manes placandi; post quibusdam piaculis expiatus, in Ercyna, ad amnis fontes ducebatur : sunt vero duo inter se proximi. Bibenda illic erat Lethes, quæ dicitur aqua, quo cunctorum ei, quæ memoria complectebatur, oblivio contingeret : Mnemosines deinde, id est, Memoriæ aquas potabat, quominus ea, quæ intra ea penetralia vidisset, è memoria effluerent : his perfectis ad oraculum progrediebatur, tunicam indutus lineam, ac teniis incinctus, soliis popularibus in pedes inductis : is, humi procumbens, melle subactas offas tenens, pedes prius in cavernulam illam immittebat ; mox genua properabat ad pedes adjungere : statim reliquum corpus ad genua contractum, eodem prope modo, quo si maximi, & concitatissimi amnis aquarum vortice correptum fuisset, intro abripiebatur. Qui intra penetrale descendissent, futura non uno, & eodem cognoscebant modo, ex visis alius ex auditis alius id consequebatur. Per easdem fauces patebat omnibus reditus, in pedes vero retrogrediebantur, Consultorem a Trophonio reversum sacrificuli in Solio collocabant, Mnemosynes vocato; ab eo percontabantur quæcunque vel visa, vel audita reportasset, qui ea inscripta referebant. Facile crediderim eos, qui illuc descendissent, in maximas angustias fuisse redactos; pauci enim inde reversi postea sunt visi risisse. Multa alia præterea de hoc antro ibidem Pausanias refert, ut qui illud inviserit ? quæ ego, brevitati consulens, omitto ; & hoc quidquid attigi, feci, ut ostenderem quis Trophonius esset, eique non minus quam AEsculapio Serpentes consecratos fuisse. Cicero de Natura Deorum, multos esse Mercurios asserit, quorum vnum dicit subterraneum, eumdemque & Trophonium esse. Angues apud veteres sanitatis signa erant, nam, sicut angues, vetustis positis exuuiis, innouantur, ita & homines, sanitate recuperata, restaurari quodammodo videntur. Ideoque Salus effingebatur ab antiquis mulieris forma, in solio sedentis ; pateram tenentis, penes quam ara erat, aræ anguis inuolutus, caput attollens. Porro & Antiochus, qui cognominatus est Soter, cum adversus Galathas pugnaret, nec satis pro voto res succederet, essetque in discrimine, vel vidit, vel vidisse simulauit per quietem, ut militum animos spe erigeret, Alexandrum Magnum, qui moneret, ut Sanitatis signum proponeret, idque pro tessera tribunis daret, eorumque vestibus insueret ; ea re fore, ut victoria Potiretur. Vnde etsi hujus rei signum in veteribus Antiochi nomismatibus adhuc cernitur. Est autem triangulus triplex, invicem insertus, lineis quinque constans ; in quibus

Trophonii oraculum.

Sanitatis symbolum.

Salutis imago.

Salutis signum.

bus græce YTIEIA, latine Salus inscribitur Id erat Æsculapii filiæ nomen, ut supra dixi, cui vna cum patre divini ab antiquis honores deferebantur; statuæ que ambobus conjunctæ ponebantur, ut pausanias in Corinthiacis refert, de Æsculapij simulacro, quadam in parte Corinthii agri existente, cujus sola se facies, manus, & imi pedes ostendebant partes cæteræ lanea tunica, & pallio velabantur. Eodem fere habitu erat prope Hygeiæ signum, neque enim illud facile conspiceres; velatum enim undecumque erat partim comis, quas Deæ mulieres detotonderant, partim vero Babylonicæ vestis laciniis. Sed jam ad Solem revertamur, cujus radij cum eam vim habeant, ut aerem purum reddant, efficiunt quoque, ut uberes terra fructus proferat, quo fortasse Troadis quidam incolæ alludentes Apollini Sminthio statuam posuerunt, qui sic a muribus quos pede premit, est cognominatus, mures enim apud eos Sminthes dicebantur. Caussa varie proditur: Crinis fuit Apollinis sacerdos, is cum Dei sacra neglexisset, à terrestribus muribus agrorum fructu est privatus: quo damno ille commonitus, cum ad bonam frugem rediisset, Apollo mures sagittis confecit; nam mures aliaque hujusmodi animalcula, ex terra putrefacta, aereque male affecto exsistunt: hinc fit, ut segetes à muribus corrosæ, fructum edere nequeant; nisi Sol suis radiis noxis humoribus dispulsis, has pestes sustulerit, terræque vim ad fructus proferendos tribuerit. Sunt qui putent de Apolline Sminthio illud Plinij intelligi: Fecit Praxiteles Apollinem puberem, subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctо non, hoc est lacerticidam vocant. Alia quoque affertur ratio, cur Apollo Sminthius vocaretur, murisque species cum eo affingeretur; quæ est hujusmodi; Teucris è Creta profectis, datum erat oraculum, ibi eos sedem posituros, ubi terrigenæ eos adorirentur: id circa Amaximum, quod est Troadis oppidum, dicunt contigisse, maximamque agrestium multitudinem murium noctu exortam, quicquid armorum, & utensilium ex corio inveniisset, corrosisse, & Teucros ibi mansisse, ubi & templum Apollini Sminthio posuerunt; muresque, quos sminthas dicebant, maximo cultu sunt postea prosecuti: sed & mures cicuros alebant, eisque victus publice præbebatur, atque infra altare, ubi degebant, latebras habebant. Apollinis autem simulacrum, ita apud eos erat effictum ut murem pedibus premeret. Hinc manifeste cernamus licet, statuas Diis positas, ut superius, attigi, sæpe ea præ se ferre; quæ homines ab iis impetrassent; itemque ita effectas, ut illa in memoriam revocarent, quæ sub eorum auspiciis prosperè fœliciterque aliqui gessissent, quod abunde ex Pausania discimus, cum infinita simulacra Apollini Delphico consecrata recenset; ex quibus duo potissimum ad id declarandum mihi selegi: al-

Hygeia.

Apollo Sminthius.

Mures sacri habiti.

Caper æneus Apollini dicatus.

gi : alterum est Caper æneus, Apollini à Cleonæis dicatus ; cum enim sæviſſime in eos pestis grassaretur, responsum à Delphico oraculo reportarunt, ut caprum statim orto sole, sacrificarent, quo facto, peste sunt liberati : quare Delphos caprum æneum miserunt. Alterum est simulacrum Asini ænei, quod Ambraciotæ, quemadmodum Pausanius in Phocicis refert, Apollini Delphico consecrarunt, victis nocturna pugna Molossis : nam, cum in illos noctu insidias disposuissent Molossi, asinus, qui forte ex agro in oppidum agebatur, asellam insectans, cum multa lascivia vehementem ruditum sustulit : ipse etiam magaso per tenebras incondita voce inclamabat. Injecit ea res tantam Molossis trepidationem, ut statim insidiarum locum deseruerint. Eos Ambraciotæ, detecta fraude, noctu invadentes, prælio superarunt. Alexander Neapolitanus libro 11. genialium dierum refert, statuam Neapoli Apollini dicatam, quæ præter alia hujus Dei propria insignia columbam in humero habebat infixam, quam Parthenope inspicere, ac venerari videbatur ; hæc enim columbæ augurium sequuta, è Græcia profecta, in agro Neapolitano consedit : quippe cum nullam Coloniam sine consilio Deorum Græci transmitterent. Boetæ Phœbo, qui est & Apollo, quadrigam, qua veheretur, attribuerunt, equorum nomina ab Ovidio secundo Metamorphoseon recensentur, ita dicente ;

Asinus Apollini dicatus.

Columba in Apollinis humero.

Equi Phœbi.

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Martialis tamen duos tantum commemorat, his versibus ;

Quid cupidum Titana tenes ? jam Xanthus, & Æthon
Frena volunt.

Horum equorum nomina nobis Solis vim ob oculos ponunt, cum ejus currum trahere dicuntur ; qui quidem aureus totus ab Ovidio ibidem describitur, nisi quod rotarum radii erant argentei ; per currus juga Chrysolithi erant infixi, ex ordineque erant gemmæ disposita ; quæ, cum solis lumine ferirentur, mirabilem ex se fulgorem emittebant. Quod Ovidius currui Phœbi adscripsit, id Martianus Capella lib. primo Philologiæ, multoque plura ipsi Phœbo attribuit, ita enim de eo dicit, Erat illi in circulum ducta fulgens corona, quæ duodecim flammis ignitorum lapidum fulgurabat : quippe tres fuerunt à fronte gemmæ, Lychnis, Asterites, & Ceraunos : aliæ sex ex utroque latere rutilabant, quarum Smaragdus una, Scythis altera, Jaspis tertia vocabatur : inter quarum virorem fœta mari per lumina corruscabat, fronti quædam interioris suavitas resplendebat. Hyacinthos, Dendrites, etiam Heliotropios utrimque compacti : qui lapides coloribus suis terra ratis temporum vicibus herbidabant : quos ei ad obsequium numinis recurrentis Ver dicebatur, & Autumnus munere contulisse.

Phœbi currus.

Phœbi corona.

Poste-

Posterior autem pars coronæ Hydatide, Adamante, & chrystallo lapidibus alligabatur; hos enim hiems undosa genuerat. Ipsius vero divi auro tinctam cæsariem, comasque crederes bractratas. Facie autem mox ut ingressus est, pueri renidentis, in incessu medio juvenis anheli. In fine senis apparebat occidui, corpus autem ejus flammineum totum, pennata vestigia pallium coccineum, sed auro plurimo rutilatum. Sinistra autem manu clypeum coruscantem, dextera ardentem facem præferebat, Calcei vero similes ex Pyropo, non arbitror ulla hic opus esse explicatione; Imago enim clarior per se, quam ut nostram desideret explicationem. Quare ad aliam accedamus, quam Eusebius scribit, Elephantopoli, quæ est urbs Ægypti fuisse. Hæc humana forma erat efficta, caput arietis cum cornibus habebat, cærulei erat coloris; qui cum maris sit proprius, quod humidum est, innuit, quemadmodum Eusebio videtur Lunam Soli conjunctam in Arietis Signo, maximam in regione inferiori humiditatem efficere. Verum hujusmodi ad astrologos rejicio; nam ad rem, quam mihi tractandam proposui, Astrologiæ imagines facere non videntur. Imago 144.

Sed jam Solis imaginibus finem imposuero, si prius ejus aliam affigiem huc adscripsero, quam Claudianus libro II. in Proserpinæ veste adumbrat, ejus carmina ita habent;

Hic Hyperionio Solem de semine nasci
Fecerat, & pariter Lunam, sed dispari forma:
Aurora, noctisque duces, cunabula Thetis
Præbet & infantes gremio solatur anhelos,
Cæruleusque sinus roseis radiatur alumnis.
Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte
Cristatum radiis, primo clementior ævo
Fingitur, & tenerum vagitu despuit ignem.
Læva parte soror vitrei libamina portat
Veris, & parvo signantur tempora cornu.

Quod Thetis Solem dextera gestet, Lunam autem sinistra, Severianus, quemadmodum Janus Parrhasius in commentariis in Claudianum refert, intelligi vult, Deum, universi opificem Solem prius condidisse, postea Lunam, quam in extremo occidente collocavit, in adversa vero cœli regione Solem. At secundum Hyginum cœli dextera pars oriens, occidens sinistra nuncupatur, Sed tamen Hethrusci aruspices (ut idem Hyginus refert) orbem terrarum duas in partes secundum Solis cursum diviserunt, dexteram apellaverunt, quæ Septentrioni subjaceat, sinistram quæ ad meridiem, non absurde dici quoque posset, Solem dexteram esse, & Lunam sinistram, quod ille longe majores vires quam hæc habeat. Atque de Sole hactenus, nunc ad Auroram, quæ est Solis veluti anteambulo, veniamus.

Aurora licet Solem præcedat, ejusque nuncia habeatur; tamen non injuria Soli est à nobis postposita, quandoquidem illa ab hoc ortum trahat; Aurora enim à Solis radiis efficitur, cum primum ii nostrum hunc orbem mane illustrant, unde fit ut ab igne Solis aureo aer aurescat. Ex quo, occasione sumpta, Poëtæ alii alias de ea fabulas confinxerunt, variis eam modis describentes, qui quidem ad rem nostram facere non videntur; quare eos tantum attingam, qui ad ejus imagines referri possint. Sed tamen nunquam me legisse memini, Auroræ, quamvis in Deorum album ab antiquis esset relata, ullam apud eos statuam positam; nisi forte quod apud Pausaniam exstat, Athenis ex argilla fuisse Auroræ simulacrum, Cephalum rapientis. Sed quomodo id esset effectum, mirum silentium. Quare ejus speciem abumbrare studebo ex iis, quæ de ea Poetæ dixerunt. Homerus eam coma flava ac aurata, χρυσόθρονον id est, in aureo sedentem solio, vestemque aurata indutam facit. Virgilius in opusculis eandem roseis manibus dicit sidera dispellere. Ovidius fingit illam, cum Phœbus est ex oriente prodituras, cæli fulgentes portas patefacere, quæ recentibus rosis sint refertissimæ. Nonnulli facem ei tradunt, curruque vehi volunt, qui Pegaso alato equo trahatur, quem dicunt, eam à Jove impetrasse, post excussum ex eo Bellerophontem. Hoc eo fortasse refertur, quod tempus illud matutinum sit ad carmina pangenda commodissimum: nam Pegasus equus pede humum feriens, fontem Hippocrenem dictum effecit, qui postea a Musis est ita frequentatus. Homerus tamen illi in XXIII. Odyss. equos adscribit, Lampum, & Phaethonta. Aliqui fingunt Auroram primo mane fulgentem, e cælo exsistere, aerem puniceis rosis, & variorum generum floribus conspergere. Alii aliter ejus speciem describunt, ut eum colorem exprimant, quem Solis radii summo mane efficiunt, qui quidem medius est inter flavum atque rubrum.

Equus Auroræ.

DE DIANA.

DIANAM veteres venationis Deam dixerunt, in ejusque tutela silvas ac lucos posuerunt, quod ea ab hominum consuetudine abhorrens, ibi vitam in venatione transegerit, quo melius virginitatem servaret; Quare ei Nymphæ habitum induerunt, in cæteris hujusmodi eam effinxerunt, qualem Claudianus nobis lib. II. de Raptu Proserpinæ describit, his carminibus;

At Triviæ lenis specie, & multus in ore
Frater erat Phœbique, genas, & lumina Phœbi
Esse putes; solusque dabat discrimina sexus.
Brachia nuda nitent; levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remisso,
Ocia nervus agit: pendent post tergora sagittæ:
Crissator gemino vestis Cortynia cinctu,
Poplite fusa tenus.

Huic

Huic comites dabant virgines, quæ à Claudiano lib. III. Paneg. Stil. ita repræsentantur, *Diana comites*

-veniunt humeros, & brachia nuda
Armataque manus jaculis, & terga sagittis,
Incomptæ, pulcræque tamen, sudoribus ora
Pulverulenta rubent: sexum nec cruda fatetur
Virginitas: sine lege comæ: duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant.

Idem Claudianus Dianæ arcum vult esse corneum: aliter atque Ovidius, qui aureum facit, ita de Syringe dicens;

-ritu quoque cincta Diana
Falleret, & credi posset Latonia, si non
Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.

Ita de Diana veteres fabulabantur: & sicut sub Apollinis nomine Solem, ita sub Diana Lunam coluerunt; quam quidem *Dianam* vocaverunt, quasi Devianam; Luna enim ab Ecliptica sic dicta interdum deviat, quemadmodum venatores, per devia, ac silvas deviare solent, captantes feras; quarum Dianæ cervus gratissimus fuit; cujus rei illud fuit argumento, quod, cum Agamemnon ipsius cervum occidisset, ignarus, irata Dea ingentibus malis Græcorum exercitum Aulide afflixit, neque eos variis calamitatum generibus insectari destitit, quoad Agamemnonis sanguine placaretur, Iphigenia ejus filia ad ipsius aram adducta; quæ, cum in eo esset, ut immolaretur, numinis miseratione sublata est, cerva supposita, cujus sanguine Deæ ira est mitigata, eaque ad Tauricam regionem translata, Sacerdos est effecta Dianæ; ubi ex more advenas incolæ immolabant, præsertim Græcos, illuc delatos; hoc modo: postquam preces peregerint, hominis caput clava feriunt; truncum corpus proturbant è rupe: est enim in prærupta rupe templum positum; caput palo affixum ibi reservant. Dum tam impia sacra Iphigenia ibi procuraret, ecce ejus frater Orestes, parricidium Colchis expiaturus, illuc appulit; quem ut soror agnovit, noluit more exterorum hospitum immolare: sed quia incolæ id passuri videbantur iniquiore animo, una cum eo fugam arripuit, secum Deæ simulacrum, fasce lignorum absconditum asportantes, unde & Diana Fascellina est dicta, idque Ariciam; quod oppidum non longe Roma distat, detulerunt, ubi diu mos hospitum immolandorum servatus est. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret (quamquam servi tantum ad aram mactarentur) ad Laconas est Diana translata, ubi sacrificii consuetudo adolescentulorum verberibus servabatur: ritus erat hujusmodi: Sorte adolescentes aliquot ducebant, hos aræ Deæ impositos ita cædebant, ut uberrime toto è corpore sanguis manaret: quod tantum abest, ut illi ægre ferrent, vel dolorem aliqua vultus immutatio-

tatione præ se ferrent, ut alacri animo inter se contenderent, quis virilius verbera illa perferret. Sacris præerat fœmina, ea tantisper dum cædebantur pueri, signum Deæ præferebat. Verum, si, quibus cædendi negotium datum esset, cum quopiam eorum, qui cedebantur ephœborum, vel ob speciem, vel ob natalium claritatem agerent Parcius, tunc signum alioquin propter brevitatem leviſſimum, ajunt eousque grave factum, ut sacerdos illud sustinere nequiret: quod ubi animadvertisset, in cædentes scilicet causſam conferebat, seque eorum culpa querebatur onere opprimi. Sed quamvis hujumodi ita inhumani sacrificij genus, Deam virginem, benignamque admodum dedecere videatur, tamen eam delectatam fuisse ajunt suam aram sanguine humano videre conspersam quod etiam Patris factitatum esse legimus apud Pausaniam in Achaicis, ubi quotannis virgo & puer qui forma essent præstantiſſima, *Deæ* mactabantur, quo ejus iram placarent, ideo conceptam, quod in ipsius æde sæpius adolescens cum Sacerdote concubuisset: atque illi quidem brevi morbo consumpti, impietatis pœnas Dianæ dedere: consequuta vero est exlæsi numinis ira summa terræ sterilitas, & miseranda hominum lues; quibus impio hoc sacrificio est obviam itum. Sed facile crediderim, inhumanum hunc Deorum placandorum morem populis quibusdam acceptum esse referendum, ut qui natura sævi, innatam crudelitatem explere studerent, humanis hostiis alii atque alii Deo immolandis. Atqui non obscuris argumentis Diana se hominum sanguine haud delectari significavit, cum Iphigeniæ loco, sibi jam sacrificandæ, cervum supposuit. Quare hinc consuetudo apud veteres manavit, cervæ Dianæ immolandæ: quod olim à Romanis statis temporibus servabatur: atque ideo cervorum cornua in omnibus Dianæ templis, suspensa videbantur, nisi quod Romæ in monte Aventino, ubi & Dianæ fanum erat, bovis cornua, non cervi pendebant. Cujus rei eam causſam Plutarchus in quæstionibus Romanis affert; quod, cum in Sabinis Antroni Coronatio bos insigni specie ac magnitudine nata fuisset, à vate deinde quodam monitus fuit, si quis eam bovem in Aventino immolasset, factum iri, ut ejus qui rem divinam feciſſet, civitas totius Italiæ imperio potiretur: homo, re credita, ut bovem immolaret, statim Romam venit: Servus interim Servio regi, clam rem omnem indicavit: ille è vestigio Cornelio Sacerdoti imperavit, ut Antroni, antequam rem divinam faceret, in Tyberi se ablueret, rite præciperet (sic enim eos qui litare vellent facere consueſſe) Antro cupide profectus, lavit: Servius interim occupavit, ac Dianæ bovem immolavit, & cornua templo affixit. Quare urbi Romæ, cum is qui sacrificasset, Romanus esset, imperium est partum; indeque mos ortus, bovis cornua in vestibulo hujus templi affigendi: quod eo fortasse referri etiam potest, quod hoc animal magnum cum Luna cognationem habet, ut inferius dicemus; Lunam autem eandem esse,

atque

atque Dianam, constat. Sed modo ad cervos revertamur, qui Dianæ sacri sunt habiti; non veteres interdum ejus simulacra cervinis pellibus vestiebant, ut apud Pausaniam est legere, qui refert in Arcadia quoddam Dianæ extare simulacrum, ceruina pelle indutum, ex cujus humeris pharetra sagittarum plena pendebat; altera manu facem ardentem, altera vero angues duos continebat, prope canis venaticus astabat. In quadam etiam Achajæ parte, ut idem refert Pausanias, Dianæ simulacrum erat, ex auro ac ebore confectum, id venatricis speciem referebat, pridie antequam anniversarium sacrum facerent, Pompam Deæ magnificentissimo apparatu transmittebant: in ea virgo quæ Sacerdotio fungebatur, postrema omnium cervorum bijugo cursu vehebatur. Poetæ quoque Dianæ currum à candidissimis cervis tractum attribuunt; quemadmodum Claudianus *in III. Stilic. Paneg.* ita de ea canit;

Diana simulacrum.

Imago 15.a.

Diana currus.

Dixit, & ex templo frondosa fertur ab Alpe
Trans pelagus: cervi currus subiere jugales.

Eam dicunt curru vectam, à velocissimis animalibus tracto, ideo, quod Luna citissimo motu suum cursum absolvat, cum omnium erronum minimum orbem sit sortita. Aliis quoque Diis currus sunt dati, ut cœlis, quibus ii præsidere dicuntur, in orbem torqueri significarentur. Deorum vero cuique sua propria sunt animalia dicata, à quibus trahantur. Interdum legitur ejus currus ab equis tractus, quorum unum nigrum, alterum Album *Buccatius lib. IV. Genealog. vult*: nam ea non solum nocte sed die videtur. Porro & Boum bigis vehi fertur, propter Lunæ scilicet cornua. Festus de hac re ita. Mulus inquit, vehiculo Lunæ adhibebatur, quod tam ea sterilis sit, quam Mulus, vel quod, ut Mulus non suo genere, sed equis creatur, sic ea solis, non suo fulgore luceat. Pausanias cum admiranda quæ in Jovis Olympii templo apud Eleos visebantur recenset dicit, ibi esse Dianam, quæ equum, ut sibi videbatur, ad cursum incitaret, etsi, inquit, jumentis ferunt non equis Deam vehi, futili quadam de mulo fabula vulgata: neque quidquam aliud de ea re dicit. Prudentius libro contra Symmachum antiquos scribit sterilem Vaccam Lunæ immolavisse, bigaque sterilium Vaccarum eam vehi. Sunt qui & juvencos Lunæ currum trahere dixerunt: inter quos est Claudianus qui lib. III. de rapt. Proserp. Cærerem fingit tædas de igne Ætnæo ad amissam filiam quærendam accendisse, sic dicens.

Equi Lunæ.

Mulus Lunæ vehiculum trahit.

Juvenci Lunæ currum trahunt.

Tum ne deficerent, tantis erroribus ignes:
Semper in occiduos, & sopitosque manere
Jussit, & arcano perfudit robora succo,
Quo Phaëton arrogat equos, quo Luna juvencas.

Ausonius etiam Paullino scribens in hanc sententiam sic dicit:

Jam succedentes quatiebat Luna juvencas.

Hujus,

Hujus rei eadem potest afferri, quæ superius, cum diceremus, cur Mulorum bigis vectaretur; nempe quia hæc animalia sterilitatem significant: nam, ut Xenophon scribit, & quotidie fieri nos videmus, tauris virilia abscinduntur, ut magis cicures, & ad terræ cultum aptiores reddantur, cum tamen prolis procreationi non sint amplius idonei: vel hoc animal Lunæ est sacrum propter cornuum similitudinem; nam in ejus simulacro, quod Nympham referebat, duo brevia cornua effingebantur. Et apud Ægyptios Lunæ bos dicabatur, cui ut Plinius lib. IIX. scribit, insigne in dextero latere candicans macula, cornibus Lunæ, crescere incipientis. Eidem etiam semestrem bovem sacrificabant, cum filiis recens natis nomina imponerent, septimo scilicet ab ortu die, vel decimo, secundum aliorum sententiam. Hoc honore veteres Lunam afficiebant, forte, ut gratias agerent, quod ejus opera fœtus mature prodiisset in lucem; nam Luna cum sit humida, partum sæpe celeriorem, faciliorémque reddit. Quare cum mulieres parturirent, ejus opem implorabant, eam Lucinam nuncupantes, quo cito, absque ullo discrimine ea fœtum in lucem extraheret. Sed quod mulieres in pariendo Dianam Lucinam invocent, hujusmodi exstat fabula; ea statim atque ex Latonæ utero emersisset, ad matrem conversa, ei ad alterum fœtum educendum, opem tulit: quare olim Lucinam orabant, ut periclitantibus mulieribus præsens adesset, quo manibus suis inclusum fœtum excluderet, quam opem ipsa matri parturienti præstitisset. Neque Diana solum, sed etiam Juno, ut inferius videbimus, Lucina est cognominata. Alij existimabant neutram ita nominandam, sed aliam quandam mulierem, quæ usque ab Hyperboreis montibus Delum, suppetias Latonæ parturienti latura advenit: indeque ad alias gentes ejus nomen & cultus manavit, ut ubique ei templa, aræ statuæque consecrarentur, ut quæ omnium Deorum ortum præcessisse putaretur, cum ejus ope opus habuissent, ut in lucem ederentur. In quam sententiam Lycius quidam poeta, quemadmodum Pausanias refert, in hymno, quem scripsit in Dianam, eam dicit, Saturno antiquiorem; quibusdamque nominibus eam insignit, quibus existimari possit, eam de Parcarum numero fuisse, hæ enim longe maximam sibi partem vendicant in partubus, ut suo loco dicemus. Sed anxia nimis hujus Deæ Lucinæ, cuimodi ea fuerit, aut unde emerserit pervestigatione aliis relicta, ad ejus simulacra exprimenda accedamus; quæ apud Athenienses non nisi tecta videbantur, ut narrat Pausanias. Ejus statua apud eosdem erat rude lignum, aut aliquid hujusmodi, nisi quod aliquam mulieris speciem informatam habebat, id semper erat tectum, nec ullius umquam aspectibus patuit. In quadam Achaiæ parte templum valde vetustum hujus Deæ exstabat, ubi ligneum simulacrum ostendebatur, sed tamen facies, manus atque pedes erant marmorei; cætera membra lineo velo obtegebantur; manuum altera in rectum porrigebatur, nihil tenens; sed clavis non absurde potuisset addi. Festus

Luna præest partui.

enim

enim scriptum reliquit, clavem olim solere mulieribus tradi, ut eo instrumento quo portæ patefiunt, facilis illis partus portenderetur: sed forte rem eandem Lucinæ manus aperta, ac extensa ostendebat, altera autem manus ardentem facem præferebat; ea ratione, vel quod partus dolores igni æquentur; vel quod hæc *Dea* nascituris infantibus præluceret. *Fax in Dianæ manibus.* Hujus tempora Dictamno veteres vinciebant; ea enim herba parturientibus imposita, multum prodest. Arcu armatam eam olim affingebant, eo modo acutos dolores significantes, quos mulieres in partu sentiunt. Quare M. Tullius Cicero in Orationibus contra Verrem Dianæ simulacrum describens: dicit; altum erat, magnum, veste ad talos usque contectum, facie juvenili, virginali aspectu, dextera ardentem facem præferebat, sinistra arcum tenebat, sagittæque ex humeris pendebant. De face accensa idem scribit Pausanias, quoddam scilicet Dianæ æneum simulacrum in Arcadia sex circiter pedes altum facem gestasse: quod eo etiam fortasse referri potest, quod ea nocte lucens, viatoribus iter commonstret; quare ibi Hegemone, hoc est, Ductrix erat cognominata; sicut & Romæ in templo, quod in Palatio sibi dicatum esset Noctiluca dicebatur. Sed & aliis multis nominibus appellabatur, de quibus postea. Pausanias, cum Cypselli Corinthiorum tyranni arcam Corinthi in Junonis templo positam describit, dicit; in eo exsculptas atque incisas esse multas imagines; quarum quædam erant aureæ, quædam eburneæ; inter quas Dianæ simulacrum videri alatum, dextera pardum ostentans, sinistra autem Leonem: cujus rei nullam se rationem afferre posse affirmat. Quare neque ego fateri dubitabo, me nescire, quid sibi id vellet. Quilibet ergo quod sibi videatur excogitet, per me licebit.

Diana ob tres facies, quas illi poëtæ attribuerunt, Triformis, tergemina, ac Trivia est nuncupata. *Diana triformis.* Neque *Diana* solum his nominibus est insignita, sed etiam Hecate: de qua Ovidius sic dicit;

Ora vides Hecates; in tres vergentia partes.

Sed tamen idem amborum numen erat, quamvis nominibus inter se differrent, ut diversæ efficacitates, ac qualitates, effectusque qui ab una, eademque Dea manare credebantur, ob oculos ponerentur. Quare est in *Hecate.* fabulis, Hecatem à patre Jove habere, ut elementis præesset; nam ἑκατὸν centum significat, quo numero Græci aliquando infinitam designant multitudinem: quia Hecate infinitas habere potestates crederetur: Luna enim legem quasi imponere elementis; cunctisque ex eis coagmentatis videtur, nam illa mutata, & hæc quoq; mutantur. Aut Luna est Hecate dicta, quod in centum ei altaribus, viridi ex cespite factis veteres sacrificarent. centumque victimas immolarent, quæ ut plurimum sues erant, atque oves: verum si sacrificium esset pro Imperatore, centum Leones aut aquilæ mactabantur. *Hecatombe.* Atque ideo hoc sacrificium Hecatombe dicebatur. Neque tamen credide-

rim, semper tot hæc animalia, quæ in sacrificiis adhibebantur, fuisse vera, sed interdum assimulata; solebant enim veteres nonnumquam ex odoratis rebus, aut alia materia animal effingere immolandum, quod non nisi magna cum difficultate inveniretur. Pauperes etiam cum pecuniam in veras victimas erogare non possent, has fictas in sacrificiis (ut est auctor Suidas) supponebant; idemque legere est apud Herodotum, cum dicit Ægyptios nulli alij Deorum suem sacrificasse, nisi Lunæ, aut Baccho, aut etiam festis illis, quæ plenilunij tempore celebrassent, magnopere caventes vel a solo belluæ contactu aliis diebus à prædictis, quibus ex suis quoque carne absque religionis ullo metu comedebant: pauperes autem qui ob inopiam verum suem sibi comparare non potuissent, simulatum sacrificasse. Appianus refert Cyzicenos, quorum civitatem Proserpinæ a Jove dotis nomine datam jactabant; cum nigram bovem quotannis ei Deæ immolare solerent, & obsidione a Mithridate pressi, talem invenire non possent, frumentaceam effinxisse; sed dum sacrificium appararent, nigram qualem eorum ritus requirebat, ex mari per mediam hostium classem tandem in civitatem ingressam esse, & sponte ad Deæ aram ubi accessisset, à populo publica lætitia esse mactatam, maxima spe concepta ex fausto illo omine, fore ut ex obsidione liberarentur: quod & brevi accidit; nam mithridates, multa in ea obsidione incommoda perpessus, ab incepto desistere est coactus. Dido apud Virgilium postremum ante mortem sacrificium. Averni simulatis aquis spargit, ubi Servius adnotat, apud veteres fuisse in more positum, in sacrificiis ea simulare, quæ nullo pacto, aut vix nanciscí potuissent. Idem alibi dicit, aquam qua Isidis templum aspergebatur, non semper ex Nilo fuisse haustam, licet vulgo inde advecta diceretur. Neque vero solum simulatæ victimæ verarum loco ils adscribebantur, qui veras sacrificare nequirent; sed manus quoque Deorum suppliciter exosculari, quibus aliqua essent sacrificia peragenda, solebant quid ad aliquid immolandum obstricti, cum se id præstare non posse viderent, Deos ipsorum prompto animo inspecto, aliud sacrificium non expetituros arbitrabantur. Consuetudo etiam apud veteres erat, Deorum simulacra osculandi; ut ex Cicerone in orationibus contra Verrem intelligi potest; cum dicit. Agrigenti, quod oppidum est in Sicilia, æneum fuisse Herculis simulacrum, quod os, atque mentum detrita haberet, propter frequentiam scilicet eorum, qui eo venerationis gratia accederent. Prudentius cum cultus rationem describeret, quo antiqui Solem prosequebantur, inter cætera dicit, eos equis quoque, qui Solis currum traherent, pedes fuisse osculatos. Sed jam ad Hecaten revertamur. Ea in triviis colebatur, ubi canem ei sacrificabant, inconditis verbis, ac ululatibus preces concipientes, ut Cererem ejus matrem (nam eandem Dianam, ac Proserpi-

Victimæ simulatæ.

Deorum manus exosculari.

nam

nam existimabant) imitarentur, cum filiam amissam quæreret. Mos fuit locupletum; ut singulis mensibus Lunæ sacrificarent, pancisque; & alia in triviis proponerent. quæ mox ab inopibus, & egenis raperentur hæc Hecates cœna dicebatur, quemadmodum Suidas refert; qui dicit etiam, eamdem interdum se horribili forma ostendere, nempe ingentis hominis, qui caput serpentis haberet. Eadem dicta, atque efficta est triformis, quod triviis scilicet præsit: alij dixerunt, atq; fortasse melius, eam ideo secundum Orpheum tria ora habere, quod Luna variis se aspectibus ostendat, quodque vires suas exserat in cœlo, ubi Luna appelletur; in terris, ubi Diana dicatur; & in penitissimis etiam inferorum locis, ubi Hecate, atque Proserpina nuncupetur: ea enim ad inferos descendere creditur, cum se nobis condit. Quæ ab Eusebio ita explicantur: Luna Hecate atque Triformis appellatur, ob varias, quas induit figuras; prout magis ad Solem accedit, vel ab eo recedit. Quare triplici est virtute prædita, quarum una est, cum primum suum lumen huc influit, ita rebus accretionem præbens: hunc vero Lunæ aspectum antiqui ostendebant, Lunæ simulacrum candidis, atque auratis vestibus induentes, accensamque facem ei præbentes in manus. Altera vero ejus vis est, cum medium lumen habet: quod calatho adumbrabatur, quo ejus sacra ferebantur: nam dum Lunæ lumen in dies majora suscipit incrementa, fructus quoque quotidie magis matureſcunt, qui ubi tempestivi effecti fuerint, ex arboribus decerpti, in calathos reconduntur. Tertius ejusdem status est, cum ad plenilunium pervenerit, qui vestibus subobscuris designatur. Lunæ quoque sicut & Apollini olim sacra erat Laurus, nam ab hoc illa lumen suscipit, ab eodemque colorem quemdam igneum, quem interdum facie præ se fert, mutuatur. Eidem papaver quoque veteres consecrarunt, ob multitudinem scilicet animorum, quos Lunæ orbem incolere stulta persuasione credebant. papaver enim sua forma civitatem refert, cum ejus caput ita incisum mœnia repræsentet, quæ intra sunt, granula multiplicia hominum multitudinem denotant. Sed non est mirum, promiscuum vulgus ita delyrasse: nam & Philosophi sunt inventi qui opinarentur, Lunæ orbem non minus atque terram ab hominibus habitari: maculasque, quæ interdum in Luna exsistunt, oppida, sylvas, montesque esse dicerent, qui ibi essent: sed eorum commenta Plinius redarguit, asserens illas ex humiditate, quam ex terra ad se Luna attrahit, procreari. Pausanias in Corinthiacis scribit, præ cæteris Diis in primis Hecaten coluisse Æginetas, cujus apud eos ligneum signum, à Myrone fabrefactum exstaret: hujus unicum tantum os, reliquum vero corpus uti truncus: nam primus Alcamenes Athenienſibus triplex fecit junctis corporibus, Hecates signum, quam Epipyrgidiam illi apellabant. Trium capitum, quibus Hecate

prædita erat, dexterum erat equinum, sinistrum canis, medium rusticani hominis, sed alii volunt, esse apri: quod forte magis cum Lunæ natura congruit, quæ, ut dicebamus, eadem est atque Diana, quatenus in terras vires suas exserit: aper vero optime in Dianam quadrat, hæc namque bellua semper in silvis degit: equinum caput ejus velocitati respondet, cum brevi temporis spatio summa cum velocitate suum cursum absolvat: canis confirmat id quod de ea dicebamus, cum nobis sese condit, vocari scilicet Proserpinam: inferorum enim Deo canis est sacer, cujus rei amplam nobis fidem facit Cerberus ille poetarum fabulis ita celebratus. Prudentius, cum in veterum superstitiones invehitur, pro quibus asserendis Symmachus tanquam pro aris, & focis certat, ita de Luna dicit.

Et regnare simul cæloque, Ereboque putatur:
Nunc bijugas frænare boves, nunc sæva sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro:
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux,
Imperitat Furiis, & dictat jura Megeræ,
Si verum quaris, Trivia sub nomine Dæmon
Tartareus colitur.

Porphyrius, quemadmodum Theodoretus Cyrensis Antistes refert, cum de cacodæmonibus scriberet, inter cætera dicit, Hecaten inferni veluti Reginam pro suo imperio, dæmonum aliquos in aerem ablegasse, alios in aquam, multos quoque in terram. Dixerunt præterea antiqui, Hecatem iis, qui maximo aliquo mœrore opprimerentur, spectrum quoddam immittere sæpe solitam, quod subinde in alias, atque alias formas mutaretur, ut Suidas ex Aristophane refert, id scilicet visum interdum se bovem, alias mulum, nonnunquam formosissimam quoque mulierem, neque raro canem ostendisse: Quare Empusa appellabatur, quod uno pede incederet; alii ejus sunt opinionis, ut existiment, Hecatem ipsam eas formas induere, atque meridie sese videndam præbere; cum videlicet quibusdam ritibus manes exparentur. Quare in proverbium abiit, ut cum vellent eos denotare, qui varii essent, nunquamque eodem perseverarent statu, quique quales tandem essent, non aperient, eos dicerent, Empusa mutabiliores: Lucianusque de saltationibus loquens, videbis inquit, saltatores eodem in tempore subito in aliam transmutari speciem, atque ipsum referre Protheum, quin & Empusam quæ sese in innumerabiles vertit formas. De alia quoque Lunæ imagine narrat Eusebius, quæ visebatur Apollinopoli, quod erat Ægypti

Imago 16. a.

oppi-

oppidum; Homo erat albus, cujus caput erat accipitris: ejus candor innuebat, lunam non sua luce, sed alterius lucere, hoc est solis quam accipiter adumbrat, cum sit avis soli sacer, ut superius dicebamus, cum de Sole Imaginibus egimus.

Isis.

De Iside apud veteres legitur, Ægyptios eam nigris vestibus indnisse: ut Lunam, quæ pro Iside capitur ostenderent, per se opacam atque obscuram esse. Ejus statua Mulierem referebat, quæ duo cornua vaccæ instar in capite haberet, quare, ut scribit Herodotus, Ægyptiis nefas erat, Vaccas immolare, licet boves atque vitulos quo minus mactarent nulla religione impedirentur, cum Isis in Vaccam mutata fuisse dicatur à Jove, postquam cum ea concubuisset, ne Juno, re cognita de ea pœnas caperet, hæc apud Græcos Jo dicebatur, sed ubi in Ægyptum esset delata, Isis vocari cœpit. Effingebaturque dextera sistrum tenens, sinistra situlam: quare ut Servius refert Ægypti genius est credita, ut per ejus simulacrum illius regionis natura adumbraretur, nam per sistrum, Nili accessum significabat, cum universam Ægyprum inundat; per situlam omnium Ægypti lacunarum fluentiam ostendebat. Alii, ut Macrobius & Servius narrant, eam esse terram existimant, vel rerum naturam Soli subjacentem. Hincque est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denseatur, quia vel terræ, vel rerum naturæ alimento nutritur universitas: Atque ita etiam naturæ Imago est ab antiquis expressa. Sane hujusmodi simulacrum repertum Romæ fuit. Sub Leone X. Pontifice maximo. In Numismate Hadriani hæc eadem effigies videtur. Ægyptii, cum naturam vellent innuere suis Hyerogliphicis litteris, Vulturem depingebant, cujus ratio est, quemadmodum Marcellino atque Æliano videtur; quod inter Vultures masculus non reperitur, sed omnes sunt fœminæ; Masculi autem vicem Eurus subit, qui eas gravidas reddat, non secus atque Zephyrus vere, terram atque arbores fœcundet. Isidis etiam simulacri tempora abrotono ornabantur, quam & sinistra gestabat, dextera autem naviculam: quæ fortasse ejus in Ægyptum adventum commemorabant: ubi & festi quidam dies Isidis naviculæ, ut Lactantius scribit, erant instituti: nam falsum omnino est, quod fabulis traditur, eam scilicet in vaccam conversam, mare tranasse; cum revera navi delatæ, illuc appulerit. Quare Ægyptii eam navigationibus præposuerunt, ab eaque felicem navibus cursum precabantur. Itaque Lucianus quodam in Dialogo Jovem introducit, Mercurio jubentem, ut Io mari in Ægyptum advehat, ubi eam Isidem curet appellandam; numenque constituat, quod ea sit potestate præditum, ut ejus nutu Nilus inundet, venti flent, nautæ incolumes conserventur. Apuleius Isidem Lib. de Asino aureo loquentem facit, in hæc fere verba; Cras mea religio incipiet, quæ tamen in omni æternitate perseveret; cumque meo jussu hiemis tempestas sit sedata, mareque in summam tranquillitatem sit redactum,

Natura.

Vultur naturæ symbolum.

ctum, & idoneum ad navigationem redditum; mei mihi sacerdotes naviculam sacrificabunt, qua meum transitum in memoriam reducant: quo fortasse Suevi Germanorum populi spectarunt, qui testibus Tacito, atque Alexandro Neapolitano, Liburnam navem divino cultu prosequebantur, hanc veram Isidis imaginem esse sibi persuadentes. Sed Ægyptii, ut Ælianus refert, ejus tempora serpente cingebant: idem apud Valerium Flaccum quoque legitur, qui & sistrum ei in manus tradit. Ovidius, cum in lib. Metamorph eam fingit Thelctusæ in somnis visam, ita describit:

Inachis ante thorum, pompa comitata sacrorum
Aut stetit, aut visa est: inerant lunaria fronti
Cornua cum spicis, nitido fulgentibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis:
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet:
Sistraque erant, numquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Apuleius quoque secundum quietem se eandem vidisse testatur, cum esset Asinus; atque iis coloribus depingit, ut manifeste Lunam innui pateat, quam Ægyptii hujusmodi rerum involucris venerabantur. Quare & Martianus Capella, suam Philologiam, Lunæ orbem ingressam, multa ibi sistra, Cereris faces, Dianæ arcum, Cybeles timpana, illamque figuram triformem vidisse dicit. Sed ad Apuleium revertamur, qui in XII. lib. de Asino aureo scribit, eam sibi dormienti pelago medio venerandos etiam Diis vultus attollentem esse visam (nam Poëtæ fingunt, Solem, Lunam, cæteraque astra cum occidunt, in oceanum se immergere, ex eoque cum oriuntur, emergere) atque de hinc paulatim toto corpore pellucidum simulacrum, excusso pelago, ante se constitisse. Ei jam primum crines uberrimi, prolixique, & sensim intorti per divina colla passim dispersi; molliter defluebant, corona multi formis variis floribus sublimem distinxerat verticem; cujus media quidem super frontem plenam rotunditas in modum speculi vel immo argumentum Lunæ, candidum lumen emicabat, dextra lævaq; sultis insurgentium viperarum cohibita, spicis etiam cerealibus, desuper porrectis multicolor byssotenui pertexta, nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, roseo rubore flammida, & quæ longe, longeq; cujusvis confutabat obtutum, palla nigerrima splendescens, atro nitore, quæ circum circa remeans, & sub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vicem, dejecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula ad ultimas oras, modulis simbriarum decoriter confluctuabat per intectam extremitatem; & in ipsa ejus planicie stellæ dispersæ corruscabant, eorumque media semestris luna flammeos spirabat ignes. Quaqua tamen insignis illius pallæ perflue-

perfluebat ambitus, individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis, adhærebat. Jam gestamina longe diversa: nam dextra quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus reddebant argutum sonum; lævavero cymbium dependebat aureum; cujus ansulæ, qua parte conspicua est insurgebat aspis, caput extollens arduum, cervicibus late tumescentibus: pedes ambrosios tegebant soleæ, palmæ victricis foliis intextæ. Ita Apuleius nobis Isidem adumbrat: cui non injuria albam vestem, luteam, atque rubram attribuit; quod Luna scilicet colorem subinde mutat: ex quo multi tempus quale sit futurum præsagiunt; nam rubor ventos, nigror pluvias, candor serenitatem portendit; quemadmodum Virgilius lib. 1. Georg. dicit;

Luna revertentes quamprimum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascetur ab illo,
Exactum ad mensem pluvia, ventisque carebunt.

Vestis autem tota nigra significat, ut sæpius est à nobis dictum, non sua, sed aliena luce lucere. Nonnulli opinantur, sistrum ad antiquorum morem respicere, qui nocte sub dio æneis, ac ferreis vasis maximum strepitum edebant tempore defectus Lunæ, ita existimantes, se Lunæ laboribus consulere posse, nam eclipseos causam ignorantes, quæ est terræ inter Solem, atque Lunam oppositus, eam veneficorum carminibus vim pati dicebant; nam erant, qui se suis veneficiis vel Lunam è cœlo deducere posse jactarent; ut Virgilius in Pharmaceutria dicit:

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

De medea legitur (si credere fas est) eam vel invitam Lunam è cœlo in terram compulisse. Lucanus, cum de Thessalis veneficis loquitur, eos asserit primos, qui vim stellis intulerint, Lunamque nigram effecerint, cum maximè lucida esse deberet; eamdemque in terras pertractam, ea facere cogerent, quæ eis libuissent. Apud Apuleium quædam venefica se maxima quæque mala Diis irrogare, ac stellis pro sua libidine lumen adimere posse gloriatur: vis enim illorum carminum, non solum contra Lunam valere existimabatur, sed etiam contra Solem, stellas universas, & vel contra Deos ipsos tam superos, quam inferos: quibus ii in suis exsecrandis sacris, postquam multa impiissima patrassent, minari solebant, ut Porphyrius ad quemdam Ægyptium Sacer-

cerdotem scribit, ita Theodorito referente, se cœlum diffracturos, ut illi fortasse præcipites huc darentur, arcanaque Isidis publicaturos, Charontem etiam coacturos, ne animas amplius transuehat; itemque Osiridis membra Typhoni dilanianda, ac passim spargenda præbituros aliasque plures insanas minas addebant contra eum Deum, quem ad sibi parendum compelle restudebant. Fortasse huc refertur, quod apud Ovidium de Fauno, & Pico, montis Aventini numinibus legitur; eos scilicet Jovem carminibus è cœlis in terras attraxisse, ut sibi ad interrogata responderet. Hanc nefariam artem Romani maximis pœnis insectabantur; cujus apud eos Apuleius factus reus, vix ex eorum manibus evasit. In eadem omnium peritissimi Thessali sunt existimati; nam (ut legere est apud Suidam) illac Medea iter faciens, suorum veneficiorum calathum effudit. Quare, cum Poetæ preces ad Lunam concipiunt, (sive Luuam illam, sive Dianam, sive Hecatem, sive alio hujusmodi nomine appellent, eodem tendit) ut eam suis votis facilem reddant, eidem lumen purum, atque nulla labe contaminatum optant, utque Thessali suis eam carminibus, è cœlo non deducant, ut Phædræ nutrix apud Senecam in Hippolyto facit, ita dicens;

O magna silvas inter, & lucos Dea,
Clarumque cœli sidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis, en ades, cœptis favens.

Ac paulo post subjicit;

- Sicte lucidi vultus ferant,
Et nube rupta, cornibus puris eas;
Sic te regentem frena nocturni ætheris,
Detrahere numquam Thessali cantus queant,
Nullusque de te gloriam pastor ferat.

Endymion. Idea ratione dicit, quod in fabulis exstat, Lunam Endymionis pastoris amore captam, eum quodam in monte seorsim sopivisse, ut liberius ejus osculis frueretur: quod ideo est fictum, quoniam Endymion, ut Plinius lib. II. tradit, primus hominum Lunæ cursum invenerit: Alexander quoque Aphrodiseus in problematibus, Endymionem, inquit, rerum cælestium apprime studiosum fuisse, maximamque diligentiam in eo adhibuisse, ut Lunæ cursum causamque cur subinde aspectum mutet, perveslgaret; quia vero interdiu dormiret, noctu autem vigilaret. Lunæ amoribus indulgere esse dictum. Idem fortasse Thessalis hominibus accommodari posset, qui cum toti essent in Lunæ natura indaganda, existimati postea sunt, eam cœlo deducere, tunc scilicet cum ea luminis defectam pateretur: Nam stultum vulgus tunc eam ex Thessalorum carminibus laborare putabant: cujus laboribus ut consulerent, maximos sonitus edebant, quibus ejus dolores magnopere

opere mitigari arbitrabantur, perinde atque ut & plinius scribit, strepitus illi arminum murmur impedirent, quominus ad Lunæ aures perveniret: ideoque nihil illi posset officere. Quare Propertius asserit, Lunam carminibus è curru deturbatum iri, nisi resonantiæ æra succurrerent: & Juvenalis cum de quaquam loquacissima muliere loqueretur, dicit, nihil jam amplius opus esse strepitum æneis vasculis edere, cum ea sola sua loquacitate tantum ob strepat, ut luna a Veneficiis tueri queat. Imago. 17. a.

Sistrum.

Sistrum in Isidis manu secundum quorumdam sententiam Lunæ sonum significat, quem reddit dum cælestes orbes ambit, hoc nonsolum æneum sed & argenteum atque aureum solebant efficere, ut Apuleius inquit, cum dum Isidis misteriis loquatur. In hoc quemadmodum cælius Calcagninus refert, quatuor facies erant extrinsecus exsultæ, quæ poterant in orbem torqueri; hæ inferiorem hunc orbem sub Luna existentem designabant: in quo res cunctæ ex quatuor alimentis concretæ, ortui atque interitu sunt obnoxiæ. Intrinsecus in extima parte felem humana facie incidebant, duo quoque capita viscebantur, quæ sub prædictis quatuor movebantur, harum una Isidem referebat, altera Nephehiam, quæ rerum procreationem atque interitum innuebant, ex elementorum mutatione proficiscentem. Felis Lunæ erat Symbolum, nam, quemadmodum Fabulis fictum est, ab Ovidioque refertur cum Dij fuga è Typhonis furore in Ægyptum evasissent, neque ibi se adinodum tuto degere posse putarent, alij aliorum animalium formas induerunt Dianaque in felem se convertit, cum animal hoc sit sane quam varium, quodque noctu cernat, cuique oculi sub inde mutentur, luce aut imminuta, prout Luna crescit aut decrescit, hunc facie humana figurabant, ut lunæ motum non temere fieri, sed superiori quadam mente regi ostenderent, hujusmodi arcana erant sistri significationes tantum à veteribus in Isidis sacris celebrati: quod Apuleius ut superius memoravimus, ei in manus tradidit de Vasculo quod siniſtra gestat, potest etiam, præter ea quæ attigimus dici, eo tumentium aquarum, quæ ex Lunæ humiditate incrementum habent, motum significari, quamobrem fluxionem atque refluxionem maris, nonnulli in Lunam crescentem & decrescentem detulerunt, sed ex Lunæ imaginibus non solum plurima quæ ad rerum naturalium cognitionem pertinent, discere possumus: verum quod magis est Operæ pretium, ex ejusdem contemplatione multa hauriamus licet, quæ moribus conformandis inserviant. Atque diligenter animadvertamus quæ de ea re D. Ambrosius scripsit, qui ex Lunæ lumine, quod subinde mutatur, nobis rerum humanarum incertum, ac fluxum statum ponit ob oculos, monetque, ne caducis his, quæ statim effluant, nitamur. Propterea que aliqui senserunt olim patritios Romanos calceis lunulas affixas habuisse, ut eas intuentes rerum harum instabilitatis commonefierent; idque ne prosperis rerum succes-

cessibus tumescerent: divitiæ namque, ac cætera, quæ a mortalibus tanti fiunt, Lunæ conferri possunt, quæ alias tota est lucida; alias tantum de suo splendore imminuit, ut vix cernatur: alias etiam totum amisit, ut nusquam extare videatur: ita & illa interdum maximam sui præbent intuentibus admirationem, quæ mox elapsa, hominem antea clarissimum, destituant, omnibusque despicatissimum reddant. Sed postquam in hanc tractationem delapsi sumus, eam continuemus, cum nihil de Luna dicendum superfit. Hunc lunularum morem sunt qui in Arcades referant; qui se omnium Græcorum antiquissimos, atque nobilissimos jactabant; nam se ante Lunæ procreationem extitisse volebant: in quam opinionem devenerant, quod Arcadia in Peloponesi medio esset, si longitudinem spectes, universamque Græciam altitudine superaret, aliisque esset montibus referta. Quare diluvii tempore soli Arcades feruntur evasisse, cum se ad montium vertices recepissent. Ibi degentes, quoad aquæ decrevissent: tum autem ex cavernis emergentes, Lunamque cernentes, tamquam veteri una cum cæteris rebus abolita, recens aliam natam sibi persuasisse: hinc que occasione sumpta, se omnium antiquissimos, ac nobilissimos esse jactitabant, quandoquidem vel ipsam Lunam tempore anteverterent. Fieri igitur potest, ut & Romani lunulis se insignirent, ut id scilicet eorum nobilitatis esset argumentum. Athenienses quoque, cum se omnium hominum antiquissimos è terraque ortos probare vellent, aureas cicadas variis modis capillis implicitas ferebant: cujus rei testis est Suidas, Athenæus autem hoc ad Atheniensium delicias refert, ubi adolescentes si ontem cicadis aureis redimire solebant.

DE JOVE.

TANTUM sibi Jupiter apud veteres gloriæ peperit, post Saturnum parentem è cœlo in terras deturbatum, ut, quemadmodum in fabulis exstat, Deorum maximus apud omnes fuerit habitus. Quare passim ei templa, æræ statuæque ponebantur; ab universis Rex mundi Dominus vocari cœpit; perinde atque omnia suæ potestate contineret. Eumdem Optimum, Maximum appellarunt; cum ejus bonitas per cuncta dividi, omnibus prodesse, nihil prætermittere, suæ beneficentiæ expers putaretur; neque solum benefacere vellet, sed & maxime omnium posset; cum ita potentia polleret, ut nihil esset, quod sub ejus potestatem non caderet. Itaque apud Latinos Jupiter à juvando nomen habet, sicut apud Græcos ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod est à vivendo, eo quod cunctis rebus vitam suppeditare crederetur. Qua propter non injuria Platonici eum pro mundi anima, quaqua permeante posuerunt. Fuerunt etiam qui existimarent, eum divinam mentem esse, quæ hanc rerum universitatem procreavit, procreatamque summa eam providentia administrat; quem omnes Deum appellamus. De hoc Jamblichus in libro de mysteriis Ægyptiorum loquens, ita fere dicit; quandoquidem Deus inter universa eminet, suumque splendorem tamquam ab omnibus separatus emittit, atque

Iupiter unde dicatur.

que totus ex sese aptus, non aliunde pendens supra mundum incedit. propterea Ægyptii eum supra Lotum sedentem effinxerunt, quæ aquatica est arbos; hoc innuentes, materiam, ex qua mundus est coagmentatus, ei esse subjectam: eamque ab illo administrari, absque eo quod aliqua ratione tangatur; ejus enim administratio sub nullum sensum cadit, cùm tota intelligentia, ac ratione percipiatur: quod à loto adumbratur: cum ejus frondes, atque fructus sint rotundi; mens enim divina in se ipsam in orbem torquetur, semperque eodem modo intelligens, cuncta moderatur. Hinc monarchia illa, supremus principatus dictus, exsistit, qui ab universis rebus secretus, immobilisque permanens, in summa semper quiete ac tranquillitate perseverans, omnia regit, cunctis motus tribuit, universisque providet. Hunc antiqui magnum illum Jovem esse intellexerunt, cœli regem, quique in suprema nniversi parte degeret: eumdemque dicebant, prout rerum est effector, videri quodammodo ad inferiora descendere, aliquibusque à se effectis, per quæ alia architectatur, nomen interdum suum mutuari. quare Seneca in quæstionibus naturalibus scribit; sapientes nequaquam Jovem eum intellexisse, qui in Capitolio aut in aliis templis fulmine armatus cerneretur; sed potius mentem, atque animum existimasse omnium custodem, universique administratorem, quique hanc rerum universitatem condiderit, ac eamdem nutu suo gubernet. Ac propterea divina quæque nomina ei convenire. Itaque optimo jure Fatum appellari posse, ut à quo ordo, seriesque causarum inter se aptarum dependeat. Idem & Providentiam dicit, cum ipse provideat, ut omnia perpetuo perenni quodam cursu ad finem, ad quem sint destinata, currant. Naturam quoque nuncupari, ex eo enim cuncta nascuntur, per eumque quidquid vitæ est particeps, vivit. Mundi quin etiam nomen illi congruere; quæcumque enim sub aspectum cadunt, ipse est, qui se ipso nititur; suoque ambitu omnia complectitur, universaque suo numine complet. Quare de eo à Virgilio Ecloga III. dicitur;

Jupiter supra Lotum sedet.

Jupiter ubique est.

Jupiter Fatum.

Providentia.

Natura.

Mundus.

- Jovis omnia plena.

Orpheus etiam Jovem omnium primum atque postremum appellabat, eumdemque omnia tempora, quæ umquam fuerint, præcessisse, permansurumque post cuncta, quæ futura sint; illum supremam mundi partem colere, infirmam quoque omnium attingere, totumque ubique esse dixit. Alibi idem vates, Jovem suis quasi coloribus pingens, universi figuram ei attribuit, ita ut ejus caput una cum aurata coma ipsum sit cœlum fulgentibus stellis conspersum; è quo aurata duo cornua exstent, quorum alterum sit oriens, alterum vero occidens; oculi Sol atque Luna, aer ei instar lati sit pectoris; ejus humeri duabus magnis alis sint præditi, quæ ventorum velocitatem significent. Deus enim velocissime per omnia excurrit, imo nusquam

non est præsto : amplissimus ejus uterus vastissima sit hæc tellus, Oceano circundata : pedes infima orbis terrarum pars exsistat, quæ mundi centrum
Pan. appellatur. Hæc Jovis imago ab Orpheo efficta, cum sit Panis imagini simillima, me quodammodo admonere videtur, ut aliquid hic de Pane dicam ; præcipue cum eo veteres hanc rerum universitatem adumbrari censuerint. Sed & Jupiter Lycæus olim idem atque Pan erat ; quod ex ejus simulacro patet, quod nudum erat, nisi quod caprina pelle aliqua ex parte contegebatur. Hic, ut Justinus lib. XLIII. ait, in Palatini montis radicibus templum habebat. De Pane ergo legitur, eum fuisse montium, silvarum, ac lucorum Deum. Nam antiquorum Dii non omnes cœlo concludi poterant ; quare ex eorum numero aliqui in terras erant ablegandi. Pani autem præcipue à pastoribus divini honores deferebantur, ut qui eorum esset tutelaris Deus, sub ejusque patrocinio essent greges ; quemadmodum de eo Virgilius primo Georg. scripsit ;

Pan ovium custos.

Quia vero greges atque armenta sæpe in silvis pavere videntur ; cum tamen nulla terroris causa extet ; eam veteres ad Panem retulerunt ; hincque, omnem improvisum timorem panicum terrorem appellarunt ; vel etiam quod Pan primus dicatur, qui cocleæ usum docuerit, qua pro tuba Tritones utebantur : hujus sonitu in bello contra Titanes tantum hostibus terrorem objecit, ut eos repente tamquam furentes in fugam coegerit : quod etiam Gallis duce Brenno, ut Pausanias in Phocaicis refert, Græciam ingressis accidit ; nam maxima clade accepta, nocte sequente panico hoc terrore correpti sunt : cum initio panci tantum, post & universus exercitus magnum equorum strepitum sibi visus esset audire, atque videre contra se hostes maximo cum impetu irruentes : quare repente arreptis armis, & inter se facto agminis dissidio, vicissim & occidebant alii alios, & occidebantur : cum neque per tenebras, & amentiam illam patriam linguam intelligerent, neque vultus inter se, nec scutorum signa possent agnoscere : sed contrariis ordinibus utrimque per cæci illius erroris vecordiam, Græci esse, qui contra pugnarent, viderentur, & Græca esse arma putarent, quin & Græcam esse vocem crederent, quam homines mitterent ; Græci cum id animadvertissent, magno impetu irruentes, eos usque ad internecionem ceciderunt. Hoc terroris genus, qui repente hominem occupat, à Pane immitti credebatur. Idem in Arcadia præcipue colebatur instar Deorum, qui majorum gentium dicuntur : quare perpetuus ignis in ejus templo custodiebatur, ubi oraculum olim erat, quod responsa per Erato nympham reddebat. Athenienses etiam ejus cultum suscepérunt, postquam videndum se præbuerat nuncio, quem Spartam auxilium contra Persas petitum miserant ; cui pollicitus fuerat, se Atheniensibus in Marathoniis campis auxilio futu-

futurum : suum autem promissum in die conflictus repræsentavit ; nam homo rusticanus visus est, qui post ingentem stragem Persarum, aratro editam, repente se ab omnium oculis abstulit. Eo autem in loco, ubi Pan Athenien-sium, nuncio occurrerat, in silva scilicet Parthenia, templum ei positum est: in ea silva plurimæ erant Testudines, musicis instrumentis maxime idoneæ: sed Incolæ religione impediti, eas nec ipsi sumere, nec externis sumendas permittere audebant ; nam Pani consecratas arbitrabantur. Sed operæ pretium fuerit Silii Italici carmina apponere, quibus lib. XIII. Punicorum Panem describit, à Jove missum, ut panicis terroribus Hanibalem ab urbis obsidione deterreret. Carmina autem ita se habent ;

- Pendenti similis Pan semper, & uno
Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu :
Dextera lascivit ; casa Tegeatide capra,
Verbera lenta movens festa per compita cauda,
Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus.
Ac parva erumpunt rubicunda tempora fronte.
Stant aures, summoque cadit barba hispida mento.
Pastorale Deo baculum, pellique sinistrum
Velat grata latus tenere de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona, & inhospita cautes,
In qua non librans corpus, similisque volanti
Cornipedum tulerit præcisa per avia plantam.

Hæc ejus in currendo velocitas, celerrimum mundi motum innuit ; nam hic Deus rerum universitatem significat ; πὰν enim omne sonat. Huic veteres cornua tribuerunt, in radiorum Solis (ut Servius inquit) & Lunæ cornuum similitudinem : addit Johannes Buccacius, ea quæ è fronte sursum versus emergunt, cælestia corpora indicare, quorum bifariam à nobis cognitio paratur ; vel per artem, quæ nos instrumentis quibusdam stellarum motus, earumque inter se distantiam metiri docet ; vel ex effectibus, quos inferius igni per ea videmus. Rubet ejusdem facies, ad imitationem ætheris, qui tanquam purissimum quidpiam cunctis elementis innatans est in finibus superioris, atque inferioris mundi. Promissa barba ad pectus duo superiora elementa, hoc est, aerem, atque ignem vim masculam possidere designat, quæ in cætera duo, virtutem fœmineam habentia suam efficacitatem exserant. In pectore vero nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem, quibus octavus cœli orbis est insignitus, qui omnia suo amictu quodammodo contegit. Pedum habet in manu, quod, juxta Boccacii sententiam, naturæ omnium providentiam adumbrat, quæ ita universa administrat, ut cunctis exceptis tamen ratione præditis animantibus, finem etiam determinatum præscribat, ad quem illa ferantur : Servius addit, pedum

esse recurvum, propter annum scilicet, qui in se recurrit: Fistulam septem calamorum in altera manu habet, nam ipse primus calamos cera componere docuit, idemque primus fistulam ita compactum inflavit, ut Virgilius dicit quod cœli harmoniam repræsentat, in qua septem soni sunt, & septem discrimina vocum: quam & ab Echo à Pane adamata, Macrobius vult designari: cujus rei Alexander Aphrodiseus rationem reddit, vulgarem esse errorem dicens credentium, Echo aut Deum esse, aut à Pane adamatam; ea enim nihil aliud est, quam vocis ad concava loca allisæ [illegible]tus: cujus rei causam cum quidam miro studio perveſtigaret, eamque minus intelligeret, non secus molestia afficiebatur ac ii, qui re amata potiri nequeunt. Fabulantur præterea de Echo poetæ, ut apud Ovidium est legere, eam magno Narcissi amore correptam, cum re amata frui non posset, ob verecundiam se in antra abdidisse, ibique se mœrore confeciſſe, ita ut tam quam saxum obtiçeſceret, neque aliquid sui reliquiarum dimitteret, præterquam vocem, quam Lucretius testatur, se alicubi sexies, aut etiam septies repetitam audivisse. Pausanias quoque fidem facit, alicubi apud Eleos porticum quamdam fuisse, ubi septies, & eo amplius vox replicata audiretur. Echo Dea, aeris, atque linguæ filia ferebatur; itaque humanum aspectum fugiebat. Quare elegantissimum exstat Ausonii Galli Epigramma, contra eos, qui illam suis quasi coloribus exprimere studeant; id autem est hujusmodi,

Echo.

Vane quid affectus faciem mihi ponere pictor,
Ignotamque oculis sollicitare Deam?
Aeris & linguæ sum filia, mater inanis
Judicii, vocem quæ sine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
At si vis similem pingere; pinge sonum.

Imago. 18. a.

Sed nunc ad Panem revertamur; cujus partes inferiores sunt hispidæ, caprinique pedes, ut ostendant terræ soliditatem, atque asperitatem, nec non propter arbores. Virgulta, variasque herbas quibus terra est consita. Verum, Macrobius primo Saturnal. Panem pro Sole ponit; qui ejus cornua inquit, barbæque prolixam demissione naturam lucis innuere qua Sol & ambitum cœli superioris illuminat & inferiora colluſtrat: Fistulam cœlorum Harmoniæ esse signum, quæ ex motu Solis hominibus innotuerit; virgam potentiam designare, quam idem in omnia exerceat, pellem maculosam stellas ostendere, quæ post Solis occasum se videndas præbeant. Sed sive hoc sive illud Pan significet. Plato enim cujus est sententiæ, ut putet, eum sermonis esse symbolum, atque biformatum esse, hominem nempe ac capram; verum enim quandoque homines loquuntur interdum

Panis pars inferior.

dum & falsum ejus superior pars verum adumbrat, quæ cum levis sursum semper tendit, inferior vero falsum designat, ut quæ belluæ similitudinem gerat, mendacium enim non nisi inferius inter mortales habitat sed quomodocunque, inquam, Pan significet, ita certe exprimebatur. Erat Caprina facie; rubro colore, Hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida, & caprino pede, altera manu fistulam tenebat, altera pedum incuruum.

Eodem fere modo Faunus Sivanus, Satyrique efficti sunt, qui omnes parvam quandam, brevemque habebant caudam, erant etiam sertis redimiti ex liliis, atque arundinibus confecti: interdum & populo atque fœniculo coronati leguntur, nam Virgilius in Egloga ultima ita de Silvano scribit.

Venit & agresti capiti Silvanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.

In primo autem Georgic. ita de eodem dicit.

Et teneram ab radice feros Sylvane cupressum.

Quia ut eo in loco Servius dicit, in eam arborem Cyparissus à Sylvano adamatus, conversus narratur hic à veteribus non Sylvarum modo, sed & agrorum Deus est existimatus, eique agrorum colendorum cura est tradita, ad quam eum ceremoniis quibusdam Antiqui provocabant tum scilicet, cum mulieres parturiebant, ut in ea occupatus, noctu nullum ejusmodi mulieribus negotium faceesseret. Publica enim persuasione hic putabatur quiescentes invadere, ac pondere suo pressos, & sentientes gravare. Sed præstiterit, ut universum veterum ritum in avocando à puerperis Silvano ex D. Augustino lib. VI. de civit. Dei recenseamus; ita autem scribit; Mulieri fœtæ post partum tres Deos custodes Varro commemorat adhiberi, ne Sylvanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet; eorumque custodum significandorum causa tres homines nocte circumire limina domus: & primo limen ferire securi, postea pilo, tertio deverrere scopis; ut, his datis culturæ signis, Deus Silvanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur, ac putantur, sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos Deos, Intercidonem à securis intercisione, Pilumnum à pilo, Deverram à scopis: quibus Deis custodibus contra vim Dei Silvani fœta conservatur. De Satyris Lucianus scribit eos instar caprarum aures habuisse acutas, calvos etiam esse, ac in eorum capite duo cornicula eminere: Philostratus addit, eos rubra esse facie, humano aspectu, cæterum pedes habere caprinos. Quare velocissimi finguntur, ut Plinius refert, lib. v. Natur. histor. & in subsolanis Indorum montibus inveniuntur. Sed ob ipsorum pernicitatem non nisi senes jam, aut ægrotantes capi possunt, ut Plutarchus dicit, cum narrat, unum ex his ad Syllam adductum, cum ex bello Mithridatico reverteretur.

Pausanias

Pausanias in Atticis scribit, sibi à quopiam affirmatum, qui tempestate ad insulas quasdem Oceani, Satyridas dictas appulisse; homines ibi agrestes habitare, eosdem rufos esse, & caudas haud multo equinis minores infra clunes habere; eos, ubi primum hospites sentiant prope adesse, ad navim concursu facto, nulla emissa voce in mulieres, quæ in navi sint, manus iniicere: quod mirum in modum cum iis consentit, quæ de Satyris traduntur

Satyrus visus.

D. Hieronymus in vita Paulli Thebæi refert, Antonium, cum deserta Ægypti peragaret, Homunculum quemdam vidisse, qui cornua in fronte habebat, naso erat recurvo, cruribus, atque pedibus caprinis erat: eumdemque, hoc monstro viso, sacro sancto crucis signo tamquam amuleto se munientem ab eo, quis esset, postulavisse: tum illum ad ejus interrogata respondentem, se mortalem esse, fassum esse, silvarum incolam, eorumque unum, quem homines a vera religione alieni ut numen colebant, se Faunos, atque Satyros apellantes. Hujusmodi cœlum non incolebant, sed in terris una cum Nymphis, aliisque silvestribus. Diis perpetuam vitam traducebant; ut Jupiter de eis apud Ovidium primo Metamorph. dicit in *Deorum* concilio, quod ad mundum diluvio obruendum cœgerat. Idem & Semidei nuncupabantur; nam licet instar Deorum prodesse, aut nocere posse crederentur, itemque multa, quæ futura essent, divinare; verumtamen tandem aliquando morerentur oportebat.

Sed, ut ad Panem revertamur, Herodotus scribit, eum unum ex octo majorum gentium Diis, quos Ægyptij colebant, exstitisse; nam quemadmodum superius diximus, duodecim tanti in prima esse numina, Ægyptii opinabantur: sed tamen & octo alios, in quorum numero erat Pan, illos duodecim præcessisse dicebant. Panis simulacrum apud hos non differebat ab eo; quod Græci effingebant; non quod cum Græcis consentirent; Panis scilicet numen esse minus, quam cæterorum opinantes, sed caussam hujus rei, dicit Herodotus, se malle reticere: quam Patefacere: Vnde discamus licet, quam diligenter antiqui caverent, ne sua illa arcana enunciarent. Idem Herodotus subjicit, apud eosdem magno cultu capras atque hircos esse affectos, caprarios quinetiam Plurimi factos: sed inter cæterorum unum quemdam; cujus mortem tota illa regio maximo luctu sit prosequuta. Sed universus honos his habitus, ex eximo cultu poficiscebatur, quo Panem venerabantur Apud Græcos etiam magni capra fiebat; sed longe diversa ratione. nam, ut Pausanias refert, cum circa capræ ortum (fuut autem quædam stellæ, quæ juxta Ovidij sententiam Kal. Maij se videndas Præbent, fere aliqu calamitas vineas vastaret, Corinthij æneam capram in foro collocarunt, cui divinos honores tribuebant, eamdemque auro exornabant, ne cœlestis capta vineis noceret. Eusebius scribens de bestiis, quas Ægyptij venerabantur, inter cætera dicit, propterea apud eos Panem atque Satyros

Arcana non passim vulgata.

Caprarii plurimi facti.

Capra cur colerentur.

tyros numina habita, quod ii humanæ prolis incremento essent maxime appositi, ut ex eorum simulacris, hircina forma cum genitali membro arrecto propositis patet: semper enim ad coitum paratum dicunt, Satyrique omnium salacissimi credebantur: quare Bacho comites sunt non injuria dati, quod vinum scilicet hominem vehementer ad libidinem inflammet. Quamobrem Philoxenes Erethrius, ut Plinius refert, cum lasciviam oculis subjicere vellet, tres satyros pinxit, qui plenis poculis se ingurgitarent, seque mutuo ad Libendum inuitare viderentur. Id maxime simile est Sileni simulacro (hic enim & inter agrestes Deos connumeratur) cujus templo ipsi apud Eleos dicato, Ebrietas poculum vino circum fluens porrigebat. Porphirius opinatur, Græcos ad Ægyptiorum imitationem aliqua simulacra ex homine, atque bellua effinxisse (non quod belluas & ipsi colerent) nam interdum Jupiter arietinis cornibus cernitur, & Bachus taurinis: Pan etiam ex homine & capra constat: Huic antiqui Pinum consecrarunt eam aliquando illi in manus tradentes, interdum & caput ejus Foliis coronantes: Hujus causam ferunt, quod in eam arborem *Pityn* puella à Pane magnopere amata mutata fuerit ut etiam de Syringa nympha dicitur quam cum idem sequeretur, illa implorato terræ auxilio in calamum conversa est, quem Pan ad solatium Amoris incidit, & sibi fistulam fecit.

Satyri Bachi comites.

Lascivia.

Pinus Pani sacra.

Nunc tamquam postliminio ad Jovem tandem revertamur, qui omnium Deorum maximus habebatur, atque ideo universi administratio penes eum esse credita. Is effingebatur prout ejus imago à Porphyrio, Eusebio, Suida, atque aliis describitur, sedens, ut significaret, numen, quo mundus regitur atque conservatur, semper idem permanere, ita ut nullam unquam mutationem admittat. Ejusdem superiores partes nudæ cernebantur ut ex eo intelligeremus, Deum divinis illis mentibus, quæ ab omni materiæ concretione longissime remotæ, cœlum incolunt, quatenus fas est, sese aperire, inferiores autem amiculis contegebantur, quod ac refertur, nos, dum hoc corporis carcere, ut ita dicam concludimur; Deum quemadmodum est, intueri non posse, sceptrum præterea sinistra manu gerebat; nam in parte hominis sinistra cor esse constat, quod quidem principale membrum habetur, à quo virtus, quæ vitam continet, profluit, eo per totum corpus dividitur, non secus mundus a Deo vitam haurit, qui Regis instar pro suo arbitrio eam dispensat atque disponit, Dextera interdum, Aquilam porrigebat, aliquando & Victoriæ sigillum; hoc innuens, se sicuti Aquila inter aves regnat, ita inter cælites primum locum obtinere: eandemque omnia sub suam ditionem redegisse, perinde atque Victoriæ jure ea sibi comparasset. Cum ergo tota omnium rerum potestas sit penes eum, hinc fit ut prout est ei libitum, eæ alias aliter se habeant cujus vicissitudinis ratio plerumque

homines latet, qui bonorum atque malorum dispensationis cælitus in mortales administratæ eorumque inter se permutationis causam ignorantes, vehemen-
Imago 19.a. ter interdum de tota divinæ providentiæ ratione ambigunt. Quare Homerus apud Jovem duo dolia esse fingit, alterum bonorum, alterum malorum plenum; quæ ipse pro suo arbitrio versaret, ex eisque alternatim huc quantum sibi videretur, effunderet. Alius quinetiam Poëta antiquus dicebat, Jovem trutinæ momentum huc vel illuc declinare, prout huic vel illi decreverit benefacere: quod commentum etiam Homero est ferendum acceptum, nam is Jovem, auream trutinam tenentem facit, qua Græcorum, atque Trojanorum res pendat, amborumque inter se causas conferat, ut utri sit victoria adjudicanda, videat. In Pyræeo, quod erat Athenienſium navale, sicut Pausanias scribit, statua erat Jovi consecrata quæ sceptrum in manibus atque Victoriam continebat. Ægyptij, qui res sacras miris quibusdam involucris contegebant, quas maximo studio occultabant, ne profanis ad eas intelligendas, pateret aditus; illi Deo sceptrum etiam attribuerunt, quem ipsi Conditorem appellabant; qui ideo maxime cum Græcorum Jove consentire videtur. Quare non est, cur quis miretur, quod eorum simulacra simul describam, nam, licet nomine aut effigie inter se non conveniant; tamen, cum idem significare videantur, non absurdum esse sum ratus, si ea consociem. Creator ergo apud Ægyptios humanæ erat formæ, cærulei coloris, circulum una, altera manu Sceptrum tenebat, in capitis vertice pennam habebat, quæ designabat, rerum creatorem inventu esse difficilem; qui & Rex est, cujus rei sceptrum est argumentum; in ejus enim manu est positum, vitam universo tribuere, quam ille suppeditat, cum se ipsum intelligens, in orbem quodammodo torquetur: quod circulus denotat. Ex ore idem ovum emittit, ex quo Vulcanus excluditur: ovum nobis mundum repræsentat; per vulcanum autem calorem illum intelligimus, qui per mundi partes pervadens, rebus vitam elargitur.

Sed quando incidimus in mundi simulacrum; non abs re fore arbitror,
Vniversi imagines. si pauca de ea dixero. Ægyptij ergo Mundum etiam adumbrabant, hominem pedibus inter se intortis pingentes: is indutus erat veste variis coloribus distincta, usque ad pedes demissa; capite magnum globum auratum sustinebat: quæ eo referuntur, ut admoneant, Mundum rotundum esse, numquamque locum mutare, ac variam naturam astrorum esse. Hoc Porphyrius scribit, quemadmodum ex eo Eusebius refert: qui & narrat, ab Ægyptiis Mundum ita effictum, Duos circulos efficiebant, quorum unum supra alium collocabant; quibus serpentem implicabant, qui accipitris caput haberet: circuli Mundi magnitudinem, ac formam ostendebant, serpens bonum Dæmonem universi conservatorem, quid sua virtute contineat designabat; hoc est, spiritum illum quaqua pertinentem, qui vitam omnibus, atque alimen-

tum

tum tribuit ; namque Phœnices, & Ægyptii divinæ cujusdam naturæ serpentes existimabant ; cum illos cernerent, non exteriorum membrorum adjumentis, aliorum animalium instar, sed spirite quodam, ac virtute intus latitante impulsos, velocissime incedere, maximaque celeritate totum corpus in varias formas torquere ; adde, quod diutissime vivant ; nam senectutem una cum pelle ponunt ; itaque ad juventutem reformati, numquam occumbere posse videntur, nisi ab alio interficiantur. Accipitris caput ei imponunt, propter maximam scilicet volubilitatem, atque agilitatem Mundi significandam. *Serpentes divinæ cujusdam naturæ existimati.*

Martianus lib. primo de Nupt. Philolog. ita in senatu Deorum Jovem effinxit ; In capite flammantem coronam habebat, & super ea velamen rutilum, Minervæ manibus confectum ; vesti admodum candidæ obduxerat hyalinos amictus, crebris quibusdam stellis interdistinctos ; manu dextera duos orbes porrigebat, aureum alterum, ex electro alterum, læva ἐπεράβολον chelin innitenti similis premebat : calceos autem Smaragdineæ fluctu viriditati, herbosos vestigiis eius Tellus attexuerat : insidebat autem ex pavonum pennis intertextæ, occulatæque pallæ, ex qua multicoloribus notulis variata pictura vernabat : sub calceis vero fuscinum deprimebat. *Iovis imago.*

Sæpe Iovi legimus statuas quasdam positas, quæ non solum qualis is esset, quidve posset docebant ; sed inde quoque facile discere poteramus, quid nobis esset agendum, præcipue vero Reges, cæterique principes viri quomodo se cum inferioribus gerere deberent ; hi namque (ut superius diximus) Dei nobis imaginem adumbrant, quare eos pro virili parte, divinam Providentiam justitiam atque Bonitatem in se exprimere oportet. Itaque Plutarchus in Isidis & Osiridis libro scribit Cretenses, Jovis simulacrum effinxisse quod auribus careret, & iis mutilum esset, id significantes, dominatorem omnium audire debere neminem sed æque omnibus patulas offerre aures. Contra Lacædemonij summum Jovem cum quatuor auribus depingere solebant, eum undique & omnia audire innuentes : quod Regis quoque ac cujus libet Principi prudentiæ convenit, qui pro munere sibi injuncto, populorum qui suæ fidei sunt crediti facta summo studio perveſtigare atque audire debet. Atque eodem forte spectabat, qui Jovi tres oculos tribuit perinde atque nihil omnino eum, latebat sed omnia ei cognita, ac perspecta sint : qualem esse hominibus præsidentem oportet. Hinc illud manavit Justitiam cuncta cernere, ut etiam ex ejus imagine intelligamus licet : Sed Pausanias aliam quamdam ratioem affert, cur Iupiter apud Argiuos tres oculos haberet, quorum tertius esset in fronte, quod scilicet is tria regna obtineret, unum in cælo, nam vulgo Iupiter in cœlo regnare existimabatur, alterum in inferno, quod est in terra, nam terra cœlo comparata, inferorum locorum vicem tenet, quare cum Homerus Jovem *Iupiter auribus carens.* *Iupiter quatuor auribus præditus.* *Iupiter trinibus oculis præditus.*

infernum appellat, tertium est in mari, nam Æschylus maris regem cum vocat, Martianus etiam capella, ut paulo ante dicebamus, ei fuscinulum subjicit: Orpheus quoque quodam in hymno Justitiam orat, ut omnium viventium curam suscipere velit, qui à matre terra atque Jove marino aluntur. quamobrem juxta Pausaniæ sententiam tres Jovis oculi triplicem ejus potestatem significant, in tria illa regna, in quæ orbis divisus fingitur, inter tres Saturni filios masculos, quorum Neptunus Mare, Pluto infernum est sortitus.

Sed quia dicere cæperamus, antiquos sæpe in Statuis effingendis id spectasse, ut iis quale esset Principis munus adumbrarent: id operæ prætium facturus arbitror, si paulo latius explicuero. Plutarchus, refert, Ægyptios cum Regem vellent innuere, sceptrum in cujus vertice oculus esset, depinxisse (ut superius quoque in solis imaginibus diximus) Jovem quoque eadem forma effinxisse, hoc significantes, Regem sicuti potestate plurimum pollet, (sceptrum enim principatus atque potestatis in inferiores exercitæ est symbolum) ita vigilantem in sua administratione esse in omnibus, summa Justitia uti debere, nam & interdum Jovi assistentem Justitiam veteres fecerunt, ea ratione, quod, quæcunque reges facerent cum Justitia conjuncta esse deberent. Solebant quin etiam veteres, ut Suidas refert sceptrum describere, ad cujus verticem Ciconia, ad calcem Hippopotamus esset, ita Regem ostendentes, pium Justum, eorumque severum vindicem
Imago 20. a. esse deberet, qui viribus atque injustitia freti homines imbecilles opprimunt: nam ferunt, Aristotelesque sua auctoritate confirmat, Ciconiam suos parentes, cum senuerint, alere, tamquam eis gratiam educationis referat: quod pium justumque certe est opus: sed contra, ut Plutarchus scribit, Hippopotamus est adeo injustus atque impius, ut in patrem violenter insurgere, eumque interficere non vereatur, ut postea liberius cum matre coeat. Apud eundem Plutarchum est legere, Thebis quasdam statuas esse sine manibus, quæ judices significabant, ii namque manibus carent oportet, quod est, nullum præmium, aut donum oblatum capere debent, quibus corrupti injuriam innocenti faciant, aut causam indigno adjudicent. Inter has quædam carens oculis inerat, quæ principem, qui judicibus præest, repræsentabat; is enim omnis perturbationis, odii, aut amoris debet esse expers, id tantum spectans quod justum sit, nulla personarum ratione habita; sed omnibus absque ullo discrimine justitiam administrandam curans: quod quidem officium, est Regis, ac Principis, non solum eorum, quibus magistratus aliquis est mandatus, qui & naturæ lege juste munus suum obire tenentur, & ad id præstandum se juramento obstrinxerunt. Quod si secus fecerint, utrique à Jove perjurii ultore à se pœnas exigendas existiment; quemadmodum quibusdam quoque statuis

antiqui

antiqui adumbrabant: nam apud Elæos quædam perfidis ac perjuris vehementer formidanda visebatur. Hæc fulmen utraque manu continebat, tamquam ad pœnas à perjuro capiendas esset paratissima.

De pœna quoque perjuri Aristoteles in libro de rebus admirabilibus refert, quemdam fuisse fontem in Cappadocia apud Tyanam ejus regionis primariam urbem, quæ aquam haberet frigidissimam, sed tamen semper feruere videretur: ad hunc Frontem si quispiam ductus esset, de quo dubitaretur, perjurus esset nec ne; si quidem verum dixisset, aqua lente defluebat; si vero pejerasset, ea mirum in modum conturbata, ac tumescens pedes, manus, atque faciem perjuri perfundebat, perinde atque ab eo perjurii pœnas exigeret; neque contra eum quodammodo excandescere desinebat, quoad is, veritate patefacta, veniam sceleris imploraſſet: quod si in mendacii asseveratione perstitisset, hydropicus inde recedebat, aut magnam saniei copiam ex ore evomebat. Quare fontem illum Jovis perjuri appellabant. Pausanias in Corinthiacis refert, Corinthi intra septum Neptunii templi fuisse Portuni ædem, ubi erat cella: aditus ad eam erat subterraneus; ibi Portunum latere ajebant; eo in loco si quis vel civis, vel hospes pejerasset, perjurii pœnas effugere non poterat. Elæi ad aram Sosipolis, tutelaris ipsorum Dei, juraturi accedebant; idque maxima cum religione: ritum quem servabant Pausanias recenset. Idem quoque in Eliacis prioribus morem narrat, quo utebantur olim veteres juraturi in ludis Olympicis; quo undique homines vel ad certandum cursu, aut pugilatione, aut luctatione, aliisve id genus ludis, vel spectandum confluebant: nam qui victoriam reportassent, summos consequebantur honores: quare bona fide, absque ulla fraude erat agendum. Itaque solenne erat cunctis athletis, eorumque parentibus, fratribus, gymnasii magistris super exsecti suis testibus verbis conceptis dejerare, nihil se fraudis facturos, quo minus Olympici ludi rite fierent: Athletæ quidem ipsi hoc amplius jurabant, se decem perpetuos menses in ludicram exercitationem propositi certaminis consumpsisse: jurabant præterea, qui de viris, vel de pullis equorum, in certamen prodeuntium pronunciaturi essent, ob rem judicandam, pecuniam se nullam capturos; qua vero re adducti, quem vis aut probassent, aut improbassent, se non esse in vulgus prolaturos. Quia vero id quoddam sacrificii genus erat, in quo victimæ carnem post sacram rem peractam comedebant; idem Pausanias subjicit, sus ille, confecto jurejurando, cuinam esset usui, percontari, sibi in mentem non venire; veteri quidem religione sancitum se scire, ne victima vescerentur homines, super qua jusjurandum conceptum fuisset. Id Homerus testatur, cum exsectum illum suem, super quo Agamemnon jusjurandum concepit, Briseidem se non attigisse, in mari à Talthybio fecialí abjectum dixit. Similis fere ritus penes Romanos erat, in fœderibus percuti-

Iurandi ritum.

cutiendis : jurabant enim, exsecrationesque quasdam super porca concipiebant, præsentibus fœcialibus. Sed nunc, juramenti ritibus omissis, ad Deum, quem juramenti præsidem dicebant, revertamur ; hunc Græci Jovem Horcium appellabant, eumque fulmen ambabus manibus tenentem effingebant : Sed eum Romani aliter & nominarunt, & expressérunt ; Licet idem Jupiter Horcius apud Græcos & Deus Fidius apud Romanos secundum nonnullorum sententiam esset ; Sicut enim ille juramento præerat, ut verum justumque esset ; ita hic fidei servandæ præses erat, atque hac de causa divini ei honores tribuebantur, sed in antiquitatibus Romanis Fidii simulacrum ita effictum cernitur ; marmor est in fenestræ modum formatum, in quo tres Imagines insculptæ sunt, dextra quidem virilis, habitu pacifico, sinistra vero muliebris est, eodem habitu, coram in capite ex lauro gestans, quæ dexteram dextræ jungit cum priore imagine in medio harum duarum ingenui pueruli effigies cernitur cujus supra caput hæc duo verba leguntur FIDEI SIMULACRUM, apud imaginem dexteram virilem, HONOR, in sinistra imagine muliebri VERITAS legitur.

Jupiter Horcius.

Imago 21.

Quia vero Jovem perjurii pœnas capere arbitrabantur, in hanc sententiam mihi nunc in mentem venit, dicendum, eum non semper, ut prodesset esse cultum, sed interdum ne obesset, tuncque eum Vejovem appellatum, quod nocendi vim habere credebatur, quod & ejus effigie ostendunt, nam eum ut Agellius & Alexander Neapolitanus referunt, puerum effinxerunt, capite cornuto, sagittas manibus continentem, tanquam ad nocendum videretur esse paratus ; prope erat Capra ; nam in fabulis extat eum, cum mater à voracibus Saturni faucibus eripuisset alendumque in Creta duabus Nymphis, Amaltheæ scilicet atque Melissæ, vel ut alii dicunt, Hagæ atque Helici tradidisset, melle ac lacte caprino esse nutritum ; hanc capram ajunt, cornu arbori illisum perfregisse : Hoc mulierculæ, ut quæ eam in deliciis haberent, tulisse quidem molestissime, & cornu diversis floribus ac fructibus referientes, domum reversas Jovi obtulisse, eumque id munus libentissime excepisse ; utque sempiterna suam nutricem memoria prosequerentur, id annonæ ubertatis signum esse voluisse : quare cornucopiæ interdumque cornu Amaltheæ, vulgo vocabatur, de quo Pherecydes dixit, ut Apollodorus refert, ejus vim esse, ut affatim omnia ad esum & potum pertinentia suppeditet. Hoc idem cornu non capræ Amaltheæ, sed ejus bovis fuisse fertur, in quem Achelous est conversus, cum certaret cum Herculè Dejaniræ causa, quæ à patre ambobus desponsata erat, nam ei cornua ab Hercule effracta Poetæ fabulantur, atque in profluentem flúvium abjecta ; quæ Najades ubi collegissent, variis floribus ac fructibus referta

Cornucopia.

referta ac frondibus coronata, copiæ consecrarunt, Itaque ei cornucopiæ est nomen inditum, Hoc, ut rem, prout gesta est examinare omittamus, ex aliquorum sententia, fortunæ vim nobis ostendit; animalia n. multa vires suas in cornibus paratas habent, quibus obvia quæque lædant. Fortuna suam administram Copiam habere fingitur; ea namque ditissima creditur, ac in ejus manu esse situm, pro libidine aliis atque aliis divitias tradere vel auferre; quæ floribus non ineptè comparari possunt, quibus cornu refertum erat. Illud quoque hic dici posset, cornucopiæ esse illud quidem Capræ, quæ Jovi ubera præbuit; ab eo enim cuncta bona in homines derivare putabantur; ut & nos superius diximus. Quare ei eamdem potestatem attributam legimus atque Soli; ideoque eidem sagittas in manus tradebant, prout in effigie hic posita cernitur. Aliqui Jovi numen quoque Bachi adscripserunt, eum Bacchi insigniis effingentes, qualem Polycletus, ut Pausanias scribit, eum in Arcadia expressit: ei cothurni pro calceamentis sunt, & altera poculum, Thyrsum altera tenet: Thyrso aquila insistit: ejus forma forte erat juvenilis, cujusmodi fuisse Bachus pingitur, ac qualis Terracinæ exstabat, quem axyron cognominaverunt, hoc est novacula non indigentem, cum esset imberbis.

Imago 21. a.

Jupiter cum Bachi insignis.

Paucæ quidem Jovis statuæ visuntur, quibus Aquila non sit addita; ea enim avis est Jovi sacra: quare ejus currus ab Aquilis trahi fingitur: aut quod, ut Lactantius refert, faustum ab ea augurium suscepisset, cum ad bellum contra Patrem Saturnum, secundum aliquorum sententiam, proficisceretur, ex quo victoriam postea reportavit. Itaque & in bello contra Titanes Aquila Iovi arma subministrare fertur. Itaque eam frequenter una cum Iove pingunt, unguibus fulmen continentem: aut quod inter aves sola à fulmine numquam læditur: & sola absque oculorum detrimento, obtutus in sole defigit. Quapropter ea non injuria avium regina appellatur, Regique Deorum Jovi est sacra. Exstat apud Pausaniam in Eliacis prioribus Jovis statuæ descriptio, quam Phidias effinxit; Sedet in solio Deus, ex auro, & ebore factus: corona capiti imposita est, ad oleagri nefrendis imaginem: dextera Victoriam, & ipsam ex ebore, & auro præfert cum tænia & corona: læva sceptrum tenet affabre expolitum, & omnium metallorum varietate distinctum: quæ avis sceptro incumbit, aquila est: aurei sunt duo calcei; pallium item aureum: in eo cum diversa animalia, tum ex omnibus florum generibus lilia in primis cælata sunt: solium ipsum auro, & pretiosis præfulget lapidibus; neque in eo vel Ebenum, vel ebur desideratur: animalium vero formis intercurrentibus pictura exornatur: signa etiam in eo eminent Victoriæ, quatuor saltitantium specie ad singulos sellæ pedes: duæ itidem ad pedum calcem sunt. In solii puteali supra simulacri caput sunt Gratiæ ex una parte tres, totidem Horæ ex altera: & cætera, quæ ibi Pausa-

Aquila Iovi sacra.

Aquila avium Regina.

Jupiter in solio.

nias

nias persequitur. Jupiter præterea in quodam Neronis numismate sedet, dextera fulmen, sinistra vero hastam tenens: sunt ibi impressæ hæ literæ, Jovi Custodi. Lucianus, de dea Syria scribens, in ejus templo refert, Jovis simulacrum supra duos tauros sedere. E contra in quibusdam etiam numismatibus Antonini Pij, & Gordiani Jupiter stat, nudusque cernitur, dextera Hastam, sinistra autem fulmen gestans. Inscriptio est, Jovis Statori; ita enim à Romulo fuit cognominatus, quod scilicet Romanos milites à Sabinis in fugam conversos stitisset, qui renovato prælio, frontem non terga hostibus ostendissent. Non longe diversus exstat in quodam numismate Diocletiani; in quo est Jupiter stans, dexteraduas sagittas, vel potius duo fulmina, sinistra vero hastam habet erectam, cum his literis, Jovi Conservatori. In altero etiam ejusdem Diocletiani, Idem est Jupiter, dextera, Victoriolam porrigens, sinistra hastam erectam habens, inscriptio est hujusmodi; Jovi Conservatori orbis. Nam Nullum insigne est magis Jovi proprium fulmine; licet Romani olim idem etiam, ut Plinius refert, Summano attribuerint; qui quidem idem erat atque Pluto: sed tamen nocturnum tantum ei fulmen, diurnum vero Jovi adscribebatur. Verum Hetrusci fulminum diligentissimi observatores, Vulcanum atque Minervam quoque fulmen jacere senserunt; quo ea Græcorum classem exussit. Quare Virgilius in primo Æneidos Junonem introducit, talia secum flammato corde volutantem, cum videret Trojanorum reliquias, Ænea duce, se ab Italia avertere non posse, nec eis pro libidine nocere;

Jupiter Custos.

Jupiter Stator.

Jupiter Conservator.

Fulmen datum Summano.

Fulmen multorum Deorum insigne.

--Pallasne exurere classem
Argivum, Atque ipsos potuit submergere ponto?
Ipsa Iovis rapidum jaculata e nubibus ignem:
Ast ego, &c.

Manubiarum colorum.

Idem dicebant, manubias ab aliis Diis emissas albas ac nigras esse. Sed quam Jupiter jaculabatur, rubram fuisse, ut Acron Horatij interpres refert, cum scilicet ea verba exponeret:

--& rubente
Dextera sacras jaculatus arces.

Fulminum tria genera.

Sunt tria fulminum genera, ab Aristotele tradita; quorum unum est clarum, mirificæ maxime naturæ; quo dolia exhauriunt, intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto: aurum, æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Martia princeps Romanarum icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit: interficiuntur homines, vestimentis nulla ex parte læsis. Hoc fulminis genus à Minerva proficisci credebatur, quam Jovis è capite ortam ferebant, quæ purissimam, ac subtilissimam ignis partem significat

Miracula fulminum.

significat. Itaque fulmen inde manans, candens est. Alterum genus est, quod adurit hocque est rubeum, Iovis manu emissum. Tertium humidum est, non urit, sed infuscat: quare nigrum dixerunt, Vulcanoque attribuerunt, cui ignis noster, qui fumosus est, facer erat. Quamobrem poëtæ fulmen trisulcum appellarunt, ut quod triplici modo feriat, ac triplici sit acumine præditum: à tribus etiam Cyclopibus illud effingi existimabatur: ut inferius, cum de Vulcano loquemur patebit. Sed tamen nunquam Vulcani imago aut Minervæ cum fulmine effingitur, licet id eis attribuatur, ut fulminis natura, atque effectus declarentur. Iovi vero interdum in manus tradebatur, alias ad pedes, aliquando id ei Aquila rostro, vel unguibus gestabat: atque alias aliter, semper tamen Iovi fulmen adpingitur. Seneca libro II. quæst. natural. inquit, ad coercendos animos imperitorum sapientissimos viros Iovi fulmen tradidisse, ut supra nos scilicet aliquid timeremus, utile enim erat, in tanta audacia scelerum aliquod esse, adversum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuere super caput vindicem, & quidem armatum. Neque solum ut idem dicit, ipse per se Iupiter fulmen mittebat: sed etiam (quod superius etiam diximus) ex aliorum Deorum consilio: hocque genus pernicioſum sane erat; sicut placabile existimabatur quod solus jaculabatur. Hinc Seneca infert, inquiens, quemadmodum Iovem prodesse solum oportet, nocere non, nisi cum pluribus visum est; ita hos, qui magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio pœnas irrogare non debere, sed multos aduocare, considerare multorum sententias, placita temperare, & hoc sibi proponere, ubi aliquid percuti debet, ne Iovi quidem suum satis esse consilium. Idemque Iovem interdum levioribus fulminibus, atque lusoriis telis uti, non autem semper gravibus, eo spectare vult, ut ij admoneantur, quibus adversus peccata hominum fulminandum est, non eodem modo omnia esse percutienda; sed quædam frangi debere, quædam elidi, & distringi, quædam admoneri.

Ægida quoque Iupiter legitur sinistro brachio gestasse, quæ erat pellis capræ illius, à quo fuit nutritus; qua excussa, pluviæ creari dicebantur, perinde atque dextera fulmina emitti, quemadmodum Servius apud Virgilium, adnotat in IIX. Æneid. cum dicit. *Ægis à Iove gestata.*

-- Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, cum sæpe nigrantem:
Ægida concuteret, dextra nimboſque cieret.

In eadem pelle, quam Diphteram vocabant, Iupiter omnia hominum facta perscribere credebatur, ne scilicet e memoria effluerent; ac multa quidem pro tempore dissimulare; verum aliquando de improbis pœnas sumere: quare, cum aliquem improbũ, postquam diu in sua improbitate vivere situs *Diphtera Iovis liber.*

esset, sero tandem pœnas dare viderent, proverbio dicebant; Inspexit, etsi sero, pellem Iupiter: Sed & idem absque fulmine in quadam statua, quæ erat in Caria, cernebatur; immo nec Sceptrum, nec quidquam eorum habebat, quæ superius esse Iovis insignia diximus; Sed tantum securim tenebat. Cujus quidem rei hanc causam Plutarchus affert; quod scilicet, Hercules, Hippolyta Amazonum regina interfecta, ab ea una cum cæteris armis securim ademerit, quam & Omphalæ, suæ amasiæ donarit, quæ erat Lyda genere: quare Lydorum reges eam postea tamquam sacram servarunt, & religionis ergo gestare solebant. Hæc deinceps post longam annorum seriem tamquam per manus tradita ad Candaulem pervenit; qui eam ob factum ferre detrectans, ferendam cuidam suo assecłæ tradidit: Sed Giges, Cariæ Rex ambobus interfectis, una cum cæteris spoliis, securim in Cariam detulit; ibique extructo Iovis simulacro, securim in illius manu dedit, & Labradeum Iovem appellavit; nam Lydi securim λάβρυν vocant. Ex hujus Iovis Labradei statua, quemadmodum refert Ælianus, gladius nomine Carius appensus fuit: qui ideo venerationem habuisse dictus est, quod Cares primi belli officinas instituisse, pecunia & mercede militasse, Loris clypeos appendisse; & cristas galeis accommodasse ferantur.

Iupiter Labradeus

Quia vero pictores non minus interdum Poëtarum figmenta periculo exprimunt, atque ipsi Poëtæ effinxerint; Ctesi lorus Apellis discipulus eam fabulam, qua Iupiter Bachum peperisse fingitur, ad vivum suis coloribus repræsentavit; nam ut Plinius lib. XXXV. Refert, Iovem parturientem mitratum depinxit, & muliebriter ingemiscentem inter obstetricia Deorum. Nihil hic de Bacho dicam, quem Iupiter diu femori agglutinatum habuisse ferunt, quoad partus hora veniisset: Hujusmodi enim fabulæ ex ovidio lib. Metamorph. facile cuivis notæ esse possunt. Sculptores etiam statuarum suarum exempla sæpe à Poëtis mutuati sunt. Quare quidam Leontini, quemadmodum scribit Pausanias, suis sumptibus Iovem septem cubitos altum, Aquilam sinistra, dextra vero Iaculum continentem effinxerunt; quod eum scilicet ita à quibusdam Poëtis descriptum legissent. Strabo cum de Iovis Olympii templo scribit, quo ex universa Græcia concursus fiebat maximus, certatim omnibus splendida dona afferentibus, inter cætera dicit, ibi statuam Iovis videri, ex ebore à Phidia factam, eamque ita vastam, ut templum id quamvis maximum, exiguum magnitudini statuæ esset, quare reprehensione dignus fuisse artifex visus est, quod statuam ibi posuerit, quæ loco minus congrueret; nam ea sedens, vertice tectum attingebat, quare si forte surrexisset, templi proculdubio operimentum perfregisset. Sed tamen ea apud omnes fuit laudatissima, nam ut Quintilianus ait, vastitas illa religionem injicere intuentibus videbatur, & nescio quid majestatis Iovis numinimini addebat, hanc ad Homeri descriptionem exsculpsisse Phidias fassus est, qui in Iliade ita de eo inquit;

Imago 22 a Bellicorum instrumentorum inventores.

Iupiter parturiens.

Annuit

Annuit, & nutu totum tremefecit Olympum

sæpe etiam pictores sui animi commenta depinxerunt ut fecit Apelles, cum conjurationis fuit factus reus, quod inferius in calumniæ imagine exponemus: & Nealces ingeniosus & solers in arte, & Plinius lib. xxxv. refert cum prælium navale Ægyptiorum & Persarum pinxisset, quod in Nilo, cujus aqua est mari similis, factum volebat intelligi, argumento declaravit, quod arte non poterat, asellum enim in littore bibentem pinxit & crocodillum insidiantem ei: nam magna est in Ægypto crocodillorum copia, sicut in persia asinorum, quam à pictoribus & sculptoribus excogitatum dicunt. Deorum imagines absque hominis vel animantis alicujus figura effingere, qualis legitur Veneri Paphiæ statua fuisse. Sol etiam ita apud Phœnices fuit expressus. Sicioni qui est Peloponesi populus, Jovem Pyramidis instar habuerunt quod eodem referri crediderim, quo ejusdem effigies, inferioribus partibus nudi, & superioribus tecti referebatur, de qua superius diximus; basis enim ejus statuæ tenebras significat, quibus impediti, dum hanc vitam vivimus, divina illa, minus intueri possumus; Quæ acutis mentis obtutibus sunt cernenda, quos pyramydis cuspis nobis adumbrat, tunc autem ea cernimus, cum omnibus harum rerum affectibus exsuti intelligentiæ aciem acuimus, vel cum corporea hac mole deposita, sursum ad Deo fruendum evolamus. Imago. 24.

Quintus Curtius lib. IV. scribit, apud Troglodytas in luco Jovi Ammoni consecrato, fontem extitisse, quæ aqua solis vocabatur, hæc oriente sole terebat, meridie frigebat, vesperi calebat, in tempesta nocte fervebat, & nocte ad auroram declinante paulatim usque ad teporem deferuebat ibidem ait pro numine quoddam simulacrum habitum, quod nullam cum cæteris similitudinem haberet, sed instar umbilici esset ex smaragdis, aliisque lapillis prætiosis coagmentatum; subtus quidem latum, ac rotundum, quod paulatim versus cuspidem attenuaretur, cumque ex eo aliquid sciscitari vellent, solemni pompa sacerdotibus supra auratam naviculam gestatum, cui in circuitu multæ argenteæ pateræ adhærebant. In pompa sequi matronas atque origenes, in composita quædam carmina concinentes, quibus sibi persuaderent, Jovem certa responsa redditurum. *Jupiter Ammon.* *Solis fons statua umbilici instar.*

Sed & sub arietis specie Jupiter Ammon fuit cultus, cujus rei hanc esse aliqui causam dicunt, quod Bachus cum exercitu per Lybiæ deserta ambulans, sitiens, cum opem à patre Jove petiisset, ab ariete ad fontem sit ductus, ubi sitim universus exercitus sedarit. Atque credentes Jovem formam illam indutum, aquas ostendisse, altare, atque arietis simulacrum ibi Jovi posuerunt, Ovidius à fabula non recedens, vult Jovem eo tempore, quo Dij Gygantum impetum declinantes in Ægyptum secessserunt, ut tutus ab eorum vi esset, se in arietem convertisse. Herodotus rationem afferens, *Jupiter sub arietina specie.*

cur Thebis, quæ civitas est in Ægypto ; nefas esset, oves mactare, dicit Jovem, cum nollet se Herculi mirum in modum ipsius aspectum desideranti, videndum præbere. Ubi quotidianis efflagitationibus sibi ab eo molestia exhiberetur, tandem ejus precibus victum cessisse, ac se pelle arietina tortum ostendisse : ex hoc quæ Ægyptios Jovis simulacri exemplar sumpsisse, quod specie arietis effingebant. Quare hanc belluam apud eos divinos honores meruisse, neque unquam in sacrificium mactari, præterquam quod die Jovi sacro, quotannis caput arieti abscinderent ei pellem detraherent, qua Jovis simulacrum vestirent ; ad quod Herculis effigiem admoverent, ita ut hoc illud cerneret, post omnes ad decoriatum arietem, verberandum proficisci, cujus cadaver in sacra urna conditum, maxima cum religione sepelirent ; Neque tantum apud Ægyptios Iupiter Ammon fuit, sed & apud Arcades, quemadmodum Pausanias recitat, apud quos ejus effigies cernebatur forma quadrata, instar Hermarum, quæ sunt Mercurii statuæ. Alexander Neapolitanus scriptum reliquit, Celtas qui sunt Galliarum populi, loco Iovis altissimam quercum veneratos esse, fortasse quod eam arborem Iovi sacram scirent, ex cujus fructibus olim homines victitassent, tanquam Iovis esset, eos alere quos in lucem edidisse, eisque prospicere crederetur. Quamobrem antiqui omnes fere Iovis statuas quernis foliis coronare consueverant ; perinde atque ea arbor vitæ Symbolum esset, quam ab eo inmortales dimanare existimarent. Itaque Romani, eos milites querna corona cohonestare solebant, qui civem Romanum in pugna ex morte servassent, ei vitæ insignia tribuentes, qui vitæ alicujus autor exstitisset. Sed & ex oleæ foliis aliquando Iovem redimebant ; hujusmodi enim arbor semper viret ; plurimum utilitatis in mortales importat ; ejus folia cœlestem colorem referre videntur : quamvis minervæ, aut Palladi potius sacra esse videatur. Pausanias narrat, alicubi in Græcia Iovis simulacrum extitisse, quod in altera manuum avem, in altera fulmen teneret, variisque florum generibus circa tempora esset redimitum. Interdum Iupiter regiam coronam gestabat, quemadmodum superius ex Marciano vidimus ; nam cujus effigies, ut eam Pallas cum Arachne certans, apud Ovidium acu pinxit, erat regia ; idque non injuria, cum Deorum, Hominum, universique orbis Rex crederetur. Servius decimam Virgilii Eclogam enarrans scribit, propria Iovis insignia, quæ triumphantes gestare solebant Sceptrum, togatamque palmatam fuisse (quod erat vestimenti genus purpureum, magnum atque latum, dictum à palma, in eo intexta ; alii à latitudine clavorum aureorum, qui in eo picti erant, dictum putant) itemque faciem rubro colore tinctam habere ; nam ut Plinius refert, Romani quolibet festo die Iovis, faciem minio illinire solebant, & à censoribus in primis Iupiter miniandus locabatur, ex quo mulieres sumpserunt exemplum sese minio fucandi, ut rubræ videantur, quod putent se ita pulchriores reddi, cum interdum se his fucis

Aries cultu affectus.

Imago 24.a.

fucis maxime deformes exhibeant. Apud Æthiopes proceres totos se eo tingebant, hicque ibi Deorum simulacris color erat.

Victimæ variæ immolatæ.

Victimæ, quæ Iovi diversas ob causas, aliis atque aliis temporibus, sub variis cognominibus immolabantur, erant capra, agna bima, candidus taurus cornibus auratis: idque apud Romanos, qui interdum ei farre, sale, atque thure, absque alia victima faciebant. Apud Athenienses ei bos mactabatur, maxime quidem ridiculo ritu; qui erat ejusmodi, ut apud Pausaniam in Atticis legitur; In Poliei Iovis ara Ordeum tritico permixtum apponebant, neque custodes adhibebant: bos ad sacrum comparatus dum ad aram accedebat, fruges eas attingebat: ex Sacerdotibus is, quem Βοτύπον, id est bovis percussorem appellabant, securim in illum jaculatus, fugiens abibat: qui assistebant, tamquam eum, qui bovem percussisset, non vidissent, securim in judicium ream citabant. Hic mos inde derivavit, ut Suidæ videtur, quod in festo Jovis ferunt taurum sacras placentas devorasse, paratas ad sacrificium, quem Taulon quidam, arrecta Securi, statim interfecerit, atque fuga evaserit: Bipennis relicta ad judicium postulata, absoluta est: & eum deinceps ritum quotannis servabant. Neque mirum, apud Athenienses securim ream peractam; nam inter Draconis leges res quoque inanimatas, cum facinoris auctor non reperiretur, citari, damnari, relegari, extraque civitatem abiici, aliasve pœnas irrogari pro criminis ratione volebant. Quare apud Pausaniam de Theagene, & apud Suidam de Nicone Athleta, simile quidpiam legitur. Hic pugil fuit, & pugnis, & lucta, pancratio, cursu, & aliis certaminibus, in Olympiis, Nemeis, Isthmiis & alibi victor acceperat coronas, ut ajunt, Mille quadringentas: cum vero è vivis excessisset, quidam accessit ad statuam ejus, quasi viveret, & flagellis eam cecidit; in quem illa collapsa, hominem contumeliosum ulta est: interfecti autem filii cædis ream egerunt statuam; itaque eam Thasii in mare abjecerunt secundum leges Draconis. Pythia vero Thasios, ex hoc iniquo judicio peste laborantes eam statuam restituere jussit. Quicum dubitarent, quo pacto illa è mari extrahenda esset, piscatores retia cum laxassent, ut pisces caperent, eam e mari extraxerunt, quam Thasii in pristinum locum restituerunt, eique postea divinos honores decreverunt.

Ridiculus ritus sacrificandi.

Bipennis rea facta.

Fabulæ quæ plurimæ de Jove narrantur, multa præbent argumenta, ejus effigiei diverso modo exprimendæ; nam eum referunt alias atque alias subinde formas induisse, ut amatis rebus frueretur; in taurum enim se convertit, ut cum Europa concumberet; in Aquilam, ut Ganymedem atque Asteriam raperet, in auream pluviam, ut Danaæ illuderet; in Cycnum, ut Lædam opprimeret; in ignem, ut Æginam falleret; in Amphitryonem, ut cum Alcmena coiret; in Dianam, ut Calisto ni se jungeret; atque in alias innumeras figuras se vertisse fertur; de quibus nihil dicendum statui; quandoquidem veteres ad eas nullam Jovi imaginem expressérunt.

DE JUNONE.

Iuno Iovis Sorer.

QUI senserunt, antiquos sub variorum Deorum nomine elementa coluisse, pro aere Iunonem intelligendam tradiderunt; quam ideo Jovis sororem fabulati sunt, quod Iupiter pro Igne poneretur: atque sicuti illum cœli regem, ita hanc Reginam vocaverunt. Ignis enim atque aer in sublimioribus locis degunt, majoremque vim in res has caducas possident, quam cætera duo elementa. Interdumque eandem pro terra acceperunt; quare & Jovis uxorem finxerunt; virtus enim quædam seminalis ex superioribus corporibus in terram influit, quæ vim illi elargitur, ea omnia proferendi, quæ affatim ipsa producit; non secus atque vir genitale mulieris arvum suo semine conspergens, id ad prolem concipiendam, suoque tempore edendam compellit. Itaque Virgilius hoc innuens, Jovem dixit in sinum uxoris copiosis pluviis descendisse. Nonnulli Junonem idem cum Luna numen esse voluerunt; ei aliqua Lunæ cognomina attribuentes, nam Lucinam vocaverunt, tamquam ea esset, quæ à parturientibus implorata adesset, ac fœtum in lucem educeret. Hinc factum est, ut antiqui alia corporis humani membra aliis diis adscribentes, sub quorum tutela essent; Junonem superciliis præposuerunt; quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quem tribuere putabant Junonem, Lucinam dictam. Sed tamen & brachia eidem sacra leguntur: quamobrem Homerus, qui unicuique Deo pulcerrimum aliquod membrum tribuit, à quo eum cognominet; Junonem λευκώλενον appellat, quod est, candida brachia habentem. Itaque ejus simulacrum aliqui ex materia pura atque candida effinxerunt, corpus scilicet Lunæ adumbrantes. Lucianus testatur, quamvis Dea dicta Syria, quæ Hieropoli colebatur, Juno esset; tamen ejus statuam non unum aliquod videri numen referre, sed plurima, in ea enim aliquid Palladis, Veneris, Dianæ, Nemesis, Parcarum, atque aliorum numinum, manifesto deprehendebatur; ea supra duos leones sedebat, altera manu Sceptrum, altera fusum gestabat, radiis caput insigniebatur; plurimaque alia in ea cernebantur, quæ aliarum Dearum erant propria. Hinc Lucianus ostendit, Junonis numen sub diversis nominibus honore atque cultu fuisse olim affectum. Quare minime mirum videri debet, si ea Lucina quoque est appellata; quam parturientes, ut sibi adesset invocabant, quemadmodum Terentius in Andria facit Glycerium, dum partus dolores experiretur, ita dicentem.

Vxor Iovis.

Supercilia sub Iunonis tutela.

Dea Syria.

Juno Lucina fer opem, serva me, obsecro.

Hæc ab antiquis fingebatur, sicut in Faustinæ numismatibus exstat, ibi enim matronæ stolatæ imago stans cernitur, quæ dextra pateram, sinistra hastam tenet, his literis adscriptis, JUNONI LUCINAE. Fere omnibus Deorum

Deorum imaginibus antiqui haſtas tradiderunt, ut & in jam expoſitis patet, & in plurimis aliis dicetur: quare ejus rei ratio non videtur mihi amplius differenda; quæ quamvis alibi commodius forte reddi poſſe videatur; non tamen hic incommode aliquid de ea re attingemus; nam quiſpiam hic admiretur, cur Juno, quæ pacifica fingitur, haſtam geſtare dicatur, bellicoſorum eſt propria: hoc quidem non ſemper eſt verum; ſæpe enim ſe valdè ferocem præbuiſſe narratur; ut tunc ſcilicet, cum opem Græcis contra Trojanos tulit, adverſus quos omnes ſuas vires eſt experta, & (ſi Homero credimus) armata currum conſcendit, una cum Minerva in aciem prodiit: ejus currus (nam præſtantiſſimi quique bellatores e curru tunc pugnare conſueverant) ita ab Homero deſcribitur: lignum tranſverſum, quo currus ſuſtinebatur, erat ferreum, rotæ æneæ erant, octo radiis ſuffultæ, circuli eos ambientes aurei, ære obducti, argento tegebatur locus, unde radij exiſtebant. Supra Deæ ſedes loris aureis, atque argenteis contexta erat; temo argenteus, jugum aureum erat; equorum inſignia aurea: nam licet alias ejus currus ab avibus tractus legatur, tunc tamen equis ei opus erat. Virgilius etiam eidem currum, atque arma adſcribit, cum de Carthagine in primo AEneid. loquens, ita dicit;

— Hic illius armà,
Hic currus fuit.

Quare nemini debet abſurdum videri, Junoni ab antiquis fuiſſe haſtam conceſſam, neque me hoc loco rationem afferre, cur plurimis Deorum ſimulacris haſtæ ſint additæ; quæ ex Juſtino eſt hujuſmodi; olim ſcilicet reges pro diademate, aliiſque regiis inſigniis haſtam geſtabant; atque in orbis primordiis homines nullas Deorum ſtatuas habebant, præterquam haſtas, quas religioſo cultu proſequebantur. Sed cum humana forma effingi Dij ſunt cœpti, tunc ſtatuas non haſtas coluerunt: ſed tamen ut antiquæ religionis aliqua veſtigia exſtarent, eorum ſimulacris haſtas addiderunt. Cum Anchiſes apud Virgilium lib. VI. Æneid. Æneæ progenien ex ipſo orituram oſtendit, ab adoleſcente incipit, qui haſtæ inhæret: ubi Servius adnotat; haſtam apud veteres præmium eorum juvenum eſſe, qui, interfecto aliquo hoſtium in prælio, tunc primum ſuæ virtutis ſpecimen oſtendiſſent: Haſtamque plurimi ab antiquis factam, cæterisque armis præpoſitam; ea enim præſtantiæ, atque imperii erat argumentum: quare fortibus viris donabatur; ſub haſta quinetiam auctionem fieri ſolitam; deniquc Carthaginenſes, cum bellum Romanis denunciaſſent, eis haſtam miſiſſe, Suidas refert; morem Athenis fuiſſe, ut cum efferretur cadaver ejus, qui interfectus eſſet, haſta in pompa præferretur, aut ad ſepulcri caput affigeretur, hoc ritu interfectore admonito, ſe inultum non abiturum. Quare olim Haſta maximi ducebatur, & pulcerrimum erat inſigne. Hæc igitur eſt cauſſa,

cur

cur ea sacris imaginibus adpingeretur. De Junonis curru, ab Homero descripto dici posset; cum varios colores significare, qui interdum in aere cernantur. Sed Buccatius lib. IX. Genealog. sentit, dicens eum idcirco ita esse splendidum, quod Juno divitiarum Dea Credebatur: arma quoque ideo ei data ut intelligeremus, homines inter se fere divitiarum causa pugnare. Quare eidem sceptrum in manus tradiderunt, innuentes, in ipsius esse potestate, divitias atque regnum elargiendi, quemadmodum ea paridi pollicita fuisse fingitur, cum scilicet vellet, trium Dearum pulcherimam ejus judicio decerni, quod quidem magnam habet probabilitatem, si pro ea terram intelligamus, cujus sententiæ est, Fulgentius, qui Junonem capite velo, obducto manu sceptrum gestantem describit, hoc ostendens qua in parte regna, Imago 25. a. at divitiæ consistant; in Terra namque Reges suam ditionem habent; in terræ etiam visceribus, divitiæ latitant, nam inde aurum, argentum omniaque metallorum genera effodiuntur, ex inde lapilli præciosi extrahuntur. Huic Deæ Pavo sacer erat. Quare Pausanias Templum Junonis alicubi in Græcia describens inter cætera quæ inibi esse recenset, extitisse etiam dicit pavonem, ex auro factum, atque gemmis maxime splendidis, quem Deæ Hadrianus Imperator obtulerat. Ratio autem, cur sub Junonis tutela, hæc avis esset, præter id quod de Argo refertur esse potest, quod divitiæ non secus animos nostros demulceant, atque pavo intuentium oculos oblectet; *Buccatius libro IX. de Deorum Genealog.* Pavones atque divites inter se comparans, multa in eam sententiam dicit; nam utrique voce, maximam superbiam atque arrogantiam ostentant; aliis semper se præferunt; falsa aliorum laude se jactant; aliaque plurima apprime similia deprehendi in utrisque possunt. Sunt aliæ quoque aves, quæ Junoni consecrabantur, inter quas fuit quoddam accipitrum genus, item & vultur, quemadmodum refert Ælianus, juxta Ægyptiorum morem, qui hujus avis, pennis Isidis simulacrum cernebant, quæ apud eos plurima in se numina colligebat, quæ à Græcis atque Romanis colebantur. Eisdem pennis domorum Januas ornabant: quod secundum Alexandri Neapolitani sententiam ad domus nobilitatem, atque antiquitatem ostendendam referebatur, Anseres quoque Junoni erant sacri; quorum aliquot Romani in ejus templo alebant, quod scilicet anseres se in capitolio à Gallis obsesso, patefactis hostium insidiis, à præsenti discrimine liberassent. Itaque in hujus beneficii ab illis accepti memoriam publicis sumptibus in Capitolio aliquot semper alebantur, & Censores id summo studio curabant, ut optime nutrirentur, item argenteus in Junonis templo fuit dedicatus. Atque ut se magis gratos erga hanc avem ostenderent, quotannis solemni pompa, maxima cum religione splendido ferculo anserem gestabant, eodemque tempore canem palo ex sambuco transfigebant, ut ab ea bellua pœnas male custoditæ arcis reposcerent,

Pavo Junoni sacer.

Fabulan-

Fabulantur præterea Poëtæ, Isidem Junonis nunciam fuisse per quam arcus diversi coloris intelligitur, qui in cœlo pluvioso tempore existere videtur: eam dixerunt Thaumantis filiam; quod admirationem significat, quam intuentibus injicit, cum pulcherrima colorum specie oculos ferit: Hoc spectrum ad divitias refertur, quæ primo quidem aspectu, insipientium animos stupore percellunt cum tamen non secus atque Iris statim evanescant. Hæc apud veteres Dea est habita, quam fingebant habitu muliebri, Versicolore veste, non nunquam & croceo in obsequium expeditam; alias etiam versicolores ei Virgilius tribuit in IV. Æneidos cum eam à Junone missam fingit, ad Didonis crinem incidendum. Juno etiam fertur quatuordecim Nymphas ad sua obsequia habuisse paratos, ut in primo Æneidos Æolum alloquens, ipsa de se dicit; quarum pulcherrimam illi in Uxorem pollicetur, si ipse ventos, quorum Deus credebatur ad Æneæ classem disjiciendam emittat, hoc aeris turbationem portendit, quem Iuno adumbrat: hujusmodi sunt nubes, venti, pluviæ, nives, fulgura, tonitrua, caligines, atque id genus alia: Quæ etiam à Martiano Capella lib. primo Philolog. Sub Iunonis imagine repræsentantur, quam ita describit. Juno tecto capite lacteo quodam galumnate prænitebat: Cui gemmis insitum diadema preciosis: nam neque Scytidis Vireta nec Cerauniorum Vibrans, fulguransque lumen nec fructicolor Hyacinthi credebatur abesse profunditas, sed totum illud sertum capitis fulgurantis Thaumantios obtulisse reginæ cœlitum ferebatur. Ipsius vero divæ vultus assidua perlucens gratia fratri consimilis, nisi quod ille immutabili lætitia renitebat: Hæc commutationum assiduarum nubilo crebrius turbidabatur: nam vestis ejus hyalina, sed peplum fuerat caliginosum: quod tamen si appulsu cujusdam luminis tangeretur, inter obumbrantes nebulas sudæ perspicuitatis gratia præniteret. Hæc fulmen dextera læva sonorum bombis terrentibus sustinet tympanum hujus calcei admodum furvi; quorum soleæ atræ noctis nigredine colorantur (sed Hesiodus eas vult esse auratas: in cujus sententiam Poëtæ omnes discedunt) ejusdem genua Zona quidem diversicolor ambiebat, quæ nunc præfulgido respondebat orbe, nunc vanescentis gratiæ tenuata varietas ita penitus obliquabat, tanquam nihil habuisset ante discolorum. Hæc Martianus: quæ ita clare aeris qualitates ostendunt, ut nihil sit opus explicatione, Itaque ad aliam Junonis statuam, de qua Pausanias in Corinthiacis meminit, veniamus, Deæ signum in Solio sedebat, eximia magnitudine auro & Ebore fabricatum, Policletiopus; corona erat capiti imposita: ea Gratias & Horas egregie factas habebat; Dea manu altera punicum malum, altera Sceptrum tenebat, cui cuculus insidebat; quod idcirco factum dicunt, quod Virginis Junonis amore captus Jupiter in eam se avem verterit, quam puella tanquam ludicrum captarit, in hoc suam sententiam

Isis.

Junonis Imago.

Imago Dea.

tiam Pausanias interponit, dicens se hæc, & quæ his sunt similia, de Diis vulgata, & si vera neutiquam existimet, non putare tamen negligendam perinde atque aliquod arcanum sub his fabularum involucris latitet: Quod tamen cum ipso non patefaciat: neque ego audeo aliquid comminisci; sæpius enim sum fassus, me nolle ibi aliquid temere asserere, de quo antiqui tacuerunt.

Apulejus lib. X. de Asino aureo, cum judicium Paridis in scena actum describit, inquit in scenam mulierem prodiisse, quæ Junoni erat similis, honesta forma habentem in capite candidum Diadema, & Sceptrum manu gestantem Castore & Polluce comitatam, qui cassides in capi e gestabant, stellarum apicibus insignes, atque ita quoque efficti in antiquis numismatibus vescuntur.

Castor & Pollux.

Hi Dioscori id est Jovis filii dicebantur, qui ita charitate se mutuo complexi feruntur, ut vita inter se divisa, vicissim viverent, atque morerentur; efficerentque signum, quod Geminos vocant. Spartiatæ ita horum simulacra effingebant; erant duo ligna paralella duobus obliquis conjugata, id quod putabant, fraterno Deorum amori simulacrum proprium esse, horum unus pugillatu, alter equo plurimum valebat. Quare ambo sæpe fuerunt efficti albis equis insidentes, qui illos forte referebant, quos à Junone dono acceperant, à Neptuno ipsi traditos; quorum nomen uni Xantus, alteri Cyrallus erat: Equites hi in quodam pervetusto Athenis Templo visebantur; atque ea forma Vacieno, cum è prætura Reatina Romam veniret, noctu visi sunt, dicentes Persem Regem illo die captum quam rem Cicero lib. III. de nat. Deorum narrat: Justinus scribit, in prælio inter Locros & Crotoniatas, duos adolescentes egregia forma, statura procera, in equis albis, diversa ab aliis arma ferentes: purpureis vestimentis indutos visos esse, qui in prima acie fortissime pro Locrensibus, quorum numerus ad quindecim millia perveniebat, contra Crotoniatas, qui ad centum viginti millia erant, sed tamen hos ab illis fractos, ac profligatos fugisse, duorum illorum proculdubio opera, qui ejusmodi victoria parta, ex hominum oculis evanuerunt. Hi non injuria Dioscuri crediti fuere: Nam cum Locris à Lacædemoniis suppetias postulassent, iis non impetratis ad Dioscurorum opem implorandam confugerunt. Qui qua forma essent quæque insignia gestarent, optime in se duo illi adolescentes Messenii, de quibus Pausanias in Messeniis, expressérunt: Hi namque in Laconiæ fines populandi gratia simul excurrere soliti erant: Forte Lacædemonii per fastos Castoris & Pollucis diés, post solemne epulum in ipsis castri compotationibus se, & lusibus oblectabant: Ibi duo illi adolescentes, in albis tunicis & purpureis lacernis, equis pulcherrimis invehentes hastas manibus tenentes, de improviso se Lacædemoniis ostendere, illi castores esse rati, qui sacris interesse suis voluissent, adorabundi occurrerunt, eorum sibi

Image 27.a.

numen

numen precibus implorantes. At juvenes, ubi primum in medium recepti sunt, tumultum, & stragem, modo hos, modo illos hastis ferientes, ediderunt; atque inde ad suos impune, violatis sacris, reverterunt. Pileati præterea, Castor atque Pollux fuisse feruntur, ut à Catullo in hoc scaronte;

A pileatis nova fratribus pila.

Nam Laconibus, ex quibus Dioscuri fuerunt oriundi, pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. Pausanias in quadam Laconiæ parte sigilla nonnulla pileata extitisse narrat; quæ non certo asseverat Castorum fuisse, nec ne.

Hic libet aliquid de pileo dicere, quod apud Romanos olim erat libertatis insigne; nam cum servum manumitterent, ei caput radebant, ac pileum tradebant: hoc apud Feroniam fiebat; nam ea manumissis servis, id est libertinis præesse putabatur. Quare Plautus in Amphit. servum introducit ita optantem; *Libertatis insigne.*

Vt ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

Interfecto Julio Cæsare, Romæ passim hastæ cum pileo in vertice humi figebantur, quasi populus ad libertatem vocaretur. Cum urbs in magno discrimine versabatur, ut undique milites ad præsens periculum contraherentur; vel cum quis seditionem commovere vellet, servi ad pileum vocabantur; quo libertas eis certa promittebatur. Hinc legimus, Brutos monetam cudisse cum pileo, duobus pugionibus impositio, eo innuentes, se, Tyranno interfecto, patriæ libertatem restituisse. Nerone mortuo, Romæ, & per provincias, quemadmodum Suetonius testatur, passim populus cursitabat cum pileis; eo gestu significantes, se à servitute in libertatem assertos. Apud Plutarchum legitur, L. Terentium Nobilissimum civem Romanum Scipionis triumphantis currum pileatum sequutum esse, quod captivus cum esset apud Carthaginenses, Scipionis opera liberatus esset. Idem multi quoque cives Romani in triumpho T. Quincti fecerunt, quod ab eo devicta Macedonia, vindicati essent in libertatem, quemadmodum Plutarchus, atque Livius referunt. Pileus præterea virtutis atque scientiæ est argumentum, ideoque nostra tempestate ii, qui Doctoris insigniis decorantur, pileo donantur. Pileatos servos vænum ire solitos, quorum nomine venditor nihil præstaret, Agellius lib. VII. ex Cœlio Sabino refert.

Sed ad Castores revertamur; nam sub Castoris nomine, Pollux quoque ejus frater intelligitur. Itaque Bibulus, qui Cæsaris fuit collega in consulatu, cum suam ab eo auctoritatem usurpari cerneret, qui solus amborum nomine cuncta præstaret; sibi fatebatur id accidisse, quod Polluci; nam templum, ambobus Dioscuris dedicatum, Castoris tantum, aut Castorum nomen præferebat. Hi, ut Ælianus atque Suidas narrant, juvenes, proceræ staturæ, im-

berbes, inter se similes, militaribus indumentis, ornati Gladios ad femur, Hastasque in manibus habentes effingebantur; stellarumque loco, de quibus supra dixi, flammulæ eorum capiti adpingebantur. Nam scribit Diodorus Siculus, Orpheum, cum tempestate una cum cæteris Argonautis agitaretur, Deis Samothracibus vota fecisse pro salute, ac columitate; & extemplo sedatam tempestatem, cum duo astra supra Castoris, atque Pollucis capita cecidissent; Deorumque providentia se servatos credidere. Unde factum est, ut qui tempestate deprehensi forent Dioscoris vota facerent. Itaque Pausanias quamdam Neptuni statuam, apud Corinthios exsistentem describens, in basi inquit Castores fuisse exsculptos, ut qui navibus, atque nautis salutaria numina crederentur: nam maxima aliqua tempestate in mari orta, solent interdum quidam ignes in sublime micare, qui tranquillitatis Paulo post futuræ spem præbent; de quibus Seneca, ac Plinius scribunt: hi, cum in aere se ostendant, qui pro Junone capitur; non injuria gemini fratres, Castor, atque Pollux Junoni sunt comites attributi.

Castoris opem cur nauta implorarent.

Sed iterum ad Junonem veniendum; quam fabulæ fingunt, ut Theopompus atque Hellanicus recitant, quondam à Jove pedibus vinctam catenis aureis, ex quibus etiam gravissima ferri moles dependebat: itaque ea in sublime pendula visebatur. Hoc eo spectare arbitror, quod ea aeris pars, quæ ab æthere longissime recedit, in qua, ut omnium densissima, nubes caligo, pluviæ, aliaque hujusmodi procreantur, facile cum aqua, atque terra coit, quæ elementa, cum sint gravia, semper sidunt. Apud Pausaniam est legere, in quadam Boëtiæ parte Junoni fanum consecratum, in qua ingens simulacrum ejusdem stantis exsistebat: eam vero ibi Sponsam appellabant. Sed id nominis magis jure ei in insula Samo attribuendum fuisse existimo, quam olim, ut Lactantius ex Varrone refert, Partheniam vocabant, ex Junone, quod adolescentula ac virgo ibi degisse feratur, ibidemque Jovi matrimonio conjunctam. Itaque in templo, quod in eo loco habebat, ei simulacrum erat positum, quod sponsæ speciem referret, quæ forte flammeo obnubebatur; quod velum ita à flammeo colore, qui est ruber, dicebatur, quia scilicet recens nuptæ ingenuo quodam debeant ruboreperfundi. Itaque Varro scribit, apud antiquos morem fuisse; ut nocte tantum nuper nupta cum marito coiret, perinde atque per noctis tenebras minus erubescerent. Eædem ad mariti ædes noctu lectica vehebantur, quæ à mulis, sive bobus gestabatur, quemadmodum Suidas narrat: ubi sponsa in medio sedebat, ejus latera ex una parte marito, ex altera honestissimo aliquo aut amico, aut propinquo claudente. Eis quinque pueri totidem faces præferebant, ut ex plutarcho in Problematibus nuptialibus habetur: quibus cum nocturnæ tenebræ dispellebantur, tum faustum omen afferebatur, fore ut ex illo matrimonio fœcunda proles oriretur: generare enim

Flammeus nuptarum velum.

Faces præferebantur nuptis.

enim nil aliud est, quam in lucem edere. Hæ faces quinarium numerum non excedebant; nam opinantur aliqui, mulierem uno partu ad quinctum pervenire posse, ibique sistere. Sed alii, rem subtilius considerantes, veteres, numerum imparem in nuptiis adhibuisse dicunt, ut eo pacem atque concordiam submonerent; is enim in partes æquales dividi nequit, semper aliquo medio numero remanente, qui ambabus communis, eas iterum inter se conjungere possit. Quamobrem cœlestes Deos impari numero gaudere dicunt, qui pacis semper sint auctores; inferis vero parem esse gratum, à quibus semper discordia proficiscatur; par enim numerus in duas æquas portiones dispesci potest, nihil reliqui existente, per quod rursus partes in unum coeant. Ex imparibus veteres ad nuptias optimo jure quinarium desumpserunt; is enim primus est numerus, qui ex primis pari atque impari, inter se conjunctis existeret; unitas enim numerus non est, sed numerorum principium. Itemque quinque Deos in nuptiis invocabant, Jovem scilicet, atque Junonem adultos, Venerem quoque, Suadelam, & Dianam. Proponebant præterea sponsæ aquam atque ignem; aut ut ostenderent, hæc per se ac seorsim infœcunda, hunc quidem, cum nihil humiditatis contineat; illam vero, cum sit frigida; sed ad rerum procreationem, caliditatem, atque humiditatem inter se coire debere; eodemque pacto ad prolem conficiendam, viri atque uxoris conjunctione opus esse: aut ut eam admonerent, ut quemadmodum ignis res impuras expurgat, & quod in re inest fœcis excernit; aquaque sordes cunctas eluit: ita se pudicam, ac puram præstet, nihil umquam in se admittens, quod labe connubiales leges aliqua respergere valeat. Ferebatur etiam colus atque fusus: itemque in mariti domum per ovis vellus nupta transibat: alios præterea ritus veteres in nuptiis adhibebant; quos, ut ad nostrum propositum minus facientes, prætermittimus; nam paucos hos recensuimus, ut ostenderemus, quo pacto Junonis sponsæ simulacrum esset effingendum; nam hoc Varro reticuit, cum hujusmodi simulacrum Junonis in Samo insula extare testatus est. Sed ad id revertamur, quod ex Pausania dicebamus, Junonem scilicet sponsam vocatam; rationemque, cur ita vocaretur, ex eodem in Bœoticis afferamus; quæ est hujusmodi; Junonem ajunt iratam Iovi, incertum qua de causa, in Eubœam secessisse: Iovem cum placare eam non potuisset, ad Cithæronem, qui tunc Platæensibus imperabat, venisse: fuisse vero Cithæronem nemini calliditate secundum. Ejus monitu Jupiter simulacrum è ligno fabricavit, illudque plaustro vestimentis velatum imposuit: in vulgus verò prodidit, Platæam eam esse, Asopi filiam, quæ sibi esset desponsata, Id ubi ad Junonis aures pervasit, accurrit illico, & ad Plaustrum accedens, veste consciissa, ligneam esse effigiem comperit, quam novam esse nuptam putarat: falsam se itaque lætanti animo ferens, facile in gratiam cum Jove rediit. In ejus rei memoriam festos celebrabant dies, Dedala quæ

Numerus Par, & Impar.

Ignis, & aqua sponsæ proposita.

Iuno sponsa.

nuncupabantur. Hanc fabulam Eusebius ex Plutarcho ita interpretatur; Junonis ac Jovis bella, & dissidia nihil aliud, quam Elementorum intemperiem significant; quæ, nisi certis proportionibus contemperentur, naturarerum soluta, magnam perniciem afferunt. Si ergo Iupiter, id est, calida virtus, ac ignea nimium excesserit, siccitate omnia pereunt: sin vero Juno, humida scilicet & ventosa natura Iovem aspernata superaverit, magna vis pluviæ delata diluvio cuncta vastabit: quod illis temporibus factum, Boëtiam maximè regionem probavit, quæ multitudine aquarum torta fuisse dicitur: Quia quam primum tempestate transacta, terræ apparuerunt,

Imago 28.a. Deorum reconciliatio facta fingitur: Prima vero omnium arborum Quercus effloruit; quæ non modo piis hominibus (ut Hesiodus ait) verum etiam diluvii reliquiis opitulata est; cum glandes rami ferant, & apes cum tegat truncus.

Junonia Rosa. Junonem veteres candidis liliis coronabant, quæ Junonias rosas appellabant; nam ejus lacte respersa, ut fabulis fertur, candida evaserunt; fabulantur enim, Iovem ad ejus dormientis ubera Herculem infantem admovisse, ne eum suo lacte nutritum, tam infecto odio prosequeretur. Sed eum nimis avide lac exsugentem effeciisse ut Dea evigilaret, cognitumque.

Via Lactea. Statim esse projectum, ita ut lac per cælum spargeretur; indeque ea cæli pars dealbaretur, quam viam lacteam Astrologi vocant, aliquid etiam in terras instillaretur, ex quo lilia candescerent. Tertullianus testatur, Argis Junonis simulacrum fuisse, vitium ramis circumdatum, quod leonis pellem pedibus proculcabat: perinde atque in Bachi contumeliam pampinos gestaret, leonemque calcaret, ut Herculi injuriam faceret, quos ambos privignos maximo odio insectabatur. Lanuvij Juno sospita, tanquam Dea tutelaris colebatur, ut Livius refert; ejusque statua sicut Cicero testatur, caprina pelle amiciebatur, Hastam atque Palmam gestans. Festus de Junone Februali Loquens, cur ea ita nuncuparetur, inquit, ei februario mense sacra fieri, ejusque ferias esse Lupercalia, qua die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Junonis, id est pelle caprina. Finxerunt præterea ipsius Junonis simulacrum Æream forficem præferens; sumpta translatione (ut Suidas dicit) ab incidente capillos forfice & purum corpus ostendente: quod manus aeri cujus Juno est Symbolum, in humanis corporibus expugnandis tribuitur. In quodam Neruæ numismate, matrona est cum radiata corona in Throno sedens, læva sceptrum, dextera forficem præfert Juno: Iudicari possit: literæ tamen quæ in eo leguntur hæ sunt, FORTUNÆ. P.R.

Non memini me de alio Junonis simulacro legisse nisi quod aliqui eam tactam effingunt, manibus papaverum capita tenentem, ac ad pedes Jugum habentem; Hoc innuentes quo pacto inter se conjuges conjuncti esse debeant

idem-

idemque refertur ad prolem ex eorum conjunctione exsistentem, hujus imaginis nullam apud antiquos mentionem invenio factam: præterquam quod Jugæ Junonis ara fuit Romæ in vico, qui ideo Jugarius dictus est, ut Festus ait, quod ad hanc aram veteri ritu nubentes vinculis jungebantur in omen futuræ concordiæ. Et Servius super illa Virgilii verba IV. Æneid.

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali:

Jugali, inquit, propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis; Unde etiam Juno Jugalis dicitur. Et cum Dido se Æneæ matrimonio conjungere statuisset, sacrificasse ibidem legitur.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Ex quo nonnulli, itemque ex Veneris imagine, quæ cum compedibus pingitur, Matrimonium expresserunt, quod collum jugo submiserit, & pedes compedibus habeat vinctos, Id alii ex Hymenæo derivarunt, qui nuptiis præesse credebatur: in quibus eum olim, quibusdam conceptis precibus invocabant, ut is suo numine præsens, matrimonium fortunaret. Sed & aliis quibusdam ritibus antiqui conjugalem concordiam adumbrabant: nam conjugibus fausta quæque precati, in nuptiis à male ominatis verbis parcebant: quare sæpe cornicem nominabant, ut inferius in Concordiæ imagine videbimus; Junonique Jugali sacrificantes, fel ex victima extrahebant, idque post altare projiciebant, ut ostenderent inter conjuges nihil amatoris intercedere; quod est, eos vacare omni diffidio, atque odio debere. Atque ideo veteres in nuptiis celebrandis, Hymenæum invocandum sanxerunt; non quod is matrimonium instituisset, sed quod post multos graveque labores, atque discrimina, ad optatas tandem nuptias maxima cum felicitate perveniset. Res autem ita à Luctatio Statii interprete lib. III. Theb. narratur; Hymenæus puer Athenienſis fuit: is, cum annos pueritiæ ætatis excederet, neque adhuc virum posset implere, ea pulcritudine præditus fuisse dicitur, ut fœminam mentiretur. Hic cum unam ex civibus suis virginem nobilem adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat; quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, animum solo satiabat aspectu. Cumque nobiles fœminæ cum virginibus sacra Cereris Eleusinæ celebrarent, subito Piratarum adventu raptæ sunt: inter quas etiam Hymenæus, qui illo & amatam fuerat subsequutus, & ipse puella Creditus. Cum igitur per longinqua maria prædam piratæ vexissent, ad quandam regionem tandem delati perveniunt, ibique somno oppressi, ab insequentibus sunt interempti. Hymenæus, relictis ibi virginibus reversus Athenas, pactus est à civibus dilectæ nuptias, si eis filias suas restituisset: quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem: quod conjugium quia felix fuerat, placuit Athenienſibus nomen Hymenæi nuptiis miscere

Matrimonium.

Hymenæus.

Fel projectum.

Narratio de Hymenæo.

Hæc

Hæc Lactatius. Sed Donatus in Adelph. Terent. atque Servius in primum Æneid. ipsum etiam Hymenæum tradunt puellas liberasse, cum piratas somno fatigatos interfecissent. Hæc Græci de nuptiarum suarum Deo: sed Romani ominis causa Thalassionem in nuptiis invocabant. Res ita habet; quemadmodum eam Livius describit; Romæ scilicet in raptu Sabinarum virginem unam, longe ante alias specie & pulcritudine insignem à globo Thalassii cujusdam raptam fuisse; multisque sciscitantibus, cuinam eam ducerent, identidem, ne quis eam violaret, Thalassio ferri, clamitatum: propter quod nuptialem hanc vocem factam. Aut hic ritus inde originem trahit; quod Thalassio, juxta Varronis sententiam, signum sit lanificii: nam Thalassionem vocabant quasillum vas utique lanificiis aptum: ut hac voce sæpius repetita, sponsam admonerent, quodnam ejus esset munus futurum: id etiam Plutarchus in Problematibus confirmat, referens quoque, quod superius de colo, atque fuso, atque transitu per vellus ovillum diximus: sed & Festus vult sponsam supra id sedere solitam; ex eo enim lana sumitur, quæ postea colo aptatur; atque hæc verba concepta dixisse; Ubi tu Cajus, ego Caia: quibus verbis designabatur, omnia inter maritum atque uxorem communia esse debere. Atque senserunt aliqui, hujusmodi nomen in nuptialibus cæremoniis fuisse adhibitum, in Caiæ Cæciliæ memoriam, quæ eadem Tanaquil Tarquinii Prisci uxor fuit, mulier sane sapiens, atque omni virtutum genere prædita, quæque domum summa cum providentia administravit. Quare Plinius ex Varrone refert. Romæ magna cum religione ejus fusum, atque colum fuisse servatum; crepidas aliqui addunt. Hincque factum esse asserunt, ut sponsa, ubi primum viri domum ingrederetur, secum colum una cum lana, atque fuso afferret, ut scilicet se ad virtutem mulieris hujus imitandam excitaret, quæ suis laboribus regiam vestem Servio Tullio suo genero confecisse fertur: Hanc postea ad fortunæ templum suspenderunt. Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto soluebat. Factum id ex lana ovis Sextus Pompejus dicit; ut sicut illa in glomis sublata conjuncta inter se est; Sic vir sinus secum vinctus, conjunctusque esset. Cingulum id Herculano nodo victum, vir ominis causa soluebat, ut sic ipse felix in suscipiendis liberis esset. Sicut Hercules fuit, qui LXX. liberos reliquit. In quo Deam Virginensem vir invocabat, quæ fasciis virginalibus feliciter solvendis præesse credebatur. Hanc Deam ut D. Augustinus lib. VI. de Civit. Dei ex Varrone refert, una cum magna Deorum turba in cubiculum ferebant, ut iis opitulantibus, vir facilius Virginalem florem decerperet, neque sponsa id reformidaret, cum tot Deos præsentes cerneret, qui eam ad sese marito permittendam hortabantur, quolibet suum munus exercente; nam distincta erant inter eos munera. Sed Coryphæi Venus atque

Thalassius in nuptiis invocatus.

atque priapus erant. Sed quid opus est referre Deorum numerum, qui ab antiquis nuptiis præponebantur, cum sit fere innumerabilis? neque id mirum; nam (ut supra diximus) apud Veteres mos fuit, ut singulis hominum actionibus singulos Deos præficerent; qui etsi interdum, non erant inter se numine diversi, cognominibus tamen distinguebantur, quod ex Martiano Capella Lib. II. Philol. patet, ubi eandem Junonem ob quatuor munera, quibus in matrimonio fungi putabatur, quatuor cognominibus insignit, quæ sunt Interduca, Domiduca, unxia atque Cinxia. Verba sunt hujusmodi; Jure te mortales puellæ debent in nuptias convocare ut earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas; & cum posses inquit faustum nomen affigas, & cingulam ponentes in Thalamis, non relinquas. Sed jam de Diis nuptialibus satis, de quibus nullam eorum Imaginem apud antiquos me legisse memini: revertamur ad ritus, qui in nuptiis adhibebantur, quatenus ad Hymenæi effigiem pertineant. Solebant olim vittis postes ornare ac eosdem adipe ungere, ne quid mali medicamenti inferretur. Mariti nuces spargebant, pueris magno cum strepitu eos colligentibus, ne sponsæ clamor dum Fasciam Virginalem sibi solui nollet circumstantibus audiretur. Aliis placuit ea id gratia factum, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Varro spargendarum nucum hanc esse rationem putabat, ut Jovis omine matrimonium celebraretur, ut nova nupta matrona esset, sicut Juno. Nam nuces in tutela erant Jovis. Sed de his hactenus. Pingebatur Hymæneus coronatus floribus & ameraco dexteræ focem tenens, sinistra flammeum (lutei Velaminis id genus) quo velo novæ nuptæ se tegebant, idque flammeum vocabatur, quo boni omnis causa eas velari solitas Sex. Pompejus tradit, idcirco quod eo assidue Flaminica uteretur; cui divortium facere non licebat. Sed tamen non incommode referri potest, ad sponsæ ruborem atque verecundiam innuendam, quam idem dicamus licet cum Pudore, quem antiqui tamquam Deum venerabantur: quare ei Athenis altare erat dicatum; Lacedæmone vero simulacrum positum fuit ea de causa, quam Pausanias in Laconicis narrat; Cum Icarius Ulyssi Penelopem, nuptum dedisset, Ulyssis animum tentavit, numquid Lacedæmone domicilium habere velle? Quæ spes ubi hominem fefellit, filiam orare cœpit, ne se desereret, atque ut secum permaneret. Quin & Ithacam jam proficiscentem in curru prosequutus, multis eã solicitabat precibus. Ulysses, tandem victus hominis importunitate, puellæ optionem dedit, vel se ut sequeretur, si id mallet, vel cum patre Lacedæmonem rediret. Ibi illam ajunt, nihil sane respondisse, sed faciem tantum velasse: Icarium, cum sibi probe nosse videretur, quid illa animi haberet, ut cum Ulysse abiret, permisisse. Signum vero pudoris ea in viæ parte dedicasse, quo Penelope, cum faciem velavit, pervenerat: quod forte facie tecta effictum erat

Imago Hymenis.

Imago 29. a.

Quare non temere recens nupta faciem flammeo velabat, quod siniſtra Hymenæus geſtabat; qui & in pedibus croceos ſoccos habebat. Sed ejus imago præclare à Catullo in Epithalamio in Nuptias Juliæ & Manlii adumbratur, his verbis;

Collis o Heliconii
Cultor, Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem o Hymenæe Hymen:
Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci;
Flammeum cape lætus: huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus,
Pineam quate tædam.

Seneca vero in Medea ſic eumdem effinxit his verſibus;

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem diſcutiens, auſpice dextera,
Huc incede, gradu marcidus ebrio,
Præcingens roſeo tempora vinculo.

Claudianus etiam in Epithalamio Palladii & Serenæ ita de Hymenæo canit;

Dulce micant oculi, meas infecerat igni
Solque pudorque genas: dubiam lanuginis umbram
Cæſaries intonſa tegit.

MAGNA MATER.

TERRAM exiſtimavere veteres, omnium Deorum primam; quam ideo Magnam matrem, atque Deorum matrem dixerunt; & pro naturæ ejus varietate, diverſiſque qualitatibus, multa ac varia ei nomina impoſuerunt, multiplici cultu affecerunt, ac diverſas illi ſtatuas poſuerunt. Quamobrem, cum de ea, prout interdum ſub Junonis nomine intelligebatur, ſuperius diſſeruerimus; nunc dicendum reſtat de aliis imaginibus, quæ aliarum Dearum nomine inſignitæ, terram nobis repræſentant; cui uni rerum naturæ partium, juxta Plinii ſententiam lib. II. naturalis hiſtoriæ, eximia propter merita cognomen indidimus Maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit. Itaque ſolebant veteres editum infantem ſtatim in terra deponere, tamquam ſi collo caſſent in ulnis omnium rerum

Terra cur Mater dicta.

rerum matris : quem & illico levabant ; cui rei Deam dictam Levanam præposuerunt ; sicut & Cuninam Deam colebant, quam infantes in cunis tueri, & fascinum submovere credebant. Erat & Vagitanus Deus, qui infantum vagitibus præesse existimabatur. Paventia puerorum pavoris Dea dicebatur. Eduſa & Potina Deæ præsides existimatæ sunt infantum eduliis & potionibus. Quare terra nascentes nos ubi statim excepit, natos alit, semelque editos sustinet semper ; noviſſime complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operit. Neque homines tantum ; aut belluæ, sed omnia quæ hic sunt, à Terra vitam haurire, ab eaque ali, ac conservari videntur. Merito igitur magna mater Deorum ipsorum mater appellatur ; Nam Dii qui à veteribus colebantur, aliquando mortales fuisse perhibentur, ac ea terræ fructibus victitasse constat, instar mortalium cæterorum ; Hæc eadem est, atque Ops, Cybele, Vesta, Rhea, Ceres, aliæque quæ Terram aliquo modo significant : quarum nomina, fabulas, ac alia quæ de iis jactantur, à nobis hic declarabuntur, cum earum imagines describemus, si opportune ceciderit : Nam sicut pictores tabulas omnibus ornamentis convestiunt, quæ intuentium oculos oblectare possint ; ita & nos has à nobis adumbratas Imagines, omni pigmentorum genere distinguere decrevimus, quo legentium animos majori voluptate perfundant, Nam hic interdum nomen aliquod expono, aliquando fabulam interfero, quam vel longa interpretatione declaro, vel leviter præstringo ; nec omitto aliquid attingere, quod ad historiam pertineat. Omnia vero hæc ita præstare studeo, ut loco fiant ; qua ex re si non magnam aliquam oblectationem lectoribus creo, & certe non mihi videor multum molestiæ afferre ; cum rerum Varietas per se nata sit, fastidium magna ex parte levare : Magna ergo mater Ops ab antiquis fuit appellata, ab ope scilicet præbenda ; quia nihil est ; quod mortalibus majori sit adjumento ad vitam tolerandam ipsa terra, quam & Homerus Ζειδωρον, hoc est, vitæ elargitrium cognominat ; ea namque ubi commode degere possimus, undeque victitemus, affatim suppeditat plurimisque rationibus, piissimæ Matris instar nobis prodest. Quare Martianus eam describens, inquit eam grandævam, corpulentamque esse : quod cum iis consentit, quæ Pausanias in Achaicis, de quodam Telluris simulacro refert, quam vocabant Luristernón, id est latum pectus habentem. Hæc quamvis fœcunda, circumfusaque partubus, tamen floridam, discoloramque vestem herbida palla contexuerat ; in qua totus gemmarum, metallorumque Census, atque omnium proventus, frugumque & sationum larga admodum ubertate ferebantur. Ex hac Imagine Terram quivis intellexerit ; quam Varro vult, ut Divus Augustinus refert, Opem vocari, quod humana Opera melior evadat ; & quo magis colitur, eo uberiores fructus proferat : eamdem dicit Proserpinam nuncupari ex

Ops.

enim fruges exeuntes proſerpunt. Veſta dicitur, quod viridibus herbis Veſtiatur. Buccatius lib. III. de Geneal. Deorum hujus Imaginem Exprimit, & quid ea ſibi velit exponit, dicit ergo eam in capite Turritam coronam geſtare, nam terræ ambitus coronæ inſtar eſt civitatibus & oppidis inſignitus. Veſtis præterea ramorum, atque herbarum tentura diſtinguitur, quæ arbores plantas ac herbas oſtendit, quibus terra eſt condita. Sceptrum manu tenet, quo regna, divitiæ ac humana potentia, quæ ſunt in terra ſignificantur, Tympana, quæ apud eam ſunt ad Terræ rotunditatem referuntur, quæ in duo hemiſphæria dividitur, quorum unum ſuperius vocatur, in quo nos degimus, alterum inferius, quod Antipodes incolunt. Quadriga vehitur; nam ea licet immobilis perſiſtat, opera tamen, quæ in ea exercentur, certo quodam ordine per quatuor anni tempora progrediuntur, alio aliud deinceps ſequente Quod à Leonibus trahitur, vel agricolarum in tradendis terræ ſeminibus opera demonſtrat; conſueverè enim leones, ut Solinus dicit, ſi per pulvereum ſolum iter faciant, cauda pedum ſuorum verrentes turbare veſtigia, ne venatoribus, ſui iter neris præſtent indicium: quod & agricolæ ſeminibus injectis ſtatim faciunt, ſulcos tegentes, ne ſemen ſurripiatur ab avibus: vel cum ſint oſſa leonum, oſſibus cæterorum animalium duriora, intelligi voluerunt, vertentium terram, membra oportere eſſe ſolidiora, quam cæterorum: vel ut oſtendatur per leones; quos quadrupedum reges dicimus, & jugo Opis ſubditos, orbis principes terræ legibus eſſe ſuppoſitos. Si vero fabulam ſpectamus, Hippomanes & Atalanta, eo quod in luco Matri Deorum ſacro, nulla religionis ratione habita, una coierint, in leones ab ea converſi dicuntur ac deminæ currui alligati Sedes autem vacuæ circum illam poſitæ deſignant, non ſolum domus, ſed civitates, quæ incolentium ſunt ſedes, vacuas perſæpe fieri, vel peſte agente, vel bello; ſeu quia in terra plurima ſunt loca inhabitata: ſeu quia ipſa terra ſemper ſedes ſervet vacuas naſcituris. Corybantes autem hanc armatos obire veteres voluerunt, innuentes, unumquemque mortalium pro patria ſede debere ſe bellis exponere, & arma pro ſalute patriæ ſumere. Iſidorus præterea ſcribit, clavem Matri Deorum in manus traditam, ut eo intelligeremus, terram hyberno tempore claudi, in ſuumque ſinum ſemen ſparſum abdere, quod vere erumpit; tunc autem terra aperiri dicitur, ſecundum Alexandri Neapolitani ſententiam. Eam antiqui quernis ſertis interdum redimicbant; nam olim homines glandibus, à terra productis victitabant, ſicut nunc frumento, aliiſque fructibus vitam ſuſtentant, quos & eadem terra abunde ſufficit. Coronæ aliquando erant pineæ; hæc enim arbor illi ſacra erat; ob maximam earum copiam, quæ in Phrygia eſt, ubi ea primum eſt Dea habita, & præcipuo cultu afficiebatur, ita ut Dea Phrygia ſit nuncupata. Quare ab ejus regionis monte dicto Berecyn-

Expoſitio imaginis opis.

Imago 30. a

Leonem natura.

Claves in manu Matris magnæ.

Dea Phrygia.

recyntho, est dicta Berecynthia: ita eam Virgilius VI. Æneid. appellat: cum ei similem Romam facit, ita dicens;

- Qualis Berecynthia mater
Invehitur curru, Phrygias turrita per urbes,
Læta Deum partu, centum complexa nepotes.

Aut Pinus Magnæ matri fuit consecrata; quod feratur, Atys pulcherrimus adolescens, ab ea adamatus, in eam arborem conversus. Fabula autem est hujusmodi; Dea hujus pueri amore capta, eum ad se adscivit, ei suorum sacrorum administratione credita; ita tamen, ut virginitatem coleret: quod ille & juramento confirmavit, se facturum: sed postea pulchritudine Nymphæ cujusdam, Sagaris fluvii filiæ captus, promissi oblitus, cum ea concubuit. Quod cum Dea resciviſſet, statim Nympham de medio sustulit; adolescentem vero à se expulit. Qui peccati conscientia permotus, in eum furorem adactus est, ut montes peragraret, semper vociferans, ululans, ac caput concutiens: petris vero acutissimis frusta, ex suis carnibus concideret, & abscissa virilia ab se projiceret. Sed Dea, ejus tandem commiseratione mota, in pinum eum convertit: utque significaret, se adolescentis memoriam retinere, pineis ramis se coronari voluit; ac suos sacerdotes acuta petra se castrare, atque diebus sibi sacris, eos circumire jussit, caput agitantes, brachia compungentes, totumque corpus vulnerantes, ut in eo Atyn imitarentur. Hi sacerdotes Galli quoque vocabantur, à quodam regionis illius fluvio sic dicto id nomen mutuati, ex cujus aquis qui bibissent, statim in furorem atque insaniam rapiebantur. Pausanias in Achaicis scribit, fuisse in Dymæis templum Dindymenæ matri, & Attæ (qui idem est atque Atys) consecratum. De Atta hanc refert fabulam; hic Matris Deum orgia apud Lydos peregit: quare cum apud eam in honore esset, Jupiter invidit, aprumque immisit, qui Lydorum labores & opera vastabat, tum & ipsum Atten interfecit. De eodem aliam longe absurdissimam fabulam narrat; quæ est hujusmodi; Jovem ferunt in somnis semen in terram effudisse, ex quo genius duplicis sexus est natus; quem vocavit Agdistin. Hunc vero Dii metuentes, illi pudendum abscideruntatque exinde nata amygdala: quæ matura cum facta essent Sangarii ajunt fluvii filiam cœpisse, & in sinum posuisse: tum statim fructus evanuit: ipsa enim puella prægnans facta, cum peperisset, hircus puerum exposituum curavit. Sed supra hominem cum formosus adolevisset, pueri amor Agdystin cepit: adultum autem jam Atten propinqui Pessinunta miserunt ad Regis filiam. Canebatur jam Hymenæus: instar Agdistis. Attes vero furore correptus, sibi virilia amputavit, amputavit & Rex, qui filiam illi dabat. Porro pœnitentia Agdistin cœpit, ob eaque fecerat, & ab Jove impetravit, ne quid corporis Attes putresceret, neve liquesceret. Hæc Pausanias Eusebius lib. III. de præpar: Evang. Attis, inquit, maxime flore, significat qui antequam ad

Pinus sacra Magnæ matri.

Attis quid significat.

fructum veniant, defluunt qua propter ei abscissa virilia feruntur. Sed Jam ad magnam matrem revertamur, quæ olim maxima pompa è Phrygia Romam est advecta: legatos enim eo Senatus miserat, cum de eam in urbem accersenda libris sybillinis essent admoniti. Navis autem qua id simulacrum vehebatur, in faucibus amnis Tyberini vado hæserat, nec ulla vi inde amoveri poterat. Tunc claudia vestalis quæ de pudicitia male audiebat, (nam eam comptionem, ac in hominum consuetudine Liberiorem animadvertentes in suspicionem parum integræ ejus pudicitiæ venerant) manibus ad Deam levatis, tu optime nosti, inquit, me impudicam vulgo existimari. Quare te præcor, ut si ejus criminis sim rea, de me tu pœnas sumas: sin semper me castam integramque custodiui, in hujus rei argumentum meam pudicam manum sequi ne detrectes. His dictis, cingulo navem, alligavit, quam facillime, quo voluit, traxit, maximo cum spectantium stupore. De ea autem virgine nemo postea ausus est unquam aliquid, quod ejus famam læderet, loqui; imo ne suspicari quidem. Hoc operæ pretium arbitratus sum narrare, ut qui pudicitiæ imaginem exprimere vellet, habent unde Exemplar desumant: Licet multa eaque præclara argumenta non desint, quæ sparsim hoc in libro sunt disseminata, ad quæ facile quis eam effingat. Hujus Deæ simulacrum, Romam advectum, in atro lapide erat exsculptum, quod cum eo perveniisset, ubi Almon in Tiberim influit, à sacerdotibus ex navi in plaustrum fuit impositum, quod à duabus vaccis trahebatur: atque in urbem maxima cum pompa, & populi publica lætitia fuit receptum; Quo tannis vero eadem pompa celebrabatur, & carpentum, quo vehebatur simulacrum, Almonis undis, immo etiam ipsum simulacrum & sacerdotes, gladii quoque abluebantur: quod ostendit Ovidius in Fastis, sic dicens.

Imago 31. a.

Est locus in Tiberim, quo lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aquis.

In hac pompa currum præcedebant multi nudis pedibus, qui longe obsceniissima de hac Dea, & ejus amasio Aty concinebant. Quare D. Augustinus lib. 11. de Civit Dei exsecrabiles hos ritus detestans; Ante ejus lecticam, inquit, die solemni lavationis ejus talia per publicum canebantur à nequissimis scenicis, qualia non dico Matrem Deorum, sed matrem qualemcunque Senatorum, vel quorumlibet Honestorum virorum, immo vero qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. Herodianus in historia Commodi idem testatur, dicens; Veris initio, solemnique die pompam Matri deûm Romani celebrant, in ea quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque materiæ, aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent; passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas

sonas induant, quas cuique libitum. Alii quoque festi dies, ludi, sacrificiaque in hujus Deæ honorem apud veteres sunt instituti. Sed quia ad rem nobis propositam minime facere videntur, de eis dicere omittamus. Sed tantum dicamus, ei Porcam mactatam fuisse: hæc enim bellua, cum copiosam prolem uno partu effundat, maxime terræ fœcunditatem imitatur. Ovidius refert, ei, cum primum Romam ingressa esset, indomitam juvencam fuisse immolatam, Romanis fortasse Ægyptiorum morem experimentibus, qui hieroglyphicis suis litteris terram volentes innuere, bovem (ut Macrobius scribit) aut Vaccam describebant. Apud Tacitum legitur, quosdam Germaniæ populos Matri Telluri, divinos honores tribuisse, tanquam quæ cunctas in mortalium res adhiberetur. Sed cum ij (ut superius diximus) templis, ac simulacris carerent, divinam ei rem in luco faciebant. Erat currus, pannis opertus, quem nefas erat cuiquam præterquam sacerdoti attingere, ut qui solus sciret, ibi Deam esse: quare nusquam ab eo curru recedebat, quem duæ vaccæ per eam regionem trahebant. Tunc festi dies omnibus incolis indicebantur; arma tractare non licebat, sed ea clausa omnibus erant: regio universa pace, atque ocio abundabat: loca autem, per quæ Dea iter fecisset, maxima cum religione colebantur. Cum hæc diuturna peregrinatione defessa esset, neque amplius apud mortales versari vellet; currum, quo vecta fuisset, quodam in lacu, una cum vestibus, quibus tecta fuisset, immo & ipsam quoque abluebant. Servi vero, qui id opus præstitissent, numquam amplius exsistebant, absorpti lacu illo: quod mirum in modum eorum populorum animos religione opplebat, & numinis majorem venerationem injiciebat. Hæc eadem (ut & Tacitus refert) ab aliis quoque Germaniæ populis colebatur, nullum ejus simulacrum habentibus: qui tamen in ejus religionis argumentum, apri imaginem ferebant; quam omnium armorum instar existimabant, sibi id persuadentes, eo se præsidio tutos ac incolumes à cunctis periculis, atque hostium vi conservandos. In numismate quodam Faustinæ Magna mater ita exprimitur: Est mulier, corona turrita redimita; hæc sedet, dextero brachio sedi innixa; sinistra Clypeum continet, supra genu collocatum; ex utroque latere singulos leones habet. Eadem & Cybele, à quodam scilicet Phrygiæ monte fuit nuncupata. Sed Festus Pompejus vult eam dictam ἀπὸ τῆς κύβου, qui est cubus, quin & eadem ratione ei cubus ab antiquis dicabatur, quo terræ stabilitas monstrabatur: Nam quocumque tandem modo cubus jaciatur, semper rectus stabit. Ejus imago cum ea consentit, quam supra Magnæ Matri attribuimus; nam & caput turrita corona habet ornatum, quemadmodum Lucretius de ea dicit lib. II.

Magnæ matris victima.

Tellus à Germanis Dea habita.

Cybele.

Cubus.

Muralique caput summum cinxere corona:
Eximiis munita locis; quod sustinet urbes.

Hac

Hac corona olim donabantur ii, qui primi hostilia mœnia ascendissent.

Muralicorona quinam donarentur.

Ejusdem currum leones trahunt: quod secundum aliquorum sententiam adumbrat, Terram in aere pendere. Ejus currus rotis sustinetur; Nam circum terram cœlestes orbes perenni motu volyuntur: quod etiam Leonibus innuitur, quæ sunt belluæ feroces: cœli namque sunt maxime valida corpora, ut quæ aerem intra se coerceant, ac Terram contineant, ne diffluat. Quare eodem libro ita apud Lucretium legitur;

Hanc veteres Grajum docti cecinere Poetæ,
Sedibus in curru bijugos agitare leones,
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.

Leones etiam ei subjugati significare possunt, maternam pietatem omnia superare. Itaque de ea ita Ovidius lib. IV. Fastorum scribit,

-- Feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est,

Cum hoc mirum in modum consentit id, quod apud Aristotelem libro de mirabilibus rebus exstat; narrat enim, in Sipylo Phrygiæ monte lapidem parvum quidem, oblongum, ac rotundum inveniri, quem si quis repertum ad Cybeles templum tulisset, maxima pietate erga parentes afficiebatur, eosque in posterum summa observantia colebat, licet antea impius erga illos exstitisset, violentis etiam manibus in eos injectis. Nonnulli opinantur, ut Diodorus refert, Cybele leones attributos, quod ea ab illis nutrita in monte Cybelo feratur, a qua ea id nomen sortita fuisset: nam & alii multi à belluis alti dicuntur, ut Æsculapius à canibus, Romulus atque Remus à Lupis, à cervis Telephus, Semiramis ab avibus, à picis atque Capra Jupiter: quæ licet fabulosa videantur, tamen ita historiis est traditum, atque pro vero confirmatum. Qui de rebus naturalibus scripserunt, elementa ita inter se communicare voluerunt, ut aliud facile in aliud commutetur, prout magis concrescit, vel attenuatur. Quare Plato inter ea decuplam proportionem esse existimavit. Si quis ergo id diligenter consideraverit, minus mirabitur, tantum inter se antiquorum Deos implexos, ut vix extricari posse videantur; nam idem Deus alias atque alias subinde res significat; è contra sæpe diversa inter se nomina ad unam, eamdemque rem referuntur: ut Iupiter plerumque ignis est symbolum, sed interdum etiam aeris: Junoque fere pro aere capitur, sed tamen & terram aliquando adumbrat: Sol unus ille quidem est, Luna quoque una; plurima tamen nomina habent. Aqua multis est numinibus adscripta, terræ idem accidit; ea, cum assidue humorem ad se attrahat, vapores rursus ex se in sublime emittit, qui concrescentes, in infima aeris parte nubes creant, ex quibus

postea

postea pluviæ exsistunt. Hac de caussa phornutus vult Terram Rheam vocari, tamquam ex ea pluvia, ῥεῖν, quod est, fluat: cui tympana, & cymbala ideo adhibita fuisse, item faces, & lampades scribit, propter tonitrua scilicet & fulgura significanda, quæ pluviis prævia esse solent. Alij opinantur; tympana ad ventos referri, quos terra intra sua viscera continet: ejus opinionis est Alexander Aphrodiscus, qui eosdem refert. Vestæ adscribi, quæ virginali facie est efficta: ea enim est Terra, quæ etiam sedet: ita enim exsculpsit Scopas, ut Plinius scribit, in hortisque Servilianis visebatur: hæc etiam tympanum tenebat. Phurnutus dicit, eam rotundam effingi solere, atque per medios humeros fixam, eo quod hujusmodi est terra, & sic coagulata sedet: serta candida ait ei circumposita esse, quod coronetur, & occultetur undecumque à candidissimo elemento. Sed hic est animadvertendum, duas apud antiquos fuisse Vestas, quarum una Saturni fuit mater, quam pro terra posuerunt; altera filia; quæ ignem significabat, hoc est vitalem illum calorem, qui per terræ viscera fusus, omnibus quæ ex ea oriuntur, vitam tribuit. Quare nullam ei antiqui statuam posuerunt, ut de ea Ovidius libro Fastorum canit. *Rhea.* *Vesta.*

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;
Nataque de flamma corpora nulla vides:
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Itaque ejus cultui virgines, Vestales dictæ, dicatæ fuerunt; quæ primum à Numa, ut ex Livio intelligi potest, institutæ fuerunt. Scribit Agellius, quod virgo, dum à pontifice caperetur, Amata appellabatur, ea ratione, quod quæ prima capta fuit, ita vocabatur: in id collegium cooptabantur illæ quidem non minores sex annis, nec decem majores has oportebat nullo linguæ, aut oculorum, aut aurium, aut denique alicujus corporis partis vitio laborare; harum parentes ejusmodi esse debebant, ut numquam servitutem servissent, neque quæstuariam, aut sordidam artem exercuissent Initio quatuor tantum fuere, post sex: neque homines aditu excludebant, præterquam noctu. Triginta annis ibi necessario eis erat permanendum, decem enim in sacris ceremoniis atque in suo munere perdiscendo consumebant: hoc erat, curare, ut ignis ille sacer, ipsarum custodiæ creditus ne extingueretur: si enim id unquam accidisset, maximum aliquod malum Romanis portendebatur: ea vero, cujus culpa id evenisset, à Pontifice acriter verberari solebat: mos autem erat, tabulam felicis materiæ tam diu verberare, donecignis conciperetur, qui cribro aheneo in ædem à Virgine deferebatur. Altero decennio ex munus suum obibant: quo absoluto, tyronibus docendis aliis decem annis præerant. Post quod tempus tanquam rude donatis liberum erat, nubere ne vellent, an ibidem permanere: sed *Amata prima virgo Vestalis.* *Vestales*

tamen oppido paucæ fuerunt, quæ nuptias eligerent, nam quæ ab instituto resiliissent, fere longe infelliciſſimum exitum experiebantur. Sed tamen eo tempore, quo erat eis ibi permanendum, vitam pudicam degere eas necesſario oportebat: nam quæ in inceſto fuiſſet deprehenſa, viva adhuc feretro imponebatur, & tanquam mortua efferebatur, cum propinquorum ſuorum luctu ſequentibus mæſto cum ſilentio Pontificibus & ſacerdotibus. Prope portam locus fuit ſubterraneus, in quam ſcalis quibusdam deſcendebatur: in eum locum ſolam virginem demittebant, & ſcalæ auferebantur, locusque ipſe occludebatur: in quo ne fame necari videretur, panis, lactis, & olei non nihil opponebatur, unaque ardens lucerna: quibus peractis, ſacerdotes aliique diſcedebant. Eo die Jnſtitium erat in urbe, & mœror pavorque non exiguus: magnum enim aliquod malum civitati portendere putabant Veſtalium ſupplicium, ſed tamen hæc Veſta, de qua modo loquimur pro altera ſæpe apud ſcriptores ponitur, cum ſcilicet de Deorum natura, templis, ſacrificiis, aliiſque ritibus ſacris ſcribunt, qui ad eorum cultum pertinent. Quare nemo miretur, ſi quæ alterius ſunt, ego ad alterum interdum transtulero; vix enim de terræ viribus ſcribi poteſt, quin de terra quoque ipſa dicatur. Ovidius refert, veſtæ templum quod antea Numæ domus fuerat rotundum extitiſſe, ut ſcilicet eo terræ globus adumbraretur, intra cujus viſcera ſemper ignis aſſervabatur. Feſtus ſcribit, Numam veſtæ rotundum templum conſecraſſe; nam eam terram eſſe crediderat, quæ hominum vitam conſervat: hæc quia globi ſpeciem refert, Veſtæ quoque templum eadem figura conſtruendum curavit: cujus ſtructura Deæ imaginem exprimebat. Quare Alexander opinatur, per eam divinum animum repræſentari, in quo oculorum obtutus deſingere nequimus, ſed ea tantum cernimus, quæ eum circumſtant. Ejus templum à Chriſtophoro Laudino dum Virgilii illa verba enarrat, quibus Hector lib. II. Æneidos. Æneæ veſtæ ſacra commendat, ita deſignatur. Templum erat ſane magnum, in ejus medio erat altare, in quo ignis ex utraque parte ardebat, cujus cuſtodiæ binæ Veſtales præerant in Templi culmine virgo erat efficta, quæ ulnis infantem continebat: Jupiter enim à veſta nutrita ferebatur. Huic Deæ Antiqui veſtibula conſecrabant; unde & nomen ea à Veſta habere, Ovidius arbitratur. Hic ſæpe comedere erant ſoliti, ad ſuas menſas Deos invitantes, quibus tanquam altaribus utebantur, diis videlicet penatibus conſecratis. Cum autem nullum ſacrificium abſque igne fieret, ideo focus erat ei dicatus, qui & lar dicebatur, nam & ibi Lares Dii colebantur. Sed ſciendum eſt, veſtam non pro quolibet igne capi; is enim pro ut varie conſiderari poteſt, ita varios ſibi præpoſitos Deos admittit, veſta ergo pro illo igne intelligitur, qui intra terræ viſcera latitans, vitam cunctis terra naſcentibus tribuit. In ſacrificiis vero, aliis Diis oblatis, ſemper veſtæ nomen præfabantur

Veſta templum.

Imago 32 a.

Lares.

Veſtæ nomen in ſacrificiis præmittebatur.

fabantur, sicut etiam de Jano diximus. Cujus rei eam potissimum rationem Ovidius affert, quod Vestibula ubi olim sacrificabatur, vestæ erant sacra, affertur quoque fabula; qua ea post victoriam contra Titanes partam, à Jove impetrasse dicitur, ut virgo permaneret, ac omnium sacrificiorum primitias sortiretur. Sed mihi eo præcipue veteres respexisse videntur, quod ea quæ in sacrificiis adhibebantur, ab igne illo, quem vesta designat, habent ut sint atque permaneant, adde, quod nil magis Deorum ipsorum puritatem immortalitatemque exprimeret, flamma; ideoque nullum sacrificium sine igne constabat, hinc est, ut vestæ nomen cæteris omnibus præmitteretur.

Præter Vestam alia quoque fuere numina, quæ antiqui sunt venerati, ut quæ quasdam terræ virtutes significarent, quas terra juxta diversas sui partes exserit: nam ut Virgilius cecinit.

— non omnis fert omnia Tellus.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fatus alibi atque injussa viresçunt
gramina

Quamobrem olim Ceres, Proserpina, Bona Dea Flora, Pales aliæque sexcentæ, divinos honores obtinuerunt, sed de aliis inferius, nunc de Cerere dicamus, quam primam frumenti sationem, messionem, atque panis confectionem hominibus demonstrasse dicebant; antea enim herbis ac glandibus Victitabant. Itaque ita de ea Virgilius Lib. 1. Georg. scribit;

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum jam glandes, atque arbuta sacra
Deficerent silvæ, & victum Dodona negaret.

Et Ovidius de eadem ita scribit

Prima Ceres unco terram dimovit aratro;
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Ceres legifera.

Hacque de Causa in divos fuit relata, quod leges prima hominibus tulisse sit credita; nam ante frumenti usum; à Cerere inventum, homines passim ferarum more sine lege vagabantur, quæ feritas interupta est, invento usu frumentorum; cum glandibus enim homines, vita illa rudi abjecta, civitates condere, unum in locum coire, ac una vivere cæperunt, quamobrem cereris numen, veteres ad eam terram transfereban, tquæ frumenti est ferax. Itaque ejus effigies matronam referebat sertis spiceis redimitam, papaverisque fasciculum manu tenentem hæc enim fertilitatis sunt argumenta; ejus autem currum duo dracones, ut est apud Orpheum trahebant, quos Claudianus lib. 1. de raptu Proserp. ita describit; Imago 33. a.

Hic ubi servandum mater fidissima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates,
Turrigeramque petit Cybelem, sinuosa draconum

Membra regens, volucriquæ per avia nubila tractu
Signant, & placidis humectant membra venenis.
Frontem crista tegit, pingunt maculosa virentes.
Terga nota, rutilum squammis intermicat aurum.

Serpentes cur Cereri attributi.

Serpentes ideo Cereri sunt attributi, ne segetes nimis ab humo se tollant, sed potius humi serpant; aut, quod serpentum flexuosa corpora obliquos sulcos adumbrant: aut juxta Hesiodi sententiam, quod Salaminæ olim serpens prodigiosæ magnitudinis erat, qui omnem eam regiouem populabatur; sed inde ab Eurylocho depulsus, Eleusim tranavit; & ad Cereris patrocinium suæ incolumitatis gratia quodammodo confugisse visus, semper in ejus templo tamquam Deæ minister permansit. Quod autem Ceres latifundia significet, quæ magnam frumenti vim proferant, id ejus imago (ut Eusebius ex Porphyrio refert) non obscuris argumentis ostendit, cum ea sit spiceis sertis redimita, circum quam aliquot papaverum plantæ visuntur, quæ fertilitatis sunt symbola. Itaque ei omnium gratissima Sicilia fuisse fertur: quod regio ea sit fertilissima: atque inter eam ac Vulcanum diu controversum est, utri ejus possessio deberetur; sed demum Cereri est adjudicata. Huc forte respiciebat ea Cereris statua, de qua Cicero in Verrinis. Hæc dextera Victoriæ sigillum gestabat: quod etiam ad insulæ fertilitatem referri potest. Itaque poëtæ fabulati sunt, Proserpinam Cereris filiam, quæ etiam sæpe pro fertilitate ponitur, in Sicilia à Plutone raptam; quod scilicet quondam Sicilia parum erat frumenti ferax: aut, quod Proserpina seminis vim adumbrat, quæ in eo latitat, ad fructus ex se gignendos; Pluto autem, qui solem repræsentat, eam correptam, ad inferos traxit; nam solis virtus semen intra terræ viscera, clausum hiemis tempore nutrit atque conservat. Hanc Ceres facibus quærit; agricolæ enim æstivo tempore, cum solis radij maxime vigent, maturas fruges quærunt, atque legunt. Hinc factum est, ut Praxitelis Ceres, quemadmodum Pausanias in Atticis meminit, faces manibus teneret: sacerdotes quoque diebus Cereris Eleusinæ sacris noctu cum facibus currerent. In his sacris virgines Cæreri sacræ, vere calathos florum plenos, æstate vero spicarum portabant. De his Tullius quoque adversus Verrem meminit. Eisdem in pompis, ut Eusebius refert, imago Creatoris, ab Hierophonta, solis, ab eo qui & facem tenebat, Lunæ, ab altaris ministro, Mercurij, à Præcone gestabatur. Theodoretus addit, hic fœminei pudendi imaginem, sicut & in Bacchi sacris masculei circum ferri solitam: quam quidem maxima veneratione prosequebantur; cum tamen Ægyptiorum Rex Sesostris, quemadmodum de eo narrat Herodotus, in eis regionibus, quas sibi facile, parum aut nihil incolis repugnantibus, subegisset, columnas, pro trophæis statuisset, cum nominis sui, atque patriæ inscriptione, exsculpta etiam muliebris pudendi effigie,

Sicilia Cereri grata.

Proserpina à Plutone rapta.

qua

qua eorum populorum ignavia designaretur. Tanta autem religione, ac silentio Cereris sacra celebrabantur, ut sacerdos semper voce præiret, ita dicens ἔκας, ἔκας ὅσις ἄλιτρος: quod est, *Procul, procul este profani*: nemo autem ad ea admittebatur, nisi initiatus, quem etiam omni flagitio expiatum oportebat. Quare de Nerone legitur; nunquam his sacris eum voluisse interesse, scelerum scilicet conscientia convictum. *Eleusina sacra.* Antoninum Imperatorem fuerunt, in probitatis argumentum, se Cereris Eleusinæ sacris initiandum curasse. Neque hic silentio involuam ridiculum sane morem eorum, qui his sacris imbuerentur; nam ii primo suæ conservationis die subuculam novam, ac mundam induebant, quam nunquam exsuerent, quo ad detrita per se discerperetur; atque dicunt, frusta illa maxima cura custodita, ut ex eis fasciæ infantibus conficerentur. Quid illa pompa circumferretur, nemo sciebat: hæc sacra cistis opertis deferebantur; unde puellæ, quæ illa gestabant, dictæ sunt canephoræ, id est, cistiferæ; nefasque erat, rationem ceremoniarum illarum investigare. Quare Macrobius de Numenio philosopho lib. 1. in Somn. Scip. narrat, ei offensam numinum, quod Eleusina sacra interpretando vulgaverit, somnia prodidisse: viso sibi, ipsas Eleusinas Deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes, admirantique, & causas non convenientis numinibus turpitudinis, consulenti, respondisse iratas, ab ipso se adytu pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas. Pausanias de se refert, se, cum copiose de sacris Eleusinis disserere statuisset, in somnis à quodam spectro ab ea re deterritum. Quare de eis nil attingit, nisi quod in propylæis erat Triptolemi statua, atque Vacca ænea, floribus redimita, ac cornibus auratis, quales erant victimæ immolandæ. *Deæ Eleusinæ.* Triptolemus vero fortasse in curru Cereris sedebat; nam fertur à Cerere per orbem terrarum allegatus, ut ubivis gentium mortalibus terræ cultum, frumenti sationem, usumque monstraret. *Deæ* autem Eleusinæ Ceres atque Proserpinæ intelliguntur; quæ etiam Magnæ Deæ à Græcis dicebantur: Arcades vero præcipuo quodam cultu eas afficiebant, ignem in earum templo semper ardentem maxima cum religione conservantes: ibi, ut scribit Pausanias in Arcadicis, Ceres è marmore tota erat; Proserpina, qua veste velabatur, è ligno; singularum magnitudo quindecim ferme pedum Præferebant puellæ duæ, talaribus amictæ tunicis, calathos utroque capite, floribus refertos. Ante Cereris pedes Hercules collocatus erat magnitudine cubitali. Horæ præterea duæ ibidem affabre effictæ, & Pan fistula, Cithara Apollo canens: indicabat inscriptio, eos esse è primoribus Diis. In mensa Nymphæ eminebant. Nais inter eas parvulum Iovem gremio ferens: Anthracia una ex Arcadicis Nymphis facem præferebat (quam Cereris esse diximus) Agno manu altera hydriam, phialam altera Anchirrhoe, & Myrrhoessa, & ipsæ hydrias

effluente aqua præferebant quod forte quædam Cereris sacrificia innuebat,
Cereris nuptiæ. dicta Cereris nuptiæ, ubi vinum non adhibebatur, contra atque in aliorum Deorum sacrificiis fieri consueverat: quod significat Plautus in Aulul. Sta. Cererin' Strobile has facturi nuptias? Strob. Qui? Sta. Quia temeti nihil allatum intelligo. Potest sus Cereri adjungi, tamquam propria ejus victima.
Victimæ cur diversæ. Ratio vero cur aliis Diis aliæ victimæ mactarentur, est juxta Servium non tantum in consensionem referenda, quam bellua aliqua cum aliquo Deo habet, sed etiam quod quædam inter eos inimicitia exsistat. Hacque de causa in Cereris sacrificiis suem adhibitum dicunt; quod scilicet Deæ gratum
Sus cur Cereri attributus. esset futurum spectaculum, si inimicus ad pedes ejus mortuus jaceret, qui non solum segetes vastaret, sed & terra rictu defossa, semina ipsa voraret. Eadem quoque ratione Bacho caper immolabatur, ut bellua maxime vitibus adversa. Nonnulli opinantur gratum esse Cereri suis sacrificium, propter maximum, qui est inter eos consensum: ea enim est terrestre numen, cum terram significet; sus etiam semper humi volutatur; ut plurimum est niger, sicut & terra est sua natura nigra atque opaca: hæc præterea bellua præclare terræ fœcunditatem adumbrat. Itaque interdum Cereri porca prægnans cædebatur; nam ea legitur ad viginti fœtus uno partu profudisse: triginta ea porca pepererat, quæ Æneæ in Tiberis ripa prodigii loco visa est, quemadmodum Virgilius refert. Aliud quoque Cereris simulacrum in Arcadia visebatur, sicut refert Pausanias: ubi Ceres ipsa facem dextera præferebat, lævam Heræ admovebat (erat hæc & Arcadum Dea, quam Neptuni atque Cereris filiam existimabant; licet & id nomen Cereri quoque ab Arcadibus,
Hera. sicut & Junoni à Græcis fuerit tributum) Hera sceptrum & vas, quæ cista dicitur, genibus sustinebat. Narrat quoque Pausanias ibidem, Cererem fuisse
Ceres Erynnis. nuncupatam Erinnyn, ob hujusmodi scilicet causam: Neptunum ajunt
Cerei in Equam conversa. Cereri, dum illa errans, filiam quæreret, ejus amore captum, vitium offerre conatum: sed cum in equam se Dea vertisset, & ad Oncium gregibus permista pasceret, Neptunum non fefellit; nam & ipse in equum mutatus, eam compressit: quod illa primum iracunde tulit: verum postea placabilior facta, lavisse dicitur in Ladone. Cognomina itaque attributa, Erinnys
Neptunus in Equum conversus. à verbo, quod furere Arcadibus est; Lusia vero, quod se in flumine abluisset. Hinc etiam factum est, ut Ceres Nigra appellaretur, propter vestem
Ceres Nigra. videlicet nigram, quam tum ita in Neptunum, tum luctu de Proserpinæ raptu commotam sumpsisse ajebant: itemque, in specum cum se abdidisset, diu lucem vitasse: ita vero accidisse, ut, cum omnes, quos terra educat, fructus corrumperentur, & homines passim pestis conficeret, Diis cæteris latebras ignorantibus, Pana per Arcadiæ montes inter venandum errantem, cum ad Elaium venisset, ibi Cererem offendisse, tali cum ornatu & vestitu: Jovem, re de Panis oratione cognita, Parcas misisse; quibus deprecan-

tibus

cantibus, compressa ira, & luctu lenito, placata Ceres fuerit. In rei memoriam se Phligalenses dicunt antrum illud cum ligneo simulacro Deæ dedicasse: simulacrum ita fabricasse, ut saxo insideret muliebri figura, præter caput, quod equinum, atque adeo cum juba esset; serpentibus, & aliis feris ad caput alludentibus; reliquo corpore ad imos pedes tunica velato altera manu delphinem, columbam altera præferente. Ibidem Pausanias scribit, prope fanum Cereris Eleusinæ lapides fuisse prægrandes duos, alterum apte alteri impositum, Petroma fuisse vocatum. Eos lapides, ubi anniversarii sacri, quæ majora nominabant initia, dies appropinquabant, disjunxisse, atque inde litteras eduxisse, quibus pompæ ritus, & quæ fieri oporteret, omnia consignata erant. Eum commentarium, cum sacrificulis audientibus, recitandum curassent, ea ipsa, quæ consequebatur, nocte, in pristinam sedem reposuisse: ad eam lapidum compagem Pheneatarum multitudinem de maximis quibusque rebus jusjurandum concipere solitum: saxo superiori operimentum fuisse, rotundo ambitu: in eo effigiem Cereris cognomento Cidoniæ servatam: eam effigiem Sacerdotem tamquam personam indutum, statis, quæ Initia Majora appellantur, diebus, populares patrio quodam ritu virgis cæcidisse: venisse in hæc loca, Pheneatas Cererem dictitasse, ante Naum, dum errabunda Proserpinam quæritaret; & iis, qui se comitet, ac liberaliter accepissent, legumina divisisse omnia præter fabam. Qua autem maxime de causa impurum legumen faba sit, idem Pausanias reticet, dicitque Arcanis commentariis mandatum esse. Sed id fortasse dici poterit, fabas scilicet impuras esse existimatas, quod eas in manibus placandis adhiberent. Is enim qui horum sacrificiorum fuit auctor, cum animadvertisset in hujus floribus quasdam litteras videri inscriptas, quæ luctum atque mœrorem significarent, optimo jure in sacris illis, fabis est usus: ideoque vulgo dicebatur, manes sese in fabas abdere: sed & Flamini Diali nefas erat, fabas tangere, ac nominare, nedum comedere. Pythagoras à fabis abstinendum esse præcipiebat; hac fortasse de causa, quod timendum esset, ne quis alicujus animam una cum gurgulione voraret: ejus enim fuit opinionis, ut sentiret animas subinde ex alio in aliud corpus migrare. Aut à fabis cavere admonuit, innuens lugubres ac mœstas cogitationes deponendas ei qui velit in rerum divinarum contemplatione versari: vel eo dicto significavit, ne vivi similes mortuis essemus. Sed quomodocumque sit, Pythagoras in hoc Cereri consensit, quod ambo fabas legumen impurum existimaverunt. Sed quia ut superius dicebamus, diversæ terræ virtutes ab antiquis diversis numinibus adscribebantur; ea quæ ad pascua est idonea, Palis nomine fuit demonstrata, quæ Pastorum propria Dea dicebatur. Hujus nullam adhuc imaginem apud antiquos exstitisse puto; quare tantum dicam qui ritus in ejus festis cele-

Cereris statua.

Legumina à Cerere distributa.

Fabæ cur impuræ.

Palis Pastorum Dea.

Palilia. celebrandis usurparentur, quæ Palilia dicebantur, & in urbis Romæ natalem diem incurrebant: eo die nulla victima cædebatur, perinde atque nefas esset, alicui tum vitam adimere, cum natale urbis celebraretur. Sed homines fumo ex sanguine equino combusto, vituli cinere, ex matris utero avulso, quæ in quibusdam aliis sacrificiis mactata fuerat, atque fabæ stipula expiabantur: Ovilia etiam, oves, ac cæteræ pecudes purgabantur fumo ex sulphure: Rosmarinumque, ac herbam Sabinam, oleam ac tædam & laurum cremabant, postea per flammam fœno accensam transibant. Item liba ex milio, & lactis mulctralia in Deæ honorem offerebant; solemnique prece sacrificium absolvebant. Qui ritus non admodum ab iis differebant, quibus in Pomonæ pomorum Deæ sacris utebantur: *Pomona.* Ovidius eam hortis præponit, dicitque Vertumni fuisse uxorem, sub cujus etiam tutela horti erant: ei in manus tradit falcem, qua inutiles arborum ramos amputet, felicioresque inserat. Quare qui ejus imaginem vellet adornare, omnia ei instrumenta, quorum est usus in re hortensi, essent adjungenda. Hæc arboribus *Flora.* vim ad maturos fructus producendos tribuere credebatur: sicuti & Floram floribus ex eis eliciendis præponebant; ideoque florum Dea dicebatur tam eorum, qui in arboribus, quam qui in pratis erant. Ejus imaginem tunc describam, cum de Zephyro ipsius marito dixero. Sed tamen historiis traditur, eam in lupanari meretricem exstitisse, infantesque Romulum, ac Remum suo lacte nutrivisse; aut etiam aliam, quæ ex meretricio quæstu ingentem hæreditatem Populo Romano legarit. De hac id scriptum reperio. Ædituus quidam Herculis, otio superfluens, tesseris, & id genus lusionis diem terere solebat; sed cum forte aliquando colluſores deessent, Deum Her- *De Flora narratio.* culem, ut colluderet, ea lege provocavit, ut, si Deus vinceretur, boni aliquid elargiretur: si vero ædituus, Deo cænam se præbiturum, puellamque insuper formosam, cum qua Deus misceretur. Tali proposita conditione, tesseras ædituus pro se, & Deo jecit; jactu à Deo victus est ædituus; qui ideo cœnam apparavit; & Laurentiam formosum scortum conduxit: in templo discubuere; post cœnam puella clausis foribus, in templo est relicta. Ferunt autem noctu cum Laurentia non humanitus congressum; puellæque jussisse, ut mane in forum prodiret; & cuicumque primo occurrisset, illum sibi amicum pararet: id cum fecisset puella, Tarruntio homini prædiviti, & jam natu grandi, & cælibi obvia facta est; cui est matrimonio juncta. Ei, vivens, potestatem fecit Tarruntius omnis suæ rei familiaris; morienſque hæredem Testamento instituit, quæ & moriens Pop. Rom. scripsit hæredem: qui quidem maxima ejus memoriam veneratione est prosequutus: Sed quia flagitiosum arbitrabatur, meretricem colere, ejus nomen in Floram commutavit; utque pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt esse, quæ floribus præesset: & ludi eidem

dem Florales sunt nuncupati, in quibus omnes nequitiæ, & lasciviæ nudis mulieribus peragebantur: in iis etiam venationes leporum, atque damarum instituebantur; hæ enim belluæ in hortis custodiuntur, qui sub ejus Deæ tutela esse putabantur; ut de se ipsa apud Ovidium dicit. Erat olim quoque Bona Dea, numen quod ad terram pertinebat; Porphyrius enim opinatur, quemadmodum refert Eusebius, illam terræ virtutem, quæ jactum semen fovet, ac nutrit, ab antiquis sub Bonæ Deæ nomine significari: cujus rei illud esse argumento dicit, quod ejus effigies virides quasdam plantas manibus porrigit, tamquam quæ recens pullularunt. Victima quoque, quam eidem immolabant (hæc autem prægnans porca erat) ostendebat, veteres hanc Deam pro terra cepisse. Hæc Bona est nuncupata, quod ex terra sexcenta in nos bona derivant: eadem Fauna appellabatur; ea enim nobis favet, cum ejus ope egemus: alia etiam nomina habet, quæ Plutarchus enumerat, cum narrat, quo pacto Clodius, uxoris Cæsaris amore captus, muliebrem habitum gerens, in hujus Deæ sacra penetravit. De hac legitur, eam tam insigni fuisse pudicitia præditam, ut marito excepto, hominem non viderit, immo ne de nomine quidem audiverit; nec umquam extra proprias ædes sit visa. Hinc factum est, ut in ejus templum hominem ingredi, vel ejus sacrificiis interesse, nefas esset: ejus sacra vel in domo Pontificis Max. vel Consulis, vel Prætoris celebrabantur: tuncque omnes inde homines emigrabant, mulieribus succedentibus; quæ totam noctem pervigiles Deæ litabant; non enim interdiu divinam ei rem facere licebat. Nec tantum hominem inde cedere oportebat, sed & viriles effigies tegebantur; tantum ea Dea à Masculeo sexu abhorrebat. In ejus templo variæ multorum generum herbæ erant, quas templi custos libenter ægrotis, qui eis indiguissent, impertiebat. Atque ea de causa nonnulli eam Medeam esse sunt opinati, quæ, à Iasone deceptâ, postea omnem hominum conspectum refugiebat. Sed tamen exstat in fabulis, hanc Bonam Deam, sive Faunam eam dicere malimus, filiam fuisse Fauni; qui, cum filiam deperiret, nihil non fecit, ut eam ad sua scelerata vota pertraheret; neque quidquam promoviſſe tamen: quare ad vim conversum, ab illa myrtea virga capite percussum fuisse, ac vulneratum. Patrem ergo, ubi se à filiæ complexibus repulsum vidisset, quos neque blanditiis, neque vi expugnasset, dolis in posterum agere decreviſſe: itaque eam inebriasse: sed & sic sua spe falsum; cum desiderio patris filia nec vino pressa cessisset: demum eum se in serpentem transfiguraſſe, & cum filia coiisse creditum. Horum hoc tale proferunt indicium, quod virgam myrteam in ejus templo haberi, nefas fuerit; & quod super caput ejus extenderetur vitis, qua maxime causa eam pater decipere tentaverit: quod vinum in templum ejus non suo nomine soleret inferri; sed vas in quo vinum inditum esset, mellarium nominaretur; & vinum lac; quodque serpen-

Bona Dea.

Fauna.

Sacra Bonæ Deæ.

Bonæ Deæ Imago.

tes in ejus templo nec terrentes, nec timentes apparerent. Quare ejus imago effingebatur, Sceptrum sinistra manu tenens (nam eam parem Junoni potestatem habere, aliqui crediderunt) vite ejus capiti incumbente; ad latus erat serpens, ac Myrtheus baculus. Huic Deæ sane, quam similem potestatem *Proserpina* habebat; cum veteres pro Proserpina vim illam terræ intellexissent, quæ semina sub ea condita conservaret, De hac apud Eusebium similis fabula legitur, ac ea quam de Bona Dea retuli. Ea sic habet, Ceres ex Jove Proserpinam genuit, quam aliqui *Pherephatten* appellant. Filiæ amore correptus parens, ei in serpentem conversus conjungitur. Unde in Sabaziorum mysteriis draco in spiram involutus in sacrificiis, ad factorum memoriam adhibetur. Peperit & Pherephatte tauriforme filium; quare Imago 54. a. *Poetæ* nonnulli taurum laudant draconis patrem & draconem rursus tauri patrem. *Proserpina* etiam fruges significari legimus, quæ è terra Cereris nomine denotata, ortum trahunt. Idque non absque vitali quodam calore; qui è cœlo derivat: Jupiter autem cœlum adumbrat. Hæc à *Plutone* rapta fingitur aut quia semina in terram jacta, interdum non nascuntur, ex quo terra quodammodo dolere videtur, cum se suis ornamentis spoliatam cernat: aut quod nativus terræ calor correpta semina fovet, donec ea ad matu retinere perducat. Eadem *Proserpina* aliquando pro Luna capitur, quare potest eodem pacto effingi, quo Luna sed & ejus effigies, anserem manure inter cernitur, ut Pausanias in Bœoticis narrat: dicit enim prope Trophonii lucum Ercynam cum Proserpina ludentem, anserem in manibus invitam dimisisse, volitantem illum subiisse cavernosum antrum, ibique se sub lapide occultasse. Proserpinam subingressam avem à fuga retraxisse: quo loco lapidem submoverat aquam erupisse, qui postea fuerit Ercyna amnis appellatus. Manebat ergo ad Ercynæ ripas ædes & signum in ea, virgo anserem manibus præferens; quæ Proserpina Cereris filia erat.

Proserpina pro frugibus capitur.

NEPTUNUS.

NEptunio inter fratres sorte Aquarum regnum obtigit, inde maris Deus dictus. Eum veteres interdum tranquillum, mitem sedatumque, sæpe etiam vultu turbato effinxerunt: Quod apud Homerum atque Virgilium legere est; Mare enim statim ex altero in alterum statum permutatur, quod ex tranquillo fit turbulentum, atque è contra; Eidem tridentem in manus tradiderunt, qui in Concha veluti in curru stat, hæc ab Equis marinis trahitur, qui posteriore sui parte piscis speciem referunt. Hi à Statio lib. II. Thebaid. sic describuntur;

Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit Equos: prior hausit habenas
Ungula; postremi solvuntur in æquora pisces.

Eum

Eum vestibus cæruleis induerunt, quæ, ut Phornutus inquit, marinum colorem referunt. Lucianus in sacrificiis cæruleis capillis, & nigris effingit; quamvis Servius dicat, apud antiquos, marinos deos canis capillis, atque senes plerumque depictos fuisse; quandoquidem eorum capita spuma candescunt. Quare Phylostratus in imaginibus Glaucum depingens, qui est etiam marinus Deus, eum dicit barbam habere madefactam, comas autem aqua perfusas per humeros spargi; supercilia densa, hirsuta, & inter se juncta; Brachiumque attollentem, undas scindere, aptasque ad natandum efficere; pectus marina alga, ac lanugine obsitum, ventremque paullatim attenuari, ac inde cæteras corporis partes in piscem desinere; itaque cauda erecta, extraque aquas existente ostendi. Ovidius lib. XIII. Metamorph. ita Glaucum de se loquentem inducit; *Glaucus.*

Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi:
Vix bene combiberant ignotos guttura succos,
Cum subito trepidare intus præcordia sensi,
Alteriusque rapi naturæ pectus amore.
Nec potui restare diu, repetendaque numquam
Terra vale, dixi, corpusque sub æquore mersi.
Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam.
Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro,
Ingentesque humeros, & cærula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.

Idem Philostratus Neptunum cum Equis & cetis in mari tranquillè incedentem facit, ac tridentem præbet; quem tres maris mediterranei sinus significare, aliqui volunt; alii ad triplicem aquarum naturam referunt; fontium enim sunt dulces, marinæ salsæ; quæ autem in lacubus continentur, non sunt amaræ illæ quidem, sed gustatui sunt ingratæ. Idem buccinam eidem tradit; ea autem est coclea, qua Tritones utuntur: nam & hos antiqui inter marinos Deos numeraverunt, Neptunoque comites adjunxerunt. Poetæ fingunt Tritones maris tubicines; cocleam enim retortam gerunt, qua terribilem quemdam sonum edunt. Itaque Hyginus refert eo tempore, quo Titanes adversus Deos bellum gerebant, quemdam Tritonem buccina nuper à se reperta, ita insonuisse, ut Gigantes sonitum ferre non valentes, terrore illo consternati, statim sese in fugam converterint. Hi potius belluæ quam Dii, aut homines erant existimandi; Nam ut Virgilius lib. x. Æneid. scribit; *Tritones.*

Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus,

Hæc eorum duplex forma, secundum nonnullorum sententiam, duplicem aquarum vim ostendit; nam eæ interdum prosunt, aliquando etiam nocent. Neque tamen Poëtarum omnino est commentum, quod de Tritonibus jactatur,

ctatur ; nam ex historiis discimus, homines marinos sæpe visos qui figura partim hominem, partim piscem referunt. Plinius lib. IX. Natur. histor. testatum reliquit, Olysippone Tyberii principis tempore, legatos missos Romam, qui nunciarent, apud se Tritones buccina sonantes esse auditos, immo & à plurimis visos. Et Alexander Neapolitanus lib. III. refert se à quodam certæ fidei homine audisse, qui diceret se, cum esset in Hispania, marinum hominem & vultu & corpore prorsus humano, absoluta similitudine pube tenus, postremis vero in piscem desinentibus, vidisse, in mare ex ultima Mauritania, & Oceani finibus eo pro monstro allatum : fuisse autem facie hominis vetusti, capillo, & barba hispida, atque hirta, colore cæruleo, statura procera, & majore humana, alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membrana passim interlucente munitum. Quod ne quis commentitium arbitraretur, idem Theodori Gazæ auctoritate confirmat, qui affirmavit, se, dum in Peloponeso ageret, fœda maris tempestate oborta, cum nonnulla piscium monstra ad litus illisissent, inter cætera vidisse Nercidem in litore, fluctibus expositam, viventem jam, & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decora, neque invenusta specie, corpore squamis hirto ad pubem usque, nisi quod cætera in locustæ caudam desinebant. Quamobrem minime mirum videri debet, si Poëtæ Nereides pulcerrimas. Nymphas esse finxerunt, quæ marinos Deos, Oceanum scilicet, Nereum patrem, Neptunum, Thetin, Doriden, cæterosque ejusmodi comitarentur, qui varios aquarum effectus significant ; ab antiquisque colebantur, quod crederent, sibi plurimum ab eis commodari, incommodarive posse. Quamvisque plurimæ ferantur fuisse Nereides (nam Hesiodus eas ad quinquaginta nominatim enumerat ; tamen de una tantum, Galathea dicta, mihi dicendum suscepi. Hæc sic est à candore nominata, qui in ea aquæ spumam repræsentat : quare Hesiodus ei albicantes comas, faciemque lacti similem tribuit. Polyphemus ejus amator apud Ovidium, eam liguſtris candidiorem vocat. Philostratus in quadam imagine Galatheam per quietum mare incedentem facit, eamque in curru collocat à delphinis tracto, quos Tritonis filiæ regunt, Nymphæ circumstantes, ejusque obsequiis paratissimæ. Cæterum ipsa purpuream vestem supra caput ad Zephyrum tollit, ut & sibi umbraculum, & currui velum sit. Ipsius autem comæ Zephyro minime diffusæ ; madidæ enim sunt, & quam ut à vento agitari queant, graviores. Hic non duxi prætermittendum, quod Alexander Neapolitanus loco proxime citato refert ; nempe suo tempore in Epiro ad fontem jugis aquæ, ad quam mulieres ex oppido aquatum ventitabant, Tritonem, seu marinum hominem à spelunca, quam forte ibi nactus fuerat, observare solitum, siquando solam ad aquas accedentem, aut per litus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis, & spelunca leni gressu ; tacitis-

Homines marini.

Nereis.

Galathea.

citisque vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidiis adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptamque sub undis deferre consueviſſe. Quod cum apud loci incolas percrebuiſſet, diligentius marinum monstrum obſervaſſe, & cum diutius laqueos illi intendiſſent, haud multo post dolo captum, & laqueis vinctum cepiſſe: cumque cibo abstineret, extra aquas multum vivere nequiſſe. Pausanias in Bœoticis ita Tritones nobis depingit; colore eo sunt, quo esse videntur ranæ paluſtres in dorso: nares humanas habent, branchias sub aures, os resciſſum, latumque, ferinos dentes, glaucos oculos, manus cum articulis ad humanam effigiem, ungues ostreorum conchis perſimiles; reliquum porro corpus parvulis squamis contectum est, & in piscem desinit, non dissimiles extremis delphinorum partibus. Ab his, aut à Najadibus non multum Sirenes differunt: ut enim fabulantur Poëtæ, muliebrem aspectum habent, idque umbilico tenus, nam in posterioribus partibus piscem imitantur: aliqui alas addunt, pedesque gallinaceos. Eas dicunt Acheloi, & Calliopes filias tres fuiſſe, quarum una canebat, altera tibiam inflabat, tertia lyram pulsabat; quæ omnes ita suavem edebant concentum, ut facile miseros nautas allicerent, ut ad quosdam in Sicilia scopulos impingerent, ubi eæ degebant. Sed, ubi se ab Ulysse contemptas vidiſſent, qui illac transiens, se ad malum religandum, sociis vero cera aures obstruendas curavit, ne ipsarum cantus audirent; statim se se in mare præcipites dediſſe; atque hinc forte factum fuit, ut dicerentur à posteriori parte pisces evaſiſſe. Servius eas non pisces, sed aves ea in parte vult fuiſſe: sicut & Ovidius, cum eaſdem dicit Proserpinæ comites fuiſſe; quæ, postquam illa à Plutone correpta fuit, in hujusmodi monstra verse fuere, habentia quidem faciem atque pectus muliebre, sed in cæteris avi similia. Suidas refert, secundum fabulas Sirenas aves fuiſſe, pulcra mulieris facie insignitas, quæ suaviſſime concinerent; sed revera quosdam scopulos exstitiſſe, ad quos aqua alliſa, ita suave murmur redderet, ut nautæ ab ea suavitate pellecti, illuc navem dirigerent, atque ita confracta ad cautes nave, misere disperirent. Plinius quoque, de fabulosis avibus loquens, in India inquit, aves quasdam exstitiſſe creditum, quæ cantus suavitate hominibus somnum injiciebant, dormientesque devorare solebant. Sed tamen sive pisces, sive aves, sive aliud quodcumque tandem Sirenes sint; illud certum sit, fictitium quidpiam esse; atque iis nonnulli meretriciam pulcritudinem, atque illicia innui volunt: eæ cantu nautas sapiunt, ac tandem devorant; nam incaute se meretricum blanditiis de mente ac sanitate deturbari sinentes, ab eis tandem patrimoniis abliguritis, ad extremam inopiam rediguntur. Quare Buccatius narrat, apud antiquos Sirenas fingi in amœnis pratis degere mortuorum ossibus conspersis; eo extremum exitium, quod lasciviam sequitur, significantes. Apud Virgilium

Tritones.

Sirenes.

quoque Sirenum scopuli multorum ossibus albi valdeque ardui, ac periculosi describuntur. Sed Xenophon aliter sensit: nam in libro de dictis & factis Socratis, Sirenas vult eorum laudes concinere, qui dignissimi sint, quorum virtus præconiis summis celebretur; easque ideo ab Homero fingi de Ulysse cecinisse; quod revera is esset Græciæ universæ ornamentum: hocque fascinum esse, atque præstigias, quibus studiosos homines ad se pellicerent, nam eos audito virtutis præconio, cujus amore capti sint, multo majores erga illam concipere ardores, & ad eam ardentius accurrere, atque dulces præconiis voces sequi, atque hac de causa forte factum fuit, ut quemadmodum Aristoteles libro de rebus admirabilibus testatur, quibusdam in Insulis Sirenarum dictis, quæ in Italiæ finibus sitæ erant, templa atque altaria meruerint, atque ab incolis colerentur: earum autem nomina fuerunt, Parthenope Leucosia, & Ligia. Imago 35. a.

Nunc ad alios Deos sive monstra veniamus. Homerus Scyllam fingit, in antro obscuro & horrendo habitare, terribili illam esse latratu, canum videlicet simili, pedes habere duodecim, colla sex longa, capita totidem & dentium triplicem ordinem, ex quibus virus stillare videatur; capita vero assidue in mare porrigere, ac circumspicere è scopulo, an inde navis aliqua circumnaviget, ut ex ea saltem tot deprædetur, quot ipsius sunt capita; atque totidem ex Ulyssis sociis abstuliisse. Cum Helenus apud Virgilium lib. III. Æneid. Æneæ cursum, quem tenere debeat, ostendit, monet ut duo hæc horrenda monstra caveat, Scyllam scilicet atque Charybdin de quibus ita dicit; Stilla.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet: atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, & Naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro corpore virgo
Pube tenus, postrema, immani corpore Pristis
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Hujusmodi figuram induisse Scylla dicitur, veneficis scilicet Circes quæ videret Glaucum, quem ipsa deperibat non suos sed Scyllæ amores sequentem: itaque aquis ubi se Scylla abluere consueverat, suis veneficiis infectis eam in ita deformem figuram convertit. Sed ea se ita aspectu horribilem videns, præmœrore præcipitem in mare se dedit, ubi & nautas transeuntes perterrefacit; sicut & Charibdis, quæ cum esset mulier rapacissima, Herculis boves ausa est furari. Quare à Jove fulmine icta, ac in mare præcipitata in scopulum est conversa, pristinam autem naturam apprime servat: His fabularum

larum in volucris Poëtæ nobis geminorum scopulorum, qui in Angustiis freti siculi se mutuo respiciunt, naturam adumbrare voluerunt. Sed hinc ad alia maris monstra describenda deveniamus, Nereides centum fuisse, quæ totidem Delphinis insidebant, Plato inquit, cum mirabile illud templum describeret, quod apud Atlanticos Neptuno erat consecratum, qui ibi in curru erat effictus, alatorum Equorum fræna manu continens, tamque ingens erat, ut capite alti illius templi fastigium contingeret. Maxima pars Neptuni comitum in quodam templo, quod est in agro Corinthio, ut Pausanias refert, cernebatur, ubi is una cum Amphitrite sua uxore in curru erat; puer quoque Palæmon delphino innixus visebatur; Equi quatuor currum trahebant; Tritones duo erant ad latus: in basi media, quæ currum sustinebat, mare erat exculptum, atque Venus, quæ inde emergebat pulcerrimis Nereidibus comitata *Palæmon*, qui à Latinis portunus dicitur, portuum erat Deus; cui nautæ reduces sacrificabant, itaque est Neptuno comes attributus. *Nereides.* Imago 36. a.

In quodam templo Neptuni, qui erat in Ægypto, Canoptus Menelaï nauta colebatur, qui post mortem in astra translatus dicebatur. Ejus effigies erat crassa, brevis & quasi rotunda, collo obtorto; brevissimis cruribus: causam, cur ita effingeretur, hanc dicunt cum Persæ ignem, quem ut maximum Deum colebant, quaqua circumducerent, ut eo cæterorum Deorum, quos reliquæ nationes venerarentur, vires experirentur; nullus autem, cujuscunque tandem materiæ esset, non illi cedebat; tunc Canopi Sacerdos, ne suus Deus flammis absumeretur, quidam contra Ignem callidum excogitavit. Solebant in Ægypto fictilia quædam vasa fieri, minimis foraminibus pertusa, quibus turbida aqua limpidissima effluit: horum ille unum, cera foraminibus obturatis cepit, variis coloribus undique depictum, aqua repletum, ac ut Deum statuit; & excidens Canopti simulacri caput, illi diligenter aptavit: adsunt posthæc Persæ, itur in conflictum; circa hydriam ignis accenditur; cera dissolvitur, qua foramina erant ob turata diffluente aqua ignis extinctus est. Astu igitur Sacerdotis Canoptus Deus victor Dei Persarum evasit & ex eo Deus cultus est, ut Suidas refert. Quare in posterium ea forma est effictus, qua dixit, utque cernere est in quodam Antonii pii numismate. Delphini omnium piscium Neptuno gratissimi feruntur; quare Hyginus testatur, semper, cum Neptunus effingeretur, delphinem in ejus manibus, vel sub pedibus fuisse, hac fortasse de causa, quod sicut leones ferarum Aquila avium, ita & Delphines piscium sunt Reges. Martianus cum in nuptiis Philologiæ expressit, sic dicens; Nudus est Maritima inundatione viridior, coronam albidi Salis instar candidam, atque spumarum Canicici concolorem habens. *Pallas* cum apud Ovidium lib. vi. Metamorph. cum Arachne de texendi arte contenderet, duodecim Deorum confessum pinxit, ubi disceptaretur, utri sibi ne, an Neptuno concederetur, ut Athenis recens conditis nomen imponeret; Carmina sunt hujusmodi;

Stare

Stare Deum pelagi longoque ferire tridente
Aspera Saxa facit, medioque è vulnere saxi
Exhibuisse fretum, quo pignore vindicet urbem.

Virgilius in primo Georg. equum dicit exiisse;

Tuque o cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridente,
Neptune.

Quod Servius ideo fictum esse vult, ut velox frequensque maris motus ostenderetur, quare Equi sub Castoris & Pollucis tutela esse dicti sunt, coram enim astra velocissimè moventur. Quidam ideo Neptuno Equorum inventionem tributam dicunt, quod Equi latos campos, æquosque desiderant, qui ab æquore optime repræsentantur. Idem Servius principium lib. IX. Æneidos enarrans, ubi Poëta sic dicit;

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit:

Refert Romanos belli tempore duplicia signa extulisse, alterum scilicet purpureum pro pedestribus copiis, alterum vero cæruleum pro equestribus; hic enim est maris color, cujus Deus putabatur Neptunus, qui & equos invenisse fertur. Diodorus Siculus scribit, Neptunum primum omnium Equos domuisse, artemque equitandi docuisse, hincque factum esse, ut equestris appellaretur: Cui Pausanias etiam consentit; qui vult ideo Homerum, cum ludos equestres describeret, Menelaum induxisse, qui certatoribus juramentum, per Neptuni numen propositurus esset, se nullam fraudem adhibituros. Idemque subjicit, hoc Neptuni cognomen cæteris præstare, cum cunctis nationibus sit commune. Hinc arbitror profectum fuisse ut ludi Circenses apud Romanos qui erant Equestres, Neptuno essent sacri: celebrabantur autem in Consualibus, quæ erant à Romulo instituta, in memoriam *Consus.* ut inquit Livius, raptus Sabinarum; nam quemadmodum Plutarchus refert, cujusdam Dei aram conditam sub terram in Circo invenerat; eidemque Deo indidit nomen Conso, sive à consilio quod consiliarius foret, aut, quod magnarum rerum consilia occulta esse oporteret: quare ad ejus aram aditus numquam patefiebat, præterquam Ludorum Circensium Diebus. Quod effecit ut Neptunus idem ac Consus crederetur; de quo hæc strictim attigisse sit satis; nam nullam adhuc ejus imaginem apud scriptores reperi. Quod autem Equi sub Neptuni tutela essent, Pausanias in Eliacis posterioribus ostendit, cum circum, ubi Equi currebant, describit dicens, ad alterum curriculi latus aram fuisse figuræ rotundæ, ad eamque Deum coli, Taraxippum, ab incutiendo Equis pavore, nuncupatum. Solitos enim esse injecto terrore, circa aram hanc Equos tam vehementer consternari, ut incertum unde coorta trepidatione, sæpe illisis curribus

afflige-

affligerentur aurigæ : quo igitur æquo & propitio uterentur Taraxippo, ad eam aram aurigas vota nuncupasse. De hoc Deo multas multorum opiniones idem Pausanias affert sed eam tanquam omnium probabilissimam approbat, qua Taraxippus Neptuni fuisse cognomen dicitur; ab eo enim Equorum origo profluxit: à quo duos Equos Junoni dono datos, ferunt, quos illa Castori & Polluci tradidit. Cui fabulæ illa quoque concordat, qua jactatur, Equuleum ab ope Neptuni loco suppositum Saturno fuisse: hacque de causa Festus vult, Neptunum Equestrem fuisse dictum, ob idemque inquit, in Illyrico quaternos Equos jaci solitos nono quoque anno in mare. Aliqui sentiunt, Neptuno Equos optime accommodari; quod scilicet mare undique ad nos necessaria usibus nostris advehat, sicut & Equi. Quare Philostratus cum duas parvas Insulas describeret, quibus, rerum venalium forum erat commune, in quod quod ab agris legeretur, altera inferebat, altera vero quidquid ex maritima præda corrogasset; ibi Neptuno statuam positam inquit cum aratro, atque curru, tamquam si agricola esset: quo incolæ innuebant, se etiam terræ fruges Neptuno acceptas referre: sed ne eum terrestrem tantum colere viderentur, aratro navis proram aptarunt; ita ut Neptunum navigantem, terram arare diceres. Imago, 7. a.

Apud Eleos, sicut Pausanias refert, adolescentis imberbis statua visebatur, qui pedem pede premebat; ambabus vero manibus hastæ innitebatur; hæc statis temporibus nunc lineis, nunc laneis vestibus induebatur. Hæc Neptuni esse est credita, aliunde illuc translata, ubi maximo cultu ab incolis afficiebatur. Sed non Neptuni, verum Satrapis effigies appellabatur. Duo numismata exstant, Vespasiani unum, alterum Adriani, in quibus Neptuni imago cernitur nudi stantis: sed in lævi humeri tergo propendet amictus; dexteraque trilorem scuticam, læva elatum tridentem tenet. In alio quopiam numismate idem est effictus nudus, rectusque, sinistra elata tridenti inhærens, Delphinem dextera porrigens, alterumque pedem in prora tenens. Illud præterea est sciendum, apud veteres urbium portas Junoni, arces Minervæ, mœnia atque fundamenta Neptuno fuisse sacra; quod Servius adnotat, illud 11. Æneid. enarrans, ubi Venus inducitur, Æneæ ostendens, Trojæ ruinas reparari non posse; cum horum Deorum pro se quisque id diruere, quod sibi esset proprium, ita inquiens; *Fundamenta Neptuno sacra.*

Hic, ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum:
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque à sedibus urbem
Eruit.

Hacque de causa à Græcis ἐνοσίγαιος est dictus, quod est Terriquassor; quo significarunt, terræmotum Neptuno tribui, propter aquarum *Terræmotus à Neptuno fit.*

scilicet motum. Quamobrem Thessali, Neptunum aquis exitum aperuisse, dicebant, quæ universam olim Thessaliam inundabant; nam ingenti terræ motu excitato, montes discidit, ita ut latus fieret Peneo flumini exitus, terraque inter montes interjecta commode habitari posset: quod & Herodotus confirmat. Quod dixi de Neptuno Terriquassore, perbelle ad Terræmotus imaginem aptari posset, si quis eam vellet effingere.

Oceanus. Imagines Neptuni atque Oceani non multum inter se erant dissimiles. Hunc Oceanum veteres patrem Deorum dixerunt; pro eo autem non solum mare, quod universam terram ambit, sed etiam aquæ virtutem intellexerunt, quam tales omnium rerum principium statuit. Eum ergo Deorum patrem nuncuparunt; Thetimque uxorem ei tribuerunt; ex quibus innumeri propemodum Dei marini, fluviatiles, ac fontani, item & Nymphæ profluxisse feruntur. Thetis vero fingebatur vetus, cana, atque alba: eam Poetæ matrem, atque venerandam appellabant. Hæc una cum viri sui imagine poni potest: qui, ut Ioannes Buccatius refert, in curru effingebatur, à quatuor balænis per mare tracto; eum Tritones cum buccinis præcedebant, circumstabant Nymphæ, magnus belluarum marinarum numerus sequebatur, quæ sub Proteo duce ac pastore erant. Hic ex marinis Deis erat, qui ventura prædicebat, sed non nisi coactus; eosque, qui sibi vim parassent, fraudibus decipiebat, varias subinde formas induens, ut ex ejus manibus elaberetur. Quare necesse fuerat, eum vincire, ac tamdiu continere, quoad in pristinam figuram revertisset: tunc enim facile ad interrogata respondebat. De hoc Diodorus refert, eum in regnum ab Ægyptiis adscitum, tamquam qui omnibus sapientia antecelleret, perquam erat ita dexter in consiliis pro tempore capiendis, ut ea alia ex aliis prout res requirebat,

Proteus.

Proteus curin varias formas mutare-tur. commodissime mutaret, atque hinc factum esse, ut se in diversas figuras convertere diceretur: Quod idem erat, ac si dixissent, eum foro uti scivisse. Græci volunt, id de Proteo dictum, ut scilicet ad Ægyptiorum regum morem respiceretur: nam illi, cum in publicum procedebant: semper aliquod insigne gestabant, quod regiam majestatem præ se ferret; id quidem subinde mutabant; aliquando enim Leonis, aut Tauri, aut Draconis priorem partem, interdum arborem, quandoque ignem, nonnunquam redolentia unguenta præferebant. Unde factum locum fabulæ, Pro-

Imago 38. a. teum in ea omnia; quæcunque capite gestabat, solere transformari. In Carpatho etiam insula idem regnasse legitur, à qua mare Carpathium nomen habet, quod est prope Ægyptum, cum vero Phocis id mare abundet (quæ & vituli marini appellantur; priores enim partes corio, ac pilis tectas ad vituli similitudinem habent) atque aliis marinis belluis; ideo marini gregis pastor est dictus.

Eurynome. Oceani quoque filia Eurynome putabatur; eam Homerus Thetidi comitem adjunxit, cum Vulcanum adiret. Nonnulli eam Dianam esse crediderunt, ut

Pau-

Pausanias refert, quod quidem nihil cum ejus simulacro consentit, id fœmineam formam referebat, summa fœmora, cætera piscis figuram, erat autem aureis catenis revinctum. Id numen à Phigalensibus, qui erant in Arcadia colebatur, templum ejus statò quotannis die aperiebant, sacra eo die publice & privatim fiebant. Huic non admodum dissimilis quædam Dea erat, quæ Derceto appellabatur, hæc capite excepto, quod muliebre erat, piscis videbatur. De hac Diodorus Siculus lib. III. scribit, eam Nympham fuisse, sed gravidam postea effectam, a quo autem ignoratum, Semiramidem peperisse; sed sui erroris pudore affectam, se in quemdam Syriæ lacum abjecisse, atque inde ab illis populis numinis loco habitam, ac in piscem se convertisse creditam: ideoque factum esse, ut à piscium esu abstinerent, qui in eo lacu essent, quos omnes illi Deæ sacros arbitrarentur. *Derceto.* Sed ad Oceani Imaginem revertamur: ejus currus eum terram ambire significat: Rotæ terræ orbicularem figuram ostendunt: Balænæ currum trahunt, quod mare universam terram percurrat, ac in eam se insinuans, magnam ejus partem alluat. Nymphæ aquarum proprietatem designant, quas veteres non solum sub Oceani, Neptuni, Thetidis, Doridis, Amphitrices atque aliorum marinorum Deorum nominibus; sed etiam sub Acheloi nomine adumbrarunt. Licet nonnulli prioribus illis Salsarum Aquarum naturam, hoc vero posteriore dulcium innui, cujusmodi sunt fluviorum aquæ, qui etiam ab antiquis pro numinibus sunt habiti, & humana figura efficti. Sed antequam ad eorum simulacra veniam, ventos describam, nam cum de mari dixerim, ubi illi maxime vires suas exserant, non absre mihi facturus videor, si statim ventorum tractationem subjecero. *Venti.* Quamquam vero non absurde cum Junone conjunxissem: ea enim aerem significat; ventus autem, secundum Physicorum sententiam est aer concitatus; Itaque Æolus ita Junoni apud Virgilium lib. I. Æneid. respondet;

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu Sceptra, Jovemque
Concilias: tu das epulis recumbere Divum,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

Non tamen hic locus videtur à ventis alienus; veteres ut Deos, sunt ventos venerati: eisque sacrificabant, vel quod eis propitiis usi essent, vel ut in posterum uterentur. *Ventorum Cultus divinus.* Eos cum aliis effinxerunt, tumescentibus buccis, inflatis ac spirantibus: Sed alii alios suo flatu effectus producunt; nam aliqui nubes cogunt, & pluvias creant; alii è contra nubes dispellunt; alii aliter suas vires ostendunt. Itaque diversè à Poëtis descripti fuere: qui quamquam multi sunt, tamen præcipui quatuor qui à primariis quatuor mundi cardinibus flant, numerari solent, ut ab Ovidio cum lib. I. Metamorphos. universum in suas partes distribuit. Fueruut aliqui, ut refert Strabo, qui duos tantum ventos posuerunt; sed ex quatuor unus est Aquilo, qui & Boreas dicitur

a Septentrione flans, hunc *Pausanias* in Eliacis scribit in Cypselli arca exsculptum fuisse Orithyiam rapientem, non tamen ejus effigiem designat, nisi quod eum propedibus anguium caudas habuisse dicit, hic ergo quia nives ac frigus affert, glaciemque creat barba, capillis ac alis nive conspersis effingitur. Alter est Auster, qui & Notus nuncupatur, qui à Meridie flat: hic quod flatu suo pluvias adducit, ita ab Ovidio describitur.

— Madidis Notus evolat alis
Terribilem picea tectus caligine vultum,
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte sedent nebulæ, rorant pennaque sinusque.

Tertius est Eurus, qui ab oriente flat, hic niger effingitur ob Æthiopes, per quos transit; cumque Sol occidens, si forte rubeat, Signum sit fore ut sequenti die (quemadmodum Virgilius in Georgicis testatur) Eurus excitetur ideo ejus imagini Sol igneus ad caput adpingitur. Quartus benissimus ille quidem & Zephyrus qui ab occidente spirat. Hic vere primo terram herbis convestit, flores excitat. Quare Floræ maritus est ab antiquis dictus quæ florum Dea habebatur: ejus imago pulcherrimam Nympham referebat. Itaque ea cum ab Ovidio lib. V. Fast. loquens inducitur, ita de sua pulchritudine dicit;

Zephyrus.

Flora.

Quæ fuerat mihi forma, grave est narrare modestæ
Sed generum matri reperit illa Deum

Imago 39. a.

Ei & sertum ex variis floribus additur; item & vestis Versicoloribus floribus pingitur, nam flores quibus terra vestitur, omnia colorum genera referunt. Philostratus ita Zephyri imaginem adornat; Is est forma juvenili, facie decora, alatis humeris, tempora habens pulcherrimis floribus redimita.

Sed jam ad Fluvios transeamus, qui ab antiquis etiam numina habebantur, item votis ac sacrificiis colebantur. Eis capillum quodam peculiari ritu incisum offerre solebant; præcipue Græci, ut *Pausanias* testatur: Quod etiam ex Homero intelligimus, cum Peleum inducit, vota Sperchio flumini facientem, se capillos suos illi oblaturum, si filius Achilles incolumis ad se ex Trojano bello revertisset. Et in agro Attico apud Cephisum fluvium adolescentis statua visebatur, sibi comam cædentis, ut illi consecraret. Fluviorum effigies hominem referebat barbatum, promisso capillo, jacentem, cubito innixum, ut Philostratus Thessaliam describens, meminit; nam nunquam fluvii in pedes se erigunt; sæpe etiam magnæ alicui urnæ incumbunt, quæ aquam abunde effundat. Ita enim Statius Inachum depingit. Servius inquit, cornua quoque fluminibus tribui; aut quod aquæ murmur, boum mugitum exprimat; aut quod fluviorum ripæ cornuum instar sint incurvæ. Quamobrem Virgilius lib. VIII. Æneid. de Tiberi dicit;

Inachus.

Cor-

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum

Eumdem quo ita Paulo ante describit:

Hunc Deus ipse loci, fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus: eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus & crines umbrosa tegebat arundo. *Eridanus.*

Idem libro IV. Georg. de Eridano ita dicit.

Et gemina auratas taurino cornua vultu
Eridanus.

Ubi probus Eridanum inquit facie taurina pingi; quod sonus quem edit, sit taurino mugitui perquam similis; ejusque ripæ veluti cornua, sint intortæ. Ælianus scribit, fluminum simulacra, quæ antea nullam certam formam habebant, bovis postea effigiem expressisse. Idem apud Festum Pompejum legitur fluviorum scilicet statuas esse forma taurina, quodest, cornigera; nam ii sunt taurorum instar efferari Fluvios quoque arundineis foliis antiqui coronabant; arundo enim feliciter in aquosis locis provenit Ovidius lib. XIII. Metamorph. cum de Aci in fluvium mutato fabulam recensset, quem Polyphemus, grandi quodam saxo projecto, contriverat, ita de Galathea narrantem induxit; Imago 40. a *Acis in fluvium mutatus.*

Miraque res subito media tenus exstitit alvo
Incinctus juvenis flexit nova cornua canis.
Qui nisi quod major, quod toto cærulus ore est,
Acis erat.

Romæ etiamnum in Vaticano Tiberis statua visitur, qui nec cornua, nec serta arundinea habet, sed est corona ex variis floribus ac fructibus contexta redimitus, quod secundum meam quidem sententiam, eo refertur, ut fertilitatem, atque annonæ copiam significet, quam is fluvius incolis affert. Sed tamen non omnino est Poeticis ornamentis spoliatus; nam & arundinem manu gestat. Cum Acheolus apud Ovidium lib. VIII. Metamorphoseon Theseo narrat contentionem, quam cum Hercule pro Deianira suscepit, brachio innititur, caput habet arundine cinctum, viridi amictu induitur, neque tamen ambobus cornibus, sicut cæteri fluvii, est insignitus; nam alterum ei est ab Hercule diffractum, quod postea floribus ac fructibus variis refertum Ætolis est donatum, qui id Cornucopias Appellarunt. Quod est ideo ab antiquis fictum, ut Diodoro videtur; quod Hercules scilicet maximo cum labore alterum hujus Fluvii ramum, à Pristino cursu in aliam partem diverterit: quæ cum fœcundis illis aquis irrigaretur, maxime fructi fera evasit. Itaque varie flumina à Poëtis describuntur, nam ii vel Aquarum qualitatem, vel illorum cursum, vel regionis naturam, per quam transeunt, considerantes, Fluvios diversis *Achelous.* *Cornucopiæ.*

descriptionibus designant. Quare Pausanias in Arcadicis refert, in quodam Arcadiæ templo nobilium quorumdam amnium è candido marmore signa videri; Sed unius Nili simulacrum, è nigro lapide, cujus quidem rei hanc causam affert; quod scilicet per nigros Æthiopes, Nilus in mare delabitur. Lucianus scribit, Æthiopes Nili effigiem supra Crocodillum, aut Equum fluviatilem collocasse, Equus autem fluviatilis est, ut Herodotus eum describit, quadrupes, magnitudine Taurum æquans bovino capite, depressis naribus, Caprarum instar, jubis dorso ac tinnitu equino dentibus aprorum aduncis renitendi cauda pelle ita crassa atque dura, ut cum est exsiccata, sit jaculis conficiendis apta: Hæc bellua à Græcis est dicta ἱπποπόταμος. Circum Nili simulacrum pueros aliquot ludentes effingebant; ut etiam apud Plinium lib. XXXV. legitur, ubi de marmore, quod Basaltem vocabant, loquitur, scribit enim, ex hoc marmore statuam Romæ in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatam, Argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi, incrementi augentis se amnis ejus intelligerentur. De quadam Vertumni statua in foro Romano posita legitur, quæ Tiberim olim illac transeuntem repræsentabat. Hæc floribus atque fructibus erat ornata, ut fertilitatem agrorum ostenderet, juxta quos Tiberis præterfluit. Vertumnus etiam Deus humanis cogitationibus præpositus credebatur, qui diversas formas indueret, sicut & homines subinde consilia mutant. Aliqui eum Anni Deum putaverunt, qui juxta tempora varias sumit figuras; atque ideo ejus natura cunctis figuris est opportuna, ut Propertius de eo lib. IV. dicit cujus descriptionem operæpretium fore, sum ratus hic apponere, cum sit longe elegantissima; ea vero sic habet;

Nilus Fluvius.

Imago 41.a

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscis ortor, nec pœnitet inter
Pralia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba juvat, nec templo delector eburno,
Romanum satis est, posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus,
Seu, quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere die.

Lu-

Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pyrus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
De se narranti, tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles, verte: decorus ero.
Induc me Cois, fiam non dura puella.
Mequc virum, sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Iurabis, nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam; &, memini, laudabar in illis:
Corbis & imposito pondere, messor eram.
Sobrius ad lites: at cum est imposta corona,
Clamabis, capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra; speciem furabor Iacchi:
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis, venor, sed arundine sumpta,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Et etiam auriga species Vertumnus, & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat; hoc pisces calamo prædabor; & ibo
Mundus, demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.

PLUTO.

LICET in ditionis divisione, alii Saturni filiorum cæli regnum obtigerit, alii aquarum, alii inferorum, prout fabulis fertur; quod si rei veritatem spectare velimus, innuit, Jovi sorte orientis partes, Plutoni Occidentis, Neptuno vero maris insulas obvenisse. Sed tamen eorum quemlibet passim suum imperium exercere, interdum videmus; nam Neptunus apud Virgilium lib. 1. Æneid. ventis minatur, quod sine ejus permissu, cœlum, terras-

raſque turbare auſi fuiſſent. Jupiter nonnumqnam inferorum res adminiſtrat : nec non & Pluto in cœlum ſuum jus extendit. Itaque Jovem dicunt fulmen triplici cuſpide præditum, Neptunum tridentem, Plutonem canem tricipitem habere. Quamobrem cum Plutonis imaginem deſcribemus, mirum videri nemini debebit, ſi eum interdum parem Soli poteſtate ſtatuemus, & aliquando terræ. Sed tamen tunc etiam inferorum Deus eſt intelligendus, utpote qui præcipuam ibi poteſtatem exerceat, imperiumque in animas corporeis vinculis exſolutas habeat. Hic, ut quilibet juxta promerita juſtas pœnas aut præmia conſequatur, tres æquiſſimos judices habere fingitur, qui inferorum judicio præſint, quorum unus dicitur eſſe Æacus, alter Minos, tertius Rhadamanthus: de quibus, antequam ad Plutonem veniam, aliquid ex Platone dicam; nam id cum in primis cognitu jucundum videtur, ac multum facere ad intelligendum, quo pacto eorum imagines ſint exprimendæ; tum hinc diſcamus licebit, quales iudicum debeant eſſe mores. Ita igitur Plato habet; Saturni tempore lex erat, quæ etiamnum apud Deos viget, viguitque ſemper, ut ſcilicet ii, qui vitam cum juſtitia tranſegiſſent, poſt mortem ad beatorum inſulas proficiſcerentur; contraque qui nequam, ac flagitioſe vixiſſent, morientes eo abducerentur, ubi pœnas ſuorum ſcelerum luerent. Sed Saturno regnante, & in primordiis regni Jovis adhuc vivi, poſtremo videlicet vitæ die homines etiam à vivis judicibus judicabantur: quo fiebat, ut multi non pro vitæ meritis judicium ferrent. Quod ubi Jupiter ex Plutone reſciviſſet, ex eisque qui beatorum inſulis præſiderent, multos ſcilicet illuc deſtinari, qui cum locum nullis promeritis ſibi comparaſſent; ſe huic ordinis perturbationi obviam iturum inquit, cujus cauſam in id referebat, quod homines ante mortem judicarentur, dum mortali adhuc corpore circumdarentur, multique eos circumſtarent, qui bene, maleve de ipſis ſentirent. Itaque plurimos animos ſceleribus coopertos ſe coram judicibus ſiſtere audere, tamquam ſi eſſent ſumma innocentia præditi; ſuam enim perverſitatem corporis pulcritudine, familiæ nobilitate, divitiarumque copia tegere; nec teſtibus deſtitui, qui aſſerant, ſe vitam, omni culpa carentem duxiſſe. Itaque judices, corpore impeditos, quod veluti velum eſt animo objectum, quominus verum cernere poſſint, tot rebus deceptos, ac tantam bonitatem admirantes, non poſſe eos non omnibus bonis digniſſimos judicare. Quare illud in primis facto opus eſſe, ne homines, quando ex hac vita ſint migraturi, præſentiant: cujus rei Prometheo fuit demandata provincia. Deinde, ut cunctis rebus corporeis exſuti judicibus ſe ſiſtant, qui & corpore careant; ita ut animis tantum animos nudos & apertos cernant; atque ita facile juſtum judicium futurum. Quamobrem decrevi, inquit, ut ex meis filiis duo Aſia oriundi, Minos ſcilicet, & Rhadamanthus, unuſque Europa, Æacus vocatus, cum ex hac vita migra-

Inferorum judices.

Judices cur fallantur.

Jovis decretum de animis judicandis.

grarint, ad quoddam pratum proficiscantur (quod Veritatis ager appellabatur) ibique ubi duæ viæ se dividunt, altera ad beatorum insulas, altera ad inferorum loca tendens, animorum, qui è corporibus recesserint, judicia exerceant. Asiaticis judicandis præerit Rhadamanthus, Æacus iis, qui ex Europa advenerint; sique quid dubii inciderit, Minos cognoscet; ut sine ulla fraude quisque ad eum locum destinetur, qui meritis conveniat. Hoc fuit Jovis decretum, ut hominum animi juste judicarentur. Itaque Rhadamanthus, atque Æacus, cum judicant, virgam manu tenent; Minos seorsim sedet, singulorum causas secum dispicit, auratum Sceptrum, ipse quoque gestans; ita enim Ulysses apud Homerum refert, se eum vidisse, cum mortuis jus dicit. Judicandi animi omnium affectuum signa, quibus tenentur, præ se ferunt; itemque quidquid umquam gesserint, dum adhuc corpore coërcerentur, facile in eis argumenta deprehenduntur. Quare cum se coram judicibus statuunt, nequaquam interrogantur, quinam olim fuerint; judices enim, iis tantum compertis, quæ dum adhuc inter mortales versarentur, perpetrarint, eos ad commerita loca ablegant. Hic *Plato* explicat, quinam animi ad inferorum carceres destinentur, & qui ad beatorum sedes mittantur. Sed nos contenti trium horum judicum effigiem designasse, ad alia transibimus. Dantes Algerius Minoi videtur formam belluæ tribuisse; ita enim in *Poemate* de Inferno dicit;

Cernere erat tetro aspectu Minoa sedentem
Horribili rictu latrantem, ac torva tuentem
Quæsitor sævus vitasque, ac crimina discit;
Atque alias aliis pœnas decernit; & umbras
Pallentes audit, tentat, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos commisit crimina: quorum
Pro meritis pœnas taxat, numerumque, locumque,
Tot caudæ corpus spiris immane revincens,
Pœnarum gradibus quod vult torquerier ipsas.

Aliqui in ea sunt sententia, ut putent, Minoem scelerum conscientiam significare, qua assidue, qui sibi facinorum est conscius, se ipsum vexat, accusat, supplicium ob oculos statuit, torquet, exagitat. Sed nunc ad *Plutonem* revertamur, qui etiam divitiarum Deus est habitus, πλοῦτος enim Græcè divitias significat. *Per* eum autem terra intelligitur unde tot opes hauriuntur. Itaque Latini eum Ditem ad divitias innuendas, appellandum duxerunt. Hunc manium Deum putarunt, quod is scilicet funebres pompas invenerit, ac justa, quæ mortuis persolvimus. Sed hæc missa faciamus, & ejus effigiem, à *Poëtis* adumbratam, describamus. Apud inferos is tamquam rex in solio sedet; ita enim eum Claudianus Lib. 1. de Raptu *Proserp.* designat, cum refert eum Mercurium ad Jovem, uxorem sibi petitum misisse.

Minos quid significet.

Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus,
Majestate sedet: squalent immania fœdo
Sceptra situ.

Martianus Capella regiam coronam ei tribuit, cum eum una cum Neptuno fratre describit, ita dicens: Pluto lucifuga inumbratione pallescens, in capite coronam ex hebeno, tartareæ noctis obscuritate ferveſcens. Sceptrum, quod manu gerit, eum regem monstrat; id est parvum; nam inferioris hujus orbis regnum repræsentat; ita Porphyrius hoc explicat, quemadmodum Eusebius refert; subque *Plutonis* nomine Solem intelligit; qui ideo inferorum Deus dicitur, quod hieme parum se nobis ostendat, sed maximam temporis partem degat cum Antipodibus, quos in inferiori orbe habitare, dicimus: cum tamen illi se nobis superiores arbitrentur, ut Servius ex Tiberiano refert, qui ait, olim à vento ab Antipodibus litteras ad nos allatas, cujus id erat initium; Nos superi vos inferos salutamus. Aristoteles etiam rationibus conatur ostendere, nos revera inferos esse. Sed hoc non multum ad rem; illuc hinc intelligamus, Plutonem, si pro Sole capiatur; sub terris degere creditum, cum nostrum hunc orbem non colluſtrat. Is idcirco Proserpinam, à se raptam retinere dicitur, quæ seminis vim exprimit; quia hiemis tempore, cum Sol à nobis longius recessit, semen intra terræ viscera concluſum latitat. Galeam Pluto gestat, ut Homerus, *Plato*, atque Hyginus dicunt. Solis enim verticem nequimus intueri. Itaque secundum fabulas, quicumque galeam sibi *Plutonis*, aut Orci induisset (utroque enim nomine idem appellatur) mortalium oculis cerni non poterat, cum tamen ipse alios cerneret: quam *Perseum* gestasse fabulantur, cum Medusæ caput abscidit, hocque præsidio fretum, ab ejus sororum impetu sese sartum, tectum præstitisse. Hanc Minervæ beneficio obtinuisse ferunt, quæ etiam apud Homerum hujusmodi galeam sibi aptasse fingitur, ne à Marte contra Trojanos pugnans deprehendi posset. Cerberus ei ad pedes jacet, quemadmodum Fulgentius scribit, qui *Plutonem* terræ præsidem, ac custodem appellat, eumdemque obscuris tenebris circumdatum, sceptrumque manu tenentem describit; hæc eo referuntur, ut intelligamus, tria semini opus esse, ut ad fructus perveniat; primum scilicet, ut humi spargatur; deinde ut terra tegatur; postremo, ut sub ea latitans germinet. *Pindarus Plutonem* facit, manu virgam tenentem, hacque animas ad inferos eum dicit perducere. Nonnulli ei clavem in manus tradunt, qua sui regni fores claudat, ne videlicet animæ ibi concluſæ, aliquando elabantur. Quare apud *Pausaniam* legitur, in quodam Junonis templo; quod alicubi in Græcia erat, tabulam quamdam exstitisse, in qua inter alia multa, inciſus erat *Pluto* cum *Proserpina*, duabusque Nymphis, quarum una manu pilam, altera clavem continebat; hujus rei hanc rationem affert, quod clavis, scili-

Plutonis color.
Corona Sceptrum.
Pluto pro Sole capitur.
Proserpina.
Clavis in Plutonis manu.

scilicet sit *Plutonis* insigne; cum is inferna loca ita concluſa teneat, ut nemo inde possit elabi. Ex quo locus fabulæ est datus, Cerberum ad inferni portas excubare, ut eos perterrefaciat, qui fugam moliantur: quem ita Seneca in Hercule furente describit.

Hic ſævus umbras territat Stygius canis,
Qui terna vaſto capita concutiens ſono,
Regnum tuetur, ſordidum tabo caput
Lambunt colubri; viperis horrent jubæ;
Longuſque torta ſibilat cauda draco.

Ita etiam eum Apollodorus lib. 11. Bibliothecæ describit; nisi quod addit eum in dorso serpentum omnium capita habuisse. Dantes quoque in libro de Inferno sic ejus imaginem designat;

Cerberus umbrarum latratu regna trifauci
Perſonat, atque animas multa formidine complet.
Truces illi oculi; barba eſt implexa colubris;
Immanis venter; nec non ferus unguibus uncis
Dilaniatque, voratque animas, manditque, rapitque.

Hesiodus ei centum capita tribuit; eumque Plutonis ostiarium appellavit, Imago 42.a
eisque blandiri, qui infera loca ingrederentur, sed qui egredi studerent, continuo ab illo corripi atque devorari dixit: quod quidem ejus nomini congruit; nam Cerberus quasi κρεαβόρος, hoc est carnem vorans dicitur. Atque ideo aliqui per eum terram significari dixerunt, quæ cadavera vorat, atque conficit. Huic similis erat quidam Eurynomus, de quo ex Delphicis interpretibus Pausanias libro postremo scribit, ipsum inferorum fuisse dæmonem qui mortuorum carnes absumeret, ita, ut ossa solummodo relinquerentur: colore erat inter cæruleum & nigrum medio, quales Muscæ esse solent, quæ carnibus insederint: dentes ostentabat; vulturis erat substrata pellis. Quidam censerunt, cerberum nostrum hoc corpus referre; sicut enim ille infernum adeuntibus se mitem ostendit, ita & hoc se præbet facile atque obsequens iis qui genio ac voluptatibus indulgent; item non secus maximum faceſſit negotium iis qui à vitiis ad virtutes deficere volunt, atque ille in eos insurgit, qui ex inferno exire tentant. Et ad hanc fortasse significationem Virgilius lib. VI. Æneid. respexit cum fingit belluam hanc Æneam, hominem scilicet omnibus virtutibus insignitum, primo ingressu allatrantem: quod contrarium videtur iis, quæ de eadem Hesiodus aliique scripserunt, qui volunt eam ingredientibus abblandiri, sed nihil est inter eos discrepantiæ, si rem suis momentis velimus expendere: nam qui ad inferos descendit, hoc intellectu, ut vitiorum cœno sese ingurgitet, is Cerberum in aditu ostendit, qui miris modis ipsum demulceat, hoc enim corpus animi libidinibus magnopere acquiescit, ac oblectatur: quod tamen acriter reclamat, si quis à tantis sordibus resilire velit. Qui vero infera loca adit,

quemadmodum Æneas, Feciſſe fingitur, ut, ſcilicet vitiorum turpitudine conſiderata, vehementer ab omni ſcelere abhorreat, ac virtutes ſummo ſtudio ſectetur, is Cerberum habet adverſarium; hoc eſt appetitus magnopere repugnantes ſentit, qui ſe ab inſtituto ad virtutes, curſu quantum poteſt, retardet. Eadem ratione à Poëtis eſt fictum Herculem inferos penetraſſe, ac inde victum Cerberum ſecum abſtraxiſſe, quia is prudentem hominem referebat, qui ſenſus hos corporeos nationis vinculo ita conſtringit, ut ſecum ex inferorum vitiis facile educat, atque per virtutis ſemitam eos ambulare compellet: è contra vero de Pirithoo fertur, eum, cum ad infernum deſcendiſſet, ut uxorem à Plutone abſtraheret, qua cum libidine, ſuas expleret, à Cerbero interfectum fuiſſe; qui enim ſe in fœdis voluptatibus immergit, fere nunquam emergit, ſed illis lenaciter adhærescens, tandem obruitur. Hæcatæus Mileſius ut Pauſanias in laconicis refert, quæ de Cerbero narrantur, figmentum eſſe teſtatus eſt; nam in caverna quæ erat in Tænaro promontorio unde ad inferos deſcenſus patere putabatur, immanem ac tetrum ſerpentem luſtrum habuiſſe refert; qui ſit idcirco inferorum canis dictus, quod quem morſu impetiſſet, ſubita eum veneni vi mori ſtatim neceſſe eſſet: eum ſerpentem ab Hercule ad Euryſtheum pertractum. Homerus vero (is enim primus Ditis canem, quem Hercules exttaxiſſet, appellavit) neque nomen ei proprium impoſuit, neque de ejus figura eſt quidquam fabulatus: poſteriores & Cerberum appellarunt, & eum, cætera cani ſimilem, tria dixerunt capita habere. Sed de Cerbero hactenus. Nunc ad Plutonem poſtliminio redeamus; quem Seneca in Hercule furente ita deſcribit:

Superbo digerit vultu ſedens
Animas recentes: dira majeſtas Deo:
Fronstorua; fratrum qua tamen ſpecimen gerat,
Gentisque tanta: vultus eſt illi Jovis.
Sed fulminantis: magna pars regni truſis
Eſt ipſe dominus, cujus aſpectum timet
Quidquid timetur.

Plutonis Quadrigæ.

Huic veteres quadrigas tribuere, quas equi quatuor atri, & naribus ignem ſpirantes trahunt: quatuor equos Claudianus lib. 1. de Raptu Proſerpin. recenſet. Sed Buccatius lib. 11x. tres tantum nominat, currumque tres etiam rotas habere dicit; quod ad difficultatem, atque pericula, quæ experiuntur ij, qui divitias parant, & ad futuros rerum eventus incertos refert.

Divitiarum Deus, Plutus.

Plutonem enim interdum Divitiarum Deum poſuerunt: licet Græci alium quemdam diverſo nomine appellatum divitiis præponerent, quem Plutum dixere; qui à Plutone ſaltem effigie differebat; nam Ariſtophanes in Comœdia, quæ Plutus inſcribitur, eum cæcum repræſentat, a Joveque excæca-

cæcatum dicit, ne viros probos, modestos, doctosque cognosceret. Lucianus etiam in Timone eum cæcum, claudum, interdum lectica vectum, aliquando pedibus celerem facit; nam dum divitias malis hominibus elargitur, velocem se ostendit; sed cum ex eis aliquid probis imperat, mirum quam sit segnis & lentus: quod etiam est Fortunæ proprium. Itaque *Pausanias* in Bœoticis laudat eum, qui Plutum in manibus Fortunæ posuerit, tamquam ejus matris, atque nutricis: neque minus prudenter fecisse Cephisodotum statuarium dicit, qui *Pacem* Athenienſibus fecerit, *Plutum* in sinu habentem; pax enim divitias conservat, quas bellum dissipat. *Plutarchus* scribit, apud Lacedæmonios Plutum cæcum, atque jacentem esse effictum. Rhodij, ut Philostratus in Imaginibus refert, eumdem videntem, alatum, ac inauratum habebant; & arcis suæ custodiæ præfecerunt: est quidem volucris pictus, ut è nubibus, ad eos descenderit; aureus autem est, ob materiam, in qua eis primum est visus, pictus est & oculatus, ad eos enim ex providentia accessit: dicunt enim in ortu Minervæ Rhodiis aurum depluisse; quod & apud Claudianum in *Paneg.* Stiliconis legitur. Quod ideo factum fuisse, idem Philostratus narrat, quod Rhodij Minervam eximio cultu prosequebantur; sed ei non quemadmodum par erat, *Aurum pluvia delapsum,* libabant; in re enim sacra ignem non adhibebant: Itaque Jupiter in eos cælitus aurum depluit, non autem Minervam demisit; quæ ad Athenienses, ut sapientiores, riteque sacrificantes profecta est; nam ij in sacrificiis igne utebantur. Plutoni crupressus erat sacra, è cujus foliis, ac ramis ei sertum contexebatur; erat enim arbor infausta, cujus usus in funeribus plurimus erat: aut, quod semel abscissa, nunquam amplius germinat; aut, quod juxta Varronis sententiam, rogos hoc ligno olim circundarent, ne teter nidor ex concrematis cadaveribus circumstantes offenderet. Apud veteres enim erat in more positum, ut propinqui ac amici funus ad locum, ubi erat cremandum comitarentur; ubi ad præficæ modos omnes flebant, ac lamentabantur: hæc autem erat mulier pretio conducta, quæ mortuum maxima qua posset voce defleret, ejusque egregia facta prædicaret; nemo *Narcissus flos.* autem inde recedebat, quoad cineres urna non essent conditi; præfica voce præeunte; Ite; dimissio est. Adianto etiam herba Pluto legitur coronatus. Fuerunt qui narcisso ejus caput adornarint; hic enim flos mortuis gratus esse credebatur; fortasse propter adolescentem quemdam, hoc nomine vocatum, qui moriens in hunc florem dicebatur mutatus. Quare ex eodem Furiis serta contexebant, quemadmodum Phornutus refert.

Furiæ autem Plutonis administræ putabantur: ex inferisque in terras emergere aliquando, fuisse creditæ, ad pœnas à mortalibus suorum flagitiorum exigendas, aut eos ad alia pejora scelera impellendos: tres ea numerantur,

Alecto scilicet Thysiphone ac Megæra. Eædem ab antiquis colebantur, magis ne obessent, quam ut prodessent; quo cultu olim etiam Deos Averruncos prosequebantur, ut scilicet mala averterent: averruncare enim est avertere. Ea de causa ut Pausanias in Atticis meminit, furiis Græci sacrificabant. Furiæ ergo fana, ac ara apud veteres, sicut & cæteri Dei habuerunt eas Athenienses σεμνὰ θεὰς, hoc est severas Deas, Siconii vero εὐμενίδας id est à contrario sensu, benevolas ac mites appellabant: iis quotannis die statò sacrum facientes, prægnantes oves mactabant, ac mulso pro libamentis, pro corollis floribus uti, solemne habebant. Alicubi etiam in Achaja Eumenidum fanum erat dedicatum; eo si quis cæde vel quovis incesti, aut impietatis genere pollutus intravisset, spectandi causa, statim eum mente capiendum diris terroribus exagitatum credidere, quare omnibus etiam alio contendentibus templi aditum interdictum fuisse, scribit Pausanias in Achaicis: qui etiam Arcadiam describens, narrat in quadam ejus regionis parte, templum atque agrum Deis maniis consecratum fuisse; quas is furias fuisse arbitratur; nam hoc in loco ob matris cædem Orestem insaniviss tradebant; itemque non longe ab eo fano terræ agger surgebat; è lapide excisum digitum insigne prætendens; unde & illi tumulo digiti monimentum nomen est, ibi furentem Orestem tradebant, manus digitum abrosisse, prope erat & alter tumulus Ace nomine; quod ad eum insaniæ medelam Orestes nactus fuerit. Et illic erat alterum Furiarum templum: has Deas Oresti, cum primum est mente captus, nigras obvias factas memorant; easdem cum digitum addidisset, albas apparuisse, & earum aspectu statim illum ad se rediisse; idcirco iis quarum effugit iram, in furias misisse, posterioribus vero rem divinam feciss dicitur: ac candidis quidem Deabus & Gratiis pariter incolas postea facta feciss idem Pausanias refert, Cicero lib. III, de Natura Deorum de Deæ Furinæ luco meminit, quam Furias esse vult. Earum serpentibus esse crinem implicitum, primus omnium finxit Æschylus, Quemadmodum in Atticis tefert Pausanias. Itaque Seneca in Hercule furente ita Junonem dicentem facit, cum vult furorem Herculi injicere;

Averruncati Dii.

Imago 43.a.

Incipite famulæ Ditis, ardentem incitæ
Concutite pinum, & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.

Dantes in Comedia de inferno dicit, se, cum in imo inferno esset oculos ad quandam turrim erexisse.

Aspexit diras ubi tres residere sorores;
Fœmineum quibus os, facies respersa cruore
Tortis cinctæ hydris, redimita tempora sævis.
Anguibus & crines quibus ornavere ceraste.

Hæ

Hæ quales in reliquo essent, ex Strabone colligi potest, qui lib. IV. Cassiteridas insulas describens, inquit, homines ibi habitantes fuisse colore fusco, tunicis ad talos demissis, cingulo pectus incinctos, baculosque manu gestasse, Furiis persimiles. Suidas etiam de Menippo Cynico referens, qui insania captus; se inferorum ministrum esse dictitabat, seque huc ab infernis Deis allegatum, ut hominum facta exploraret, ac ad ipsos de cunctis referret, eum Furiarum habitu usum scribit; nempe veste nigra, ad talos usque demissa non admodum lata, fascia incinctum, pileum gestantem, in quo duodecim Signiferi signa erant expressa, tragico cothurno calceatum, manu fraxineum baculum tenentem, prolixa barba, qualis philosophorum solebat esse: quæ nihil ad furiarum habitum faciebat, sicut nec pileus. Itaque vestis illa nigra, ad terram usque protensa, fascia, ac baculus in Menippo, juxta Suidam, Furiarum habitum adumbrabant, quemadmodum etiam Strabo paulo ante depinxit.

Ariadna, cum se à Theseo solam in littore relictam vidisset, qui clam cum Phædra profugerat; multum, diuque misera est de sua acerba fortuna conquesta; demum ad Furias conversa, ab eis contra perfidum illum, ac proditorem ultionem exposcit apud Catullum in poëmate de nuptiis Pelei, & Thetidis.

Quare facta virum multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo,
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc, huc adventate, meas audite querelas.

Perinde atque nemo melius eis ab illo pœnas impietatis reposceret; cum nihil magis homines excruciet, quam mentis perturbationes, ac morbi, cum à ratione animum abducunt. Neque quidquam aliud intelligendæ sunt Furiæ, quæ à Poëtis homines vexare dicantur: quare de eis Lactantius in Divinarum Institutionum Epitome, *Tres inquit affectus, vel (ut ita dicam) tres Furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt: Ira quæ vindictam cupit: avaritia, quæ desiderat opes: libido, quæ appetit voluptates. Hi non per se mali sunt, quos Deus homini rationaliter inseruit: sed cum sint utique* natura boni (quoniam ad tuendam vitam sunt attributi) male utendo fiunt mali. Ita igitur ad coertionem peccatorum, id est, ad regendam subjectorum disciplinam, data est à Deo, ut metus licentiam comprimat, & compescat audaciam: cupiditas ad desideranda & conquirenda vitæ necessaria tributa est: Libidinis autem affectus ad procreandos filios insitus & innatus est. Redigendi sunt ergo isti affectus intra fines suos, & in viam rectam reducendi. Si enim illis omnem, qua velint, vagandi licentiam tribuimus, omnem mentis tranquillitatem, Furiis immissis, perturbant. Furias antiqui cum ardentibus facibus effingebant, ut hoc intelligeremus qui-

quibus ardoribus noſtra pectora depravati affectus inflammant; ut melius in Tiſiphonis imagine videbimus,

Centum illi aſtantes umbrabant ora Ceraſtæ,
Turba minor diri capitis: ſedet intus ab actis
Ferrea lux oculis: qualis per nubila Phœbus
Atracia rubet arte color: ſuffuſa veneno
Tenditur, ac ſanie gliſcit cutis igneus atro
Ore vapor: quo longa ſitis, morbique fameſque,
Et populis mors una venit, riget horrida tergo
Palla; & cærulei redeunt in pectore nodi.
Atropos hos, atque ipſa novat Proſerpina, cultus.
Tum geminas quatit illa manus: hac igne rogali
Fulgurat; hac vivo manus æra verberat hydro.

Et Ovidius lib. IV. Metamorph. cum fingit eam à Junone ad furorem in Athamantem injiciendum miſſam; ita eam deſcribit;

Tiſiphone canos, ut erat turbata, capillos
Movit, & exſtantes dejecit ab ore colubros.
Nec mora Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tetroque incingitur angue
Egreditur que domo: Luctus comitatur euntem,
Et Pavor, & Terror, trepidoque Inſania vultu.

Quare Furiæ non ſolum operam *P*lutoni dabant, ſub cujus ditione erant, ſed Junoni quoque ac Jovi; qui jus aliquod in inferos habere videbantur. Itaque uterque interdum Infernus, ac Stygius à Stygia palude, quæ Inferorum regionem dicitur ambire, appellatus eſt; per cujus aquas *P*oetæ fabulantur, Deos juraſſe; perjuri autem eam fuiſſe pœnam, ut annum divinitate ſe abdicaret, ambroſia, nectareque privaretur. Id paludi Stygiæ tributum ferunt, ut Dii per eam jurarent, quod Victoria ejus filia in bello contra Gigantes à Jove ſteterit. Vel potius id confictum eſt, quod στύγος mœrorem ſignificat, à quo Dii longiſſime recedunt, qui ſempiternis fruuntur bonis; perinde atque per id jurarent, cujus penitus ſunt expertes. Hæc palus infernum dicitur circumdare; nullibi enim major mœſtitia reperiri poteſt. *Ibidem Lethe, Acheron, Phlegethon, Cocythus, aliique fluvii eſſe dicuntur*, qui luctum, triſtitiam, aliaſque hujuſmodi animi perturbationes ſignificant, quibus perpetuo illic incluſi afficiuntur. Sed Platonici ea volunt in hac vita contingere; hunc enim mundum infernum vocant, in quem animum tunc dicunt deſcendere, cum huic mortali corpori conjungitur; ubi primum ei Letheus fluvius occurrit, cum ſcilicet rerum præcedentium oblivione capitur; ex hoc ad Acherontem tranſit,

qui

qui lætitiæ privationem significat ; animus enim, res cæleſtes oblitus, omni ſtatim voluptate deſtituitur, quam in illarum contemplatione ſentiebat. Itaque eſt in maxima mœſtitia; & id ſibi vult, eum paludè Stygia circumdari. Ex quo in luctu, atque lacrymis verſatur, quas Cocythi nomen repræſentat. Phlegeton autem, cum ab igne nomen trahat, iræ ardores aliorumque animi morborum æſtus, quibus in hoc corpore incendimur, atque torquemur, deſignat. Idem miniſterium Furiis tribuitur ; quibus Virgilius alas addit, eaſque præſto Jovi eſſe dicit, cum eas ad magnum aliquem mortalibus terrorem incutiendum velit allegare ; cujuſmodi ſunt bellum, peſtis, aliaque id genus. Ælianus turtures ſcribit, Furiis fuiſſe conſecratas : nec aliud animans earum proprium reperio, præter quod Virgilius lib. XII. Æneidos, unam ex iis in noctuam fingit converſam, cum à Jove ad Turnum cum Æneæ pugnantem perterrefaciendum mittitur. Aliqui tribus prædictis Furiis quartam addunt, nomine Lyſſam ; hæc rabiem ſignificat. Unde Euripides in Hercule furente, Irim inducit Junonis juſſu Lyſſam adducere, quæ Herculi furorem ac rabiem injiceret : hæc centum ſerpentum capitibus ſibilantibus caput incinctum habere, manu vero ſtimulum geſtare fingebatur.

Furiis non incongrue Harpyias adjunxerimus ; nam & hæc olim à Diis immitti credebantur, ad hominum ſcelera punienda : & eorum ſedes erant in inferno ; quamvis Virgilius in Strophatis inſulis, quæ ſunt in Jonio, habitaſſe dicat. Sed tamen ad earum imaginem deſignandam, parum referre puto, ubi tandem illæ degiſſent. Ita vero à Virgilio deſcribuntur lib. III. Æneid.

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies uncaque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Dantes etiam ad Virgilii exemplar eaſdem ita adumbravit ;

Hæc loca monſtra colunt Harpyiæ peſſima, quondam
Quæ Strophadis à ſe pulſos Troas cecinere
Tibridis ad ripas vexatum iri fame dira.
Virginei volucrum vultus, collumque, capillique,
Immanis venter plumis contectus ; acerbos
Dant gemitus ramis hærentes arboris altæ.

Ex Harpyis Ovidius lib. VI. Faſtorum vult Striges natas, quas ita deſignat ;

Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinis,
Canicies pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.

Carpere dicuntur lactentia viscera rostro:
Et plenum poto sanguine guttur habent.

Statius eas fabulatur in inferno natas, ac eis faciem, collum, pectusque muliebre, serpentesque à capite in vultum descendentes tribuit: eas etiam dicit, noctu per domos euntes, ut infantum sanguinem exsugant. Quare antiqui Deam Carnam, seu Cardineam, de qua superius diximus, sacrificiis placabant, ut hanc à se calamitatem averteret. Plinius lib. xi. fabulosum arbitratur de Strigibus, ubera eas infantium labris immulgere; fuisseque dicit in maledictis apud antiquos hoc nomen; sicut & nos mulieres maleficas strigas appellamus. Nonnulli voluerunt Lamias idem apud Græcos sonare, atque Striges apud Latinos. Sed Philostratus in Apollonii vita dicit, Lamias esse Cacodæmonos perversos sane crudeles, ac Libidinosos humanarumque carnium devoratores: Suidas atque Phavorinus Lamiam mulierem formosam fuisse tradunt, quam Jupiter adamavit, & ex ea filium suscepit: Sed Juno præ Zelotypia filium perdidit, & Lamia præ mœrore deformata alienos infantes rapere ac perdere dicebatur. Non defuerunt qui eas belluas fuisse dicerent, facie muliebri, ac pedibus equinis. Sed Dion in Libyca historia hæc de Lamiis scribit; Facies est eis mulieris, & formosæ quidem ubera ac pectora longe pulcherrima, quæ neque melius pictor possit effingere; color splendidissimus; gratia quædam & venustas ab oculis & mansuetudo in animum incidit, quoties aliquis eas spectarit, reliqua pars corporis dura & infrangibilis ob squamas confertas, inferiora sunt serpentis, ut ima pars in caput desinat serpentis & quidem horribilis. Hæ feræ alas non habent, neque loquuntur, neque aliam vocem emittunt, sed solum Sibila acutissima quemadmodum Dracones terrestrium omnium hæ velocissimæ, ut nullum possit eas animal effugere. Cætera quidem animalia viribus expugnant homines: Hæ solæ fraude ac deceptione pectora aperiunt, & ubera ostentant: (quod & Hieremias Propheta confirmat, cum dicit, sed & Lamiæ nudaverunt mammas suas) cum vero quis aspexit, veneficiis quibusdam cogunt ad confabulationis desiderium & hic quidem veluti ad mulieres accedit; illæ intrepidæ manent, deorsum in humum sæpe respicientes, ornatum ac pudorem mulieris imitantes atque ita cum qui propius accesserit, rapiunt; namque manus sunt ferarum, quas aliquantisper occultant: cæterum serpens mordens, veneno interficit; cadaver ipsum comedit serpens, & quod reliquum est feræ, sed de Lamiis satis.

Lamiæ.

Imago 44.a

Jam ad Sphingas venio quæ sunt monstra, non admodum præcedentibus dissimilia, & partim fabulosa, partimque ad verum accedentia. Nam Plinius lib. VIII. eas scribit fusco pilo mammis in pectore geminis in Æthiopia generari. Albertus Magnus de animalibus scribens, eas inter simias connumerat,

merat, ex cujus verbis conjiciamus licet, eas esse Cercopithecos. Sed tamen aliter de iis Poetæ loquuntur; à quibus postea pictores & statuarii exemplar desumpserunt: nam ii ut Ælianus refert Sphingem ita effingunt, ut media ejus pars mulieris speciem præferat, media Leonis, ita enim fabula quæ de Thebis narratur eam describit, ubi illa erat; & scopulo insidens, viæ imminenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, & quotquot dissolvere non poterant, unguibus & alis interficiebat. Ejus ergo imago secundum fabulas hæc erit, ut caput manus & pectus puellæ, alas avis, reliquum corpus leonis habeat, ut ex quibusdam Ausonii Poetæ carminibus intelligimus, Plinius lib. xxxv. scribit alicubi in Ægypto Sphingem effictam, vel magis mirandam, quasi silvestre numen accolentium; fuisse autem saxo naturali elaboratum, & Lubricam capitis monstri ambitum per frontem centum duos pedes colligere longitudinem pedum CXLIII. altitudinem à ventre ad summum apicem in capite LXII. Neque hic de Chimæra Silvero, quod quidem monstrum est penitus fabulosum id: (Juxta Homeri ac Lucretii descriptionem.

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra.)

Ex ore maximam flammarum vim evomebat; quod & Virgilius testatur, cum eam lib. VI. Æneid. in primo inferni aditu, una cum aliis monstris collocat. Sed res ita se habet. Mons erat in Lycia ignivomus, in cujus cacumine Leones habitabant; in medio autem ubi pascuis abundabat capræ, in radicibus autem serpentes. Et quoniam Bellerophontes montem hunc habitabilem reddidit, Chymæram fingitur occidisse. Huc multorum malorum descriptio, quæ ad Sygiam familiam pertinent, non incommode referri potest: Sed tamen, quia alibi opportunius tractari possevidentur, ea ad alium locum reservo. Quare illis omissis ad Parcas venio, quæ ab antiquis in Divos relatæ sunt, & templa ac altaria obtinuerunt. Hæ tres fuerunt, Plutonique suam navabant operam, ut earum una apud Claudianum lib. I. de raptu Proserpinæ fatetur, cum Plutonem orat, ne bellum Jovi velit inferre; ita dicens;

- O maxime noctis
Arbiter umbrarumque potius, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & semina præbes
Nascendique vices alterna morte rependis,
Qui vitam, lethumque regis.
Neque mirum est, Parcas Plutonis esse administras.

Nam eæ vitam humanam quasi è colo ducere credebantur; quæ est brevis vel Diuturna, prout corpus solidiori; aut infirmiori materia coagmentatum; Materiam autem Plato repræsentat. Eas antiqui tres finxerunt, quarum primam hominis generationi alteram vitæ, tertiam morti præfecerunt, nam quæ est inter eas adolescentula, colum tenet, ac inde pensa trahit; quæ est hac natu major, fusum tenet, quo fila colligit. Postrema anus collecta jam fila incidit, Quamobrem cum Poetæ mortem innuere volunt de filorum incisione meminerunt, ut Martialis.

Ruperunt tetricæ cum mala pensa Deæ,

Fulgentius Plutoni Parcas tribuit; earum enim vis in res has inferiores dominatur; diximus autem superius, *Plutonem* terræ esse quoque symbolum. Varro, ut extat apud Agellium lib. III. nomina Parcis antiquos ait seciſſe à pariendo, & à nono atque decimo mense, nam Parca inquit immutata litera, una à partu nominata; item nona & decima à partus tempestivi tempore, sed quia qui natus est, mori quoque debet, earum tertia Morta fuit appellata à morte, quam ea homini credebatur afferre. *Morta.* Hanc Pausanias in Eliacis prioribus describit, cum de Cypselli Arca narrat, ita dicens. Hic Polynicem in genua collapsum frater Eteocles urgebat, à tergo adsistebat fœmina dentibus & aduncis unguibus quavis fera immanior. Testabatur inscriptio mortam illam Parcarum unam esse; & fati quidem vi Pollinicem succubuisse. Et eodem vero merito suo cecidisse. Quia vero multi philosophorum senserunt, divinam providentiam semel cunctas universitatis hujus res ita disposuisse, ut nunquam amplius ulla ratione mutari queant; quandoquidem earum causæ ita inter se per seriem quandam sint connexæ, ut non possint non omnia necessario ab eis proficisci; hinc fati nomen ortum habet, quod *Poetæ* sub *Parcarum* fictione adumbrarunt; easque tres constituerunt; nam omnia ex principio quodam prodeant, necesse est, ut per sua media progredientia, ad finem tandem, quo sunt destinata perveniant. Hæ ex Chao emersisse finguntur; nam in prima illa omnium separatione; singulis suæ propriæ causæ tributæ fuerunt. Sunt qui ex Herebo (qui est penitissima terræ pars) ac Nocte eas natas voluerunt: ut ex patris matrisque obscuritate intelligeremus, quam difficile in causarum cognitionem perveniamus, Plato lib. X. de Republica, eas necessitatis filias facit; interque earum genua magnum illum fusum adamantinum collocat, qui ambos polos attingit. Hæ ergo juxta *Necessitas Dea.* Platonis sententiam æqualibus inter se intervallis in Throno sedent, vestibus albis, capite coronato & ad Sirenum Harmoniam canunt, Lachesis quidem præterita præsentia Clotho, Atropos vero futura: omnes fusum una cum sua matre Necessitate tractant. Clotho dextera, sinistra Atropos; ambabus manibus Lachesis Humanæ vitæ fata à Lachesi pendent, aliaque multa divinus hic Philosophus adiicit, quæ nunc non est explicandi locus. Earum matri necessitati atque violentiæ templum apud Corinthios dicatum esse *Pausanias* *Parcarum corona.* refert, quo nemini fas erat ingredi. Serta *Parcis* aliqui ex narcissis confecerunt; alii candida fascia earum capita cinxerunt; quemadmodum Catullus, qui eas ita in Pelei & Thetidis Epithalamio ita describit;

His corpus tremulum complectens undique vestis,
Candida purpurea tales incinxerat ora,
Et Roseo niveæ residebant vertice vittæ;
Æternumque manus carpebant rite laborem,

Imago 45.a.

Lævæ

Lava colum molli lana retinebat amictam:
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prona in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum.

Homerus in hymno mercurii, Parcas tres Sorores virgines, alataſque facit, ac eas caput farina conſperſum habere dicit. Apud *Pauſaniam* eſt legere, Venerem à Græcis inter *Parcas* adnumeratam fuiſſe, præſertim ab Athenienſibus, qui huic Deæ ſimulacrum ut Hermæ quadratum dicaverant, Epigramma autem indicabat cæleſtem Venerem eſſe, *Parcarum* natu maximam; de qua nihil fide dignum ait, ab Athenienſibus traditum. Hoc mihi in mentem revocat, Romanos olim in Libitinæ templo feretrum repoſuiſſe: cujus rei *Plutarchus* eam rationem affert, quod ſcilicet Libitina Venus eſſet, in cujus templo ſepulcralia inſignia cuſtodirentur, ut nos humanæ vitæ fragilitatis admoneremur, cujus initio atque fini eadem Dea præeſſet: Nam Venus generationis Dea credebatur: quare qui eam *Parcarum* maximam natu faciebant, proculdubio innuebant, eandem humanæ vitæ finem imponere. *Poſſumus* etjam dicere, id eo referri, quod Parcæ cæleſtes haberentur, licet *Plutoni* inſervire eſſent dictæ. Itaque in quadam Græciæ parte, altare erat Mærageti Deo dicatum, qui Parcarum Ducem ſignificat. *Pauſanias* ſcribit, id certiſſime Jovis eſſe cognomen; is enim ſolus *Parcas* in ſua poteſtate habere creditus eſt. Eadem fortaſſe de cauſa, eundem Deorum ſcribam dicunt; tanquam ejus eſſet munus, Deorum voluntatem, ſibi cognitam atque perſpectam litterarum monumentis commendare, ut ſuo tempore eam exequendam curaret. Petrus Appianus in lib. Antiquariorum refert, in ſtiria non diu admodum plumbeam laminam refertam fuiſſe, ubi circulus ductus eſt, intra cujus ambitum adoleſcens quidam nudus ſupra parvum ſedile ſedet, qui utraque manu oculos, faciemque contegit; Epigramma ſupra caput, eſt Clotho: ad pedes eſt puer alatus nudus quoque, qui dextera manu genu dexterum tangit; ſiniſtra hominis calvariæ inhæret, quæ in ore tranſverſum oſſum habet; puero eſt inſcriptum nomen *Lacheſis*, calvariæ autem *Atropos* à pueri dextera non admodum longe ab eo, ardens flamma videtur exiſtere; prope adoleſcentem herba, cum quibuſdam floribus cernitur; reliquum ſolum eſt aridum, ſaxis hinc inde conſperſum. Sed ut tandem Stygiæ familiæ finem imponamus, nunc de Naviculario videamus, quem ferebant, animas mortalibus corporibus exſutas, Achærontem fluvium transportaſſe, non tamen omnes, ſed eas, quæ Deum infenſum haberent; ut Dantes Virgilium ſibi narrantem inducit.

Imago 46. a

Venus inter Parcas.

Deorum ſcriba.

Imago 47. a

Scito animas, quarum divinum haud numen amicum,
Vina omnes Stygias huc undique tendere ad undas.

Sed tamen antiqui absque ullo discrimine omnes illuc confluere asserebant, licet non omnes eodem modo ulteriorem ripam transveherentur; quemadmodum ex Virgilio lib. VI. Æneid. intelligimus; nam eæ tantum statim fluvium transmittebant, quarum corpora sepulturam essent nacta; sed si ea adhuc insepulta jacerent, centum errabant annos, antequam Charontis navim ingrederentur. Charontem *Seneca* in Hercule furente ita designat:

Hunc servat amnem, cultu & aspectu horridus,
Pavidosque manes squalidus gestat senex.
Impexa pendet barba; deformem sinum
Nodus coercet: concavæ squalent genæ:
Regit ipse conto portitor longo ratem.

Exemplar autem à Virgilio lib. VI. Æneid. est mutuatus; qui ita dicit;

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta jacet: stant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus:
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Ita etiam eundem Polygnotus expresserat quibusdam in tabulis, quæ apud *Phocenses* in Apollinis templo asservabantur; nam is in eo pingendo, *Poetas* antiquos sibi imitandos proposuerat, quemadmodum *Pausanias* in Phocaicis refert; qui etiam de quadam aqua meminit, ibi existente, quam pro Acheronte poni putat, magnam quoque vim palustris arundinis inesse, & piscium potius umbras, quam pisces ipsos cerni scribit. Ioannes Buccatius hanc imaginem exponens, inquit, Charontem pro tempore capi, ut etiam Servius intellexit; hic est Herebi filius, qui arcanum divinæ mentis consilium repræsentat, à quo tempus, cæteraque universa sunt progenita. Ejus mater dicitur esse Nox; nam antequam tempus existeret, nondum lux erat; ideoque in tenebris est is generatus, ex tenebrisque natus est. Hic ad inferos relegatus est; nam cælites tempore minime indigent, quemadmodum nos, qui infimam orbis partem colimus: quare illis comparati, in inferno degere jure dicimur. Animas Charon ad alteram fluminis partem transvehit; nam nos statim in lucem hanc susceptos, tempus ad mortem ducit; per fluviumque Acherontem transfert, qui gaudii privationem significat; nam vitam hanc transigimus fragilem, caducam, miseriarumque plenissimam. Idem est quidem senex, sed tamen robustus; nam tempus numquam diuturnitate, suas vires amittit. Panno quodam atro, ac sordido contectus est; nos enim, dum tempori sumus obnoxii, nullam fere cogitationem aliorum suscipimus,

Expositio imaginis Charontis.

pimus, præterquam terrenorum, quæ viliſſima ſunt, ſi cum cæleſtibus conferantur; quibus tantum nobis eſſet inhiandum: ſed tamen mortalis hujus corporis velum, quo induimur, ita nobis rationis lumen occultat, ut cæcutientes infernæ hæc loca obeamus, ſenſus, ac depravatos animi affectus tamquam duces ſequentes. Quare minime mirum videri debeat, ſi ſexcenta nos opprimant mala, ſtatim atque in hunc infernum delabimur, hoc eſt, animi noſtri mortalia corpora induunt; nam huc referri poteſt, quod Virgil. lib. VI. Æneid. de malis, inferni portas obſidentibus fingit: Carmina ita habent.

Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci
Luctus, & ultrices poſuere cubilia Curæ:
Pallentesque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et Metus, & maleſuada Fames, & turpis Egeſtas:
(Terribiles viſu formæ) Lethumque, Laborque:
Tum conſanguineus Lethi Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverſo in limine Bellum:
Ferreique Eumenidum thalami, & Diſcordia demens:
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

MERCURIUS.

INter fabuloſos antiquorum Deos ita erant munera diſtributa, ut alii aliud ſibi tantum proprium eſſent ſortiti. Inter hos duo hoc officio ſungebantur, ut Deorum eſſent nuncii; Mercurius unus, qui Jovi operam ſuam navabat; Iris altera, quæ Junoni; non ſoli tamen; nam & Jovi interdum miniſtraſſe legitur: ſed tunc tantum, cum mortalibus bellum, peſtem, famem, aliudve ingens malum annunciaret. Mercurii autem opera in rebus lætis Jupiter utebatur; ſed & cæteri Dii eumdem ſibi nuncium, cum eſſet opus, adſciſcebant. Hæc fabula innuit, ſermone id exprimi, quod mente, quæ divina eſt in nobis particula, conceperimus. Hunc veteres non ſolum nunciis, ſed & lucris præpoſuerunt, quemadmodum is de ſe apud Plautum in Amphitryone. *Deorum nuncii.* *Mercurii munus.*

Nam vos quidem id jam ſcitis conceſſum & datum
Mihi eſſe ab Diis aliis, nuntiis præſim & lucro.

In libro Antiquariorum Petri Appiani, Mercurius imberbis effingitur, duabus parvis alis ſupra aures affixis, nudus, niſi quod in dorſo palliolum habere videtur, dextera marſupium continet, quod ſupra caput Hirci jacet; Siniſtra vero Caduceum præfert; ad pedes Gallus & Hircus ſubeſt. Caduceus erat ejus inſigne, qui initio erat virga quædam, ab aliis non differens, quam ab Appolline dono accepit, pro citharæ munere, quod in eum contulerat, cum poſt boves ſubreptos, fœdus cum eo percuſſit. Itaque Homerus in hymno in Mercurium, Appollinem ita ei dicentem inducit; *Caduceus* Imago 48, 2

Hanc-

Hancque tibi virgam, qua felix atque beatus
Efficere dabo: placcant si munera nostra.

Caduceo duo angues sunt additi, vel quod Mercurius, cum duos inter se serpentes pugnantes offendisset, sua virga inter eos conjecta, illos reconciliavit; aut ob eam rationem quam *P*linius lib. XXIX. affert, qui postquam retulisset, cur serpentes æstate inter se complicentur, subjicit. Hic complexus Anguium, & efferatorum concordia causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. Ægyptii, quibus non injuria id tanquam primis inventoribus tribuerimus, caduceum ita pingebant. Erat virga erecta, ubi Dracones mas & fœmina parte una, parte media voluminis suo invicem modo, quem vocant Herculis obligabantur, primæque partes eorum reflexas in circulum, pressis oculis ambitum circuli jungebant, & postmodum caudæ revocabantur, ad capulum caducei, ornabanturque alis, ex eadem capuli parte nascentibus. Eam virgam latini Caduceum appellabant, quod eo apparente, statim discordiæ caderent. Itaque Pacis insigne erat, & legati pro pace missi, illum ferebant: qui & Caduceatores appellabantur: iidem interdum Oleæ ramum ferebant, hoc præ se ferentes, se ut amicos venire. Ita Virgilius fingit Ænæam centum oratores ad latinum allegasse Olea coronatos; eumdemque cum ad Euandrum proficiscitur, Pallanti qui primus sibi occurrisset, manu oleam extulisse, hoc signo ostendentem, se tamquam amicum ad eos accedere. Statius cum scribit Tydeum legatum pro Polynice Thebas ad Eteoclem pro recuperando regno profectum, eum olivæ ramum prætulisse refert; cum vero re infecta, eum reverti, oporteret, eumdem humi abjecisse, ex quo sceleratum illud inter fratres bellum initium duxit. Appianus Alexandrinus scribit, Asdrubalem, cum videret; se diutius Carthaginis arcem contra Romanos oppugnantes defendere non posse, uxore filiis aliisque multis in Æsculapii templo relictis (qui postea se ipsos combusserunt) clam ad Scipionem profugisse, oleæ ramum secum ferentem; quo significabat, se pro pace impetranda ad illum accedere: quod multi præterea ex ejus militibus paulo ante effecerant, qui ad Scipionem se contulerant, ut ab eo obtinerent, quo non esset fraudi eis, qui ex arce fugissent, verbenam, non oleam præferentes; licet ex Appiani verbis non solum verbena, sed & alia herbarum genera, quibus Æsculapii templum, atque ora ornabatur, quæ in arce erant, intelligi possint; nam Verbenæ nomine herbæ omnes, ac folia capiebantur, quæ Deorum aris imponerentur. Sed & alicui herbam porrigere, apud veteres significabat, eum fateri, qui porrigebat, se victum ab eo, cui porrigebatur. Quod festus scribit, primis illis temporibus à pastoribus introductum; nam, cum cursu, aut alio ludorum genere inter se certabant, victus se humi inclinabat, & herbam manu decerptam victori porrigebat. Sed tamen Verbena ipsa erat pacis signum ut

Angues cur cum Caduceo,

Legati pro pace. Olea pacis signum.

Verbena.

Porrigere herbam, quid significet.

Plinius

Plinius scribit ; hacque legati coronabantur , qui pro fœdere aut pace ineundâ mittebantur, præsertim a Romanis ; nam aliæ nationes alia pacis insignia usurpabant ; apud Appianum enim de quibusdam Hispaniæ populis legitur, qui legatos ad Marcellum pro venia ac pace impetranda miserunt, eos lupi pellem pro Caduceo, aut olea, vel verbena prætulisse ; quæ magis apud cæteros in hujusmodi negotiis erant usitata : his veteres interdum vela quædam, aut laneas fascias prætendebant, quæ eorum qui ferrent infirmitatem atque submissionem denotabant : ovis enim est animal infirmum, atque vile, quemadmodum Servius, Æneæ primum ad Evandrum sermonem enarrans testatur.

Pax Caduceo repræsentata apud antiquos Dea habebatur, Romæque pulcerrimum, amplissimumque templum habebat, ita ut exteræ nationes ad illud visendum undique confluerent. Id à Vespasiano post Victoriam è Judæis partam, exædificatum ferunt ; in quod omnia Hierosolymitani templi ornamenta transtulit. Pacem Aristophanes aspectu pulcerrimam describit, eique Venerem, ac Gratias comites tribuit. Pausanias refert, ejus statuam Athenis ad mulieris speciem esse effictam, Plutum puerum divitiarum Deum (ut superius diximus) manu tenentis ; divitiæ enim pace magis, quam bello parantur, ac conservantur. Itaque veteres Pacem Cereris amicam dicebant, ut Tibullus lib. 1. Eleg. ultima dicit :

Pax.

Pacis imago.

Pax Cereris amica.

Pax candida primum
Duxit arraturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut gnato testa paterna merum.

Bellum autem contrarium efficit. Quare Claudianus Cererem fingit, filiam Proserpinam Marti, aut Phœbo noluisse collocare, qui ejus erant proci ; nam sicut vehementes Solis æstus, atque diuturni segetibus officiunt, ita & bella. Quamobrem antiqui : ut in quibusdam numismatibus cernitur, Pacem effinxerunt, mulierem manibus spicam continentem : de qua ita ibidem Tibullus scripsit :

At nobis Pax alma veni, spicamque teneto ;
Perflnat & pomis candidus ante sinus.

Eam olea interdum coronabant, aliquando lauro : in numismatibus roseis sertis sæpe cernitur redimita. Concordia atque Pax quamquam diversa nomina habent, & diverso modo effingantur, tamen idem utræque significare videntur. Ambæ ab antiquis divino cultu affectæ sunt, ut ab eis vitam tranquillam, ac ab omni perturbatione liberam consequerentur. Concordiam effingebant, dextra craterem tenentem, læva Cornucopiæ. Itaque de ea ita Seneca in Medea dixit,

Et asperi
Martis sanguineas, quæ cohibet manus ;

Quæ

Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.

Interdum & sceptrum habebat, ex quo fructus exire videbantur. Aristides in oratione pro Concordia ad Rhodienses eam expressit coram, compactam, bene coloratam, gratiosam, & undique per omnia sibi quadrantem, & congruentem, Deorumque diligentia, ac benignitate in terram delapsam. Hanc eamdem Deam idem orator ait, ab Jove horas confirmare, solam obsignare cuncta, agros cultibus exornare, suarum cujusque rerum fructus, aliarumque possessionem præstare, res urbanas gerere pro voto, perquam mature nuptias tum dare, tum accipere in quos, & à quibus libeat, liberos educare, atque erudire. Sed & duabus tantum dexteris manibus inter se junctis, in quodam Neronis numismate cernitur: id quod & Fidei tribuitur, quam etiam veteres Deam habebant. Eam filius Italicus lib. II. de Bello Punico, in penitissima belli parte collocat, cum Herculem fingit eam ita colloquentem;

Fides Dea.

Ante Jovem genera ta, decus divumque hominumque,
Quæ sine non tellus Pacem non æquora norunt,
Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Fides enim debet esse tecta atque secreta; hoc est res, quæ alicujus fidei creduntur, non solum ullo pacto prodendæ. Eandem omnis doli atque fraudis expertem esse oportet. Albo panno velati flamines ei ex Numæ instituto sacra faciebant, quemadmodum Livius refert, ut eo intelligeremus fidem omni sinceritate custodiendam esse. Fidei dextera manus erat consecrata; quod innuebat, fidem dextera tutandam esse, Virgil. lib. I. Æneid. album & canam fidem vocavit; quod Servius enarrans, ideo dictum esse inquit, quod fere in canis hominibus fides reperiatur. Horatius suorum temporum iniquitatem accusans, inquit;

Imago 49. a

Fidei color.

--Et Albo
Rara fides colitur velata panno.

Ubi Acro ait Albo panno caput velasse eos, qui fidei sacrificarent, quod eo referebatur ut significaret candidissimum animum semper fidei debere esse comitem. Quare Ludovicus Ariostus hæc de fide dicit;

Olim sancta Fides niveo vestita colore
Tota videbatur; nihil & nigroris inesse
Cernere erat; totum nam illi decus ore periisset

Quia vero Fidei propria sedes in dextera manu credebatur; ideo interdum duabus junctis manibus fingebatur; interdum duabus imagunculis, dexteram dexteræ jungentibus. Quamobrem apud veteres manus dextera tanquam res sacra putabatur. Unde profectum est, ut, cum tumultum aliquem repente

Dextera Fidei consecrata.

pente excitatum sedare volumus, eam in altum tollamus; eandemque apertam porrigentes, pacem afferre indicamus. Itaque plurimæ principum ac illustrium Imperatorum statuæ cernuntur cum pedestres, tum equestres, dexteras manus tendentes. Josephus quoque in libris de antiquitate Judaica refert, inter barbaros, cum quis dexteram manum alteri porrexisset, significasse nullum dolum subesse, quo minus alter alteri non sideret. Hinc forte consuetudo manavit, Dominorum ac Principum manus osculandi; quæ non solum apud nos sed etiam apud veteres servabatur, ut ex Plutarcho discere possumus; ubi Popilius Lena, postquam diutius cum Cæsare in Senatum abeunte eo ipso die, quo fuit interfectus, esset colloquutus, manu osculata discessit. Et Macrobius lib. 1. Satur. sub prætentati persona in servorum defensionem dicit, inveniri inter servos aliquem pecunia fortiorem: inveniri & Dominum spe lucri ossula alienorum servorum manibus infigentem. Hoc significabant, se ejus fidei commendare, cujus manum osculari entur; ideoque eum suum dominum agnoscere, usque ad tempora nostra veterum etiam mos derivavit, dexteræ manus in fidei signum porrigendæ. Fides etiam sub canis candidi symbolo ostendebatur, plurima enim eaque admiranda de canum fidelitate narrantur. Sed ad concordiam revertamur, cui antiqui ciconiam consecrarunt; ideoque ciconiæ multæ in ejus templo alebantur; licet Angelus Politianus non ciconiam, sed cornicem concordiæ tribuat; ad cujus confirmationem vetera numismata aliquot adducit, atque Ælianus qui dicit veteres in nuptiis, postquam Hymeneum invocassent, corniceni quoque advocasse, in faustum scilicet omen concordiæ futuræ inter eos, qui liberorum quærendorum gratia convenissent. Sed hoc fidem innuebat, quam inter se conjuges servare debebant ut idem quoque Ælianus refert: dicitque cornices, ita sibi mutuo fideles esse, ut si conjugum altera mortua fuerit, altera perpetuo vidua perseveret, sed & apud antiquos mala punica concordiam significabant, ut Hæbreorum scriptores tradunt: ideoque in veste sacerdotali depicta tradunt. Nunc ad Mercurium revertamur: quem Homerus pedibus alatis, manuque virgam tenentem designavit, cum à Jove vel ad Calypsonem missum, ut Ulyssem à se dimitteret, vel ad *Priamum* in Græcorum castra perducendum allegatum fingit, ut filii Hectoris cadaver repeteret, cum Virgilius feliciſſime est Imitatus; cum libro IV. Æneid. Mercurium inducit Jovis jussu ad Æneam proficiscentem, qui tunc Carthagine desidebat. Carmina ita habent:

Manus osculari.

Ciconia concordiæ sacra.

Cornix concordiæ sacra.

Mala punica pro concordia sumpta.

-- Ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant
Tunc virgam capit: hac animas ille evocat orco

Pallentes, alias sub tristia tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Pennæ cur Mercurio tributæ.

Mercurio sunt pennæ attributæ, ut diximus, sermo enim cujus habebatur Deus, vel quem ipse significabat, perinde ac alatus esset, evolat, itaque Homerus ἔπεα πτερόεντα solet appellare, id est verba alata. Quod autem Mercurius & caput semper alatum haberet, ex Plauto discamus licet, nam is cum paulisper alienam sibi personam induisset, pennas deponere noluit; licet id se facere diceret, ut spectatores haberent, quo ipsum ad Amphytrionis servo, in quem se verterat, dignoscere possent; ejus verba sunt hæc.

Nunc interne esse ut nos possitis facilius
Ego has habebo usque in petaso pennulas.

Imago 50. a.

Nam Mercurius pileo erat indutus, cui hærebant alæ; quamvis Apulejus lib. X. de Asino Aureo, de eis non meminerit; cum judicium Paridis in scena actum refert, Mercurium inducens puerum luculentum nudum; nisi quod ephebi Chalmyde sinistrum tegebat humerum, flavis crinibus conspicuum, inter cujus comas aureæ pinnulæ simul conjunctæ prominebant, cum caduceo & Virgula. Martianus lib. 1. Philolog. eum describit adolescentem, venusto, alto ac robusto corpore, pubescentibus genis (qualem etiam Lucianus designat) seminudum incedentem Chalmydeque indutum parva, invelatumque catena, humerorum cacumen obnubentem neque ullam alarum aut Caducei mentionem facit; Sed addit Palæstra, crebrisque discursibus exercitum corpus lacertosis in Juvenilis roboris excellentiam torisvirili quadam amplitudine renidere. Quod cum eo consentit, quod Philostratus scribit, Palæstram Mercurii filiam fuisse, quæ vix discerni posset, mas ne, an fœmina esset; nam facies erat ejusmodi, ut vehementer ambigeres, num puer, an puella esset, flavæ comæ nondum tam longæ erant, ut in nodum contrahi possent: pectus virginis erat, ipsæ mammæ ut in adolescentulo molli paululum extare videbantur, brachia à Sole colorem ducebant; ei sedenti oleæ ramus in sinu positus erat; nam Palæstra hanc plantam diligebat. Quandoquidem Luctatores se oleo ungebant, ita Philostratus Palæstram adumbrat; quam Mercurii filiam facit; is enim luctæ inventor fuit, ut etiam Horatius in hymno in eum meminit. Neque solum Mercurius corporis exercendi artem invenit, sed & quibus meditationibus animus esset assuescendos, docuit. Jamblicus Ægyptios omnes bonas artes Mercurio acceptas retulisse: atque ideo omnia sua scripta ei dedicasse refert. Cicero lib. III. de natura Deorum scribit, Mercurium, Ægyptiis leges, ac litteras tradidisse, & ab eis Thoit, vel Theut nominatum, ut & apud Platonem legitur. Alii addiderunt præter litteras, Musicam quoque à Mercurio, Geometriam ac Palæstram repertam, cujus rei gratia quadratam in Gymnasiis statuam ei ponebant; qualis erat ea, quam Pausanias in quapiam

Mercurius omnium bonarum artium inventor.

Thoit.

Theut.

piam Arcadiæ parre fuisse scribit eo habitu, ut pallium induere videretur, in quadrangulam figuram desinentem, neque pedum tenus expolitam; Galenus in oratione suasoria, Mercurium inquit, ut orationis parentem, & artium omnium authorem, in aliam effigiem quam fortunæ effinxerunt, cum pictores tum statuarii, effingunt enim Juvenem formosum, non tamen fucatum, aut comptum, sed nativa quadam virtutis specie, vultu hilari acribus oculis, in basi quadrata, quæ stabilitatis ac firmitatis figura est. Imago 51.a. Suidas narrat quadratam figuram Mercurio datam, ut verus sermo innueretur, qui semper consistit nec cuiquam impugnatori umquam cedit; sicut è contra mendacium subinde mutatur, nec usquam consistere potest. Alexander etiam Neapolitanus lib. IV. scribit, Mercurii statuam apud Græcos haberi quadrato statu, capite solum efficto, tali specie pluribus figuratis, quas pro immortali gloria magnis sæpe ducibus dicabant: eas etiam ante domorum privatarum ostia olim statuebant, quemadmodum Suidas memorat. Thucydides in VI. & Plutarchus in Alcibiade prodiderunt, hujusmodi statuas, cujusmodi plurimæ erant Athenis, una nocte dejectas: quæ res Alcibiadi negotium non parvum facitavit, cum in affectati principatus suspicionem venisset. Hujusmodi statuæ Hermæ dicebantur: quod & Mercurius ἑρμῆς Græcis diceretur: ponebantur autem, ut diximus, in gymnasiis, & Academiis: quare Cicero in quadam epistola ad Atticum lib. II. Hermem omnium Academiarum ornamentum vocat: & in alia lib. IV. ad eundem scribit ita: Hermæ tui *Pentelici* cum capitibus æneis me admodum delectant; hortaturque eum, ut quamprimum ad se mittat, quo iis suam bibliothecam adornare posset. Athenienses primi harum statuarum opifices leguntur: postea non solum Mercurii, sed aliorum quoque Deorum statuas Græci quadratas non raro effinxerunt: præsertim Arcades, apud quos ara Jovi cum ejusmodi simulacro erat dicata. Cyllenius fuit Mercurius cognominatus à quodam Arcadiæ monte sic dicto, ubi is est natus: sed tamen Festus dicit, eum ita appellatum, quod omnem rem sermone sine manibus conficiet; quibus partibus corporis qui carent, κύλλοι vocantur: ideoque quadratum eum fingebant. Mercurii vires, quas per sermonem exercet, præclarè Horatius in Hymno in eum expressit, dicens.

Hermæ.

Hermarum primi opifices.

Cylenius.

Qui veros cultus hominum recentum
Voce formasti catus.

Quod is forte est à quapiam Græcorum fabula mutuatus, qua fertur Prometheum aliquando Jovem adiisse, orasseque, ut homines, rudi illa vita relicta, quam initio vivebant, ad politiorem se conferrent; tuncque Jupiter Mercurium una cum illo misisse, præcipiens, ut eos, quos maxime idoneos existimasset, eloquentiam doceret, qua instructi, aliis persuadere possent, ut vitam civilem socialemque degerent. Itaque veteres linguam Mercurio con-

Lingua Mercurio consecrata.

fecrarunt: & mos fuit, ut, cum cubitum irent, vinum libarent; & victimarum linguas ei sacrificarent. Mercurius primus est habitus, qui luctandi modos ostenderet; ideoque mercatorum erat Deus: hacque ratione factum fuisse, Suidas scribit, ut crumenam ejus simulacro adderent. Fulgentius alatos Mercurii pedes vult ad velocem, atque perennem negotiatorum discursum referendū, qui suorum negotiorum transigendorum causa, hac illacque cursitant. Quare Cæsar in commentariis de bello Gallico, Gallos refert, Mercurio præcipue inter omnes Deos divinos honores tribuere, cujus apud eos multa simulacra visebantur; nam, præterquam quod eum omnium fere artium repertorem crederent; putabant etiam multum in lucris, ac in negotiandi arte prodesse posse: in qua quantum homines vigilantes esse debeant, præclare sane gallus, ejus simulacro appositus innuit; licet nonnulli putent, id potius solertiam, atque vigilantiam sapientum hominum designare, quibus turpe est, totam stertere noctem: nam Mercurius, cum pro ratione, ac divino illo nomine capiatur, quod nos ad rerum cognitionem ducit; non diu nos in somno sepultos delitescere permittit, sed, animi ac corporis viribus modico somno recreatis, nos ad consueta opera excitabit; neque tamen omnino insomnes ducere noctes nos volet; nam homines cum in perpetua corporis, aut mentis agitatione persistere nequeant, brevi quiete, quam somnus affert, indigent. Pausanias in Corinthiacis scribit de quadam ara, ubi Musis, atque somno simul res sacra fiebat, tamquam maxime inter se consentirent. Veteres enim Somnum Deum habuerunt; cui & statuas ponebant: eum Homerus, ac Hesiodus Mortis fratrem appellarunt: quo etiam quædam imago in Cypselli arca exsculpta respiciebat; erat enim mulier quæpiam, quæ siniſtro brachio puerum candidum dormientem sustinebat, dextera autem nigrum, qui etiam dormiebat, atque distortos pedes habebat; hic Mortem, ille Somnum denotabat; fœmina illa Noctem, amborum matricem significabat. Nox vero apud antiquos mulieris speciem habebat, magnis alis iisque atris præditæ, quæ expansæ essent ita ut jam volare velle videtur, iis universam complectebatur, ut Virgilius scripsit. Ovidius papavere tempora ejus cingit, unaque cum ea magnam mittit nigrorum summorum multitudinem, Alii ei currum rotarum quatuor attribuunt, quæ juxta Buccarii sententiam quatuor noctis partes repræsentat, in qua à militibus ac nautis, cum excubias agunt, est distributa, ea est fusci coloris, sed vestis micat aliquantulum quod ad Cœlum refertur, in quo semper sidera fulgent. Tibullus lib. II. Eleg. I. ei comites adjungit stellas, quas ejus filias dicit, item somnum, atque somnia, cum ita dicit;

Mercatorum Deus.

Gallus prope Mercurium.

Somnus una cum Musis.

Noctis imago.

Ludite jam nox jungit equos; currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.
Postque venit tacitus, fulvis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

Qui

Quibus ex verbis, somnium etiam alas habere conjicimus; quod & Statius habet lib. V. Sylvarum, ubi somnum alloquens dicit. *Somnus alatus.*

--Nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; hoc turba precatur
Lautior, extremo me tange cacumine virga.

Idem de eo Silius lib. X. dicit.

-- Quatit inde soporas
Devexo Capiti pennas oculisque quietem
Irrorat, tangens Lethea tempora virga.

Statius loco supra dicto, cum adolescentem facit; atque placidissimum Deorum vocat; nam nihil mortalibus gratius accidere potest, quiete post labores, eam autem somnus affert. Itaque de eo Seneca in Hercule furente dixit.

Tuque o domitor somne malorum
Requies animi, pars humana melior vitæ,
Veris miscens falsa futuri
Certus, & idem pessimus author
Pater errorum, portus vitæ
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi, famuloque venis,
Placidus fessum, lenisque foves
Pavidum lethi genus humanum,
Cogis longam discere mortem.

Philostratus in Amphiarii Imagine, in cujus antro portam somniorum esse dictitabant (nam si quis illic dormisset, quod scire optabat, in somnis discebat) ita somnum describit; Facie inquiens, resoluta videbatur, candidam vestem habebat, supra nigram, quasi diem & noctem indicaret: cornu in manu habebat; quod & Poetæ de eo affirmant, è quo somnia super dormientes effundere videatur: quod ideo fictum esse dicunt; quod cornu attenuatum pellucidum sit, resque prout se habent, ostendat. Itaque somnia quæ vera sunt, cornua dicuntur. Cum vero Somnus vana denuntiat, ebur, & elephantis dentem gestat: nam illud in laminas vel tenuissimas dissectum, nunquam pellucidum redditur. Quare Virgilius lib. VI. geminas portas finxit, per quas ad nos Somnia derivent, alteram corneam, alteram eburneam; per hanc falsa, per illam vera in dormientes spectra immittuntur. De quo, ex Homero expresso ita Porphyrius differit, quemadmodum Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis refert: latet inquiens, omne verum: hoc tamen anima, cum ab officiis corporis, somno ejus, paululum libera est, interdum aspicit; nonnumquam tendit aciem, nec tamen pervenit: & cum aspicit: tamen non libero, & perfecto lumine videt, sed interjecto velamine, quod nexus naturæ caligantis obducit: hoc velamen cum in quiete ad verum usque *Imagines.* *Portæ somniorum.*

usque aciem introspicientis admittit, de cornu creditur, cujus ista natura est, ut tenuatum visui pervium sit : cum vero a vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur, cujus corpus ita natura densatum est, ut ad quamvis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu, ad ulteriora tendente penetretur. idem Virgilius lib. eodem de ulmo Somniorum scribit :

In medio ramos, annosaque brachia pandit,
Vlmus opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.

Somnia vana. Ubi Servius, qui de insomniis, inquit, scripserunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia. Alij dicunt, ulmum arborem esse sterilem, ideoque Somniorum vanitatem exprimere, quæ a veteribus cæca sunt appellata, ut Suidas refert ; aut quod fallacia sint, aut quod cum eis loquantur, qui oculos habent clausos. *Virga Somni.* Virgam nonnumquam Somnus in manibus habere dicitur, qua homines tangens, soporem inducit : hac se tangi Statius in poëmate paulo ante posito, orat. Ovidius ejus sedes apud Cimmerios vult esse, Homerus in Lemno insula, Statius apud Æthiopes, Ludovicus Ariostus apud Arabes. Ovidius ergo postquam lib. xi. Metamorph. Somni regiam descripsisset, hæc subjungit :

In medio torus est hebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent, totidem quot messis aristas
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.
At pater è populo natorum mille suorum
Excitat artificem, simulatoremque figuræ
Morphea : non illo jussos solertius alter
Exprimit incessus, vultum, sonumque loquendi :
Adjicit & vestes, & consuetissima quæque
Verba : sed hic solos homines imitatur : at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens,
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat : est etiam diverso tertius artis
Phantasos : ille in humum, saxumque, undamque, trabemque
Quæque vacant anima, fallaciter omnia transit.

Sed nunc ad Mercurium quadratum : quem Pausanias in Achaicis refert, alicubi in via exstitisse barbatum, atque pileatum : neque arbitror alibi de Mercurio barbato mentionem fieri : nam semper imberbis describitur : quod *Mercurius imberbis.* significat, elegantem sermonem numquam senescere, Sed tamen primam lanuginem ex eo pullulare, ex Martiano supra didicimus ; & Lucianus, in libro

de

de sacrificiis idem confirmat. Homerus quoq; fingit, ita Ulyssi vilum, cum ad eum Moly herbam attulit, qua contra Circes veneficia eum munivit. Mercurij insuper statuis viatores solebant lapidum aceruos accumulare, ut singuli singulos adjicerent; id innuentes, vel ita Deum honorandum, re scilicet ea, quæ ad præsens sit in promptu, & obuja; vel quod ita viam videbantur repurgare, ne ad lapides cæteri viatores offenderent; vel quod eo lapidum cumulo statua Dei notior prætereuntibus fieret: alij in orationem ipsam refer unt, quæ ex minimis particulis consistat. Suidas scribit hos lapidum acervos in triviis fuisse: ne viatores scilicet errarent, Ideoque ibi fructuum primitias olim ponebant, ut viatores ex iis quod sibi esset opus, caperent. Mercurius quoque triceps effingebatur, vel ad vim sermo nis exprimendam, vel ad vias ostendendas: in iis enim subeiant subscriptiones, quo scil. illa via ferret, & quo alia, & alia Sed enim & Pastores à Mercurio curari, ex Homero habetur, cum in Iliade testatur, Phorbam ditissimum Tojanorum fuisse armentorum, atque gregum: uam Mercurius, cui is præcipue curæ erat, illum ita locupletarat. Itaque *Pausaniasin* Corinthiacis, illius statuam, ait, Æneam fuisse apud Lecheum sedentem, & juxta eum Arietem: cujus rei tamquam Arcanæ rationem reticet. De alia apud Tanagreos, qui erat Bæotiæ populus, idem meminit, quæ à collo suspensum habebat arietem; nam dictitabant, Mercurium, ea figura per oppidi mœnia discurrentem, magnam pestem, quæ tunc ibi grassabatur, depulisse. Itaque cum anuiversarium sacrum in ejus rei memoriam celebraretur, venustus adolescens urbem obibat, agnum collo sustinens. Idem *Pausanias* de quadam alia Mercurii statua meminit, ex Arcadia in Jovis Olympii templum allata. Hæc erat galeata amicta chlamide, & tunica, arietemque sub ala portans. Macrobius libro 1. Satur. qui intelligi vult, Mercurii imaginem ad Solem applicat, alias, inquiens, Solis velocitatem referre; nam ex fabulis habetur, eum Argum jus Inachi filiæ custodis quæ erat in vaccam versa, interfecisse, Itaque cujus statua interdum gladium habens effingitur: Argus autem est cœlum, stellarum luce distinctum, quibus inesse quædam species cælestium videtur oculorum: & videtur terram desuper observare; quum Ægyptii Hieroglyphicis litteris cum significare volunt, ponunt hominis figuram. Is ergo ambitus cœli stellarum luminibus ornatus, tunc existimatur enectus à Mercurio, cum Sol diurno tempore observando sidera veluti enecat. Pleraque etiam simulacra mercurii, idem inquit, quadrato statu figurari, solo capite insignita, & virili membro; ut Solem innuant, qui est mundi caput, & rerum sator: quatuor item latera ea ratione fingi, ut totidem mundi plagas, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, significent, vel quod duobus æquinoctiis duobusq; Solstitiis Zodiaci tatio distincta est. Argumentum Caducei adgenituram quoq; hominum, secundum ejusdem sententiam, Ægyptii protendunt. Deos præsites homini nascenti quatuor adesse memorantes, Dæmonem scil. Fortunam, amorem, ac necessitatem; & duos priores, solem ac Lunam intelligi

Acervi lapidum circa statuam Mercurii.

Mercurius triceps.

Imago 53. a.

volunt; quod Sol auctor spiritus, caloris, ac luminis, humanæ vitæ genitor ac custos est: & ideo nascentis Dæmon, id est Deus creditur: Luna est Fortuna; quia corporum præsul est; quæ fortuitorum varietate jactatur: Amor ex amborum serpentum, qui Caduceum ambiunt, osculo significatur: Necessitas nodo, quo inter se illi connectuntur, innuit videtur: Martianus Capella lib. II. scribit, Phiginem, quæ cælatam ex habeno tabulam, argumentis Mercurium designantibus afferebat. Erat autem in medio avis Ægyptia, quæ Ibis memoratus ab incolis: sed cum petaso vertex, atque os pulcherrimum videbatur: quod quidem serpentis gemini lambebat implexio: subter quadam prænitenis virga; cujus caput auratum, media Glauca, piceus finis exstabat: sub dextra testudo, minitansque nepa: à læva caprea, sed dilophon alitem, quæ sit oscinum mitior in certaminis tentamenta pulsabat. Hæc omnia ex Ægyptiorum arcanis sunt desumpta, apud quos Mercurius sub Anubis nomine colebatur; nam hunc cum Caduceo effingebant, ut eum Apuleius describit, qui de eo ita dicit: Erat ibi Anubis quem Mercurium dixerunt, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis cervices arduas, læva Caduceum gerens, dextera palmam virentem quatiens. Capite canino effingebatur, ut ex eo Mercurii sagacitatem in nos derivantem intelligeremus; nullum enim cane sagacius animal. Aut juxta Diodori Siculi sententiam, quod Anubis Osiridis, filius esset, qui cum Patrem semper in bello assectaretur, magna suæ virtutis argumenta præbuit. Itaque post mortem est in divos relatus: quia vero is vivens, canem pro insigni gestabat, ideo canina facie illum Ægyptii coluere, id innuentes, cum scilicet fidelem patris custodem semper fuisse.

Anubis.

Hercules.

Hercules etiam idem erat eum Mercurii numine, vel certe non ab eo abhorrens: cujus rei fidem facit ejus imago à Gallis excogitata, qui eum tamquam prudentiæ atque eloquentiæ Deum colebant. Ea autem, quemadmodum Lucianus refert, erat hujusmodi. Senex videbatur penè decrepitus, calvus, paucis capillis, coloratus fuscusve & rugosus, leonina pelle indutus, Cum rhopalo, id est clava dextera, sinistra arcum tenens, & pharetra ex humeris dependente, catenus vero, ex auro & electro admodum tenuibus, linguæ suæ extremitate perforata insertis; maximam hominum multitudinem, non invitam, sed sponte sequentem, auribus alligatis trahens. Hic eloquentiæ vires adumbrari est perspicuum, quam Galli Herculi tribuebant, quia magis, quam corporis viribus cum pollere credebant. Eum igitur senem effinxerunt; nam eloquentia magis viget in senibus, quam in adolescentibus, quemadmodum Homerus in Nestore nobis ostendit, ex cujus ore dulcior melle fluebat oratio. Itaque in Arcadia templum commune cum Mercurio, eloquentiæ Deo habuisse fertur; Athenienses etiam in Academia aras non solum Musis, Minervæ, & Mercurio, verum etiam Herculi posuerunt, quod putarent hujus quoque numen adesse iis, qui ibi exercerentur. Pausanias quoque scribit.

Eloquentiæ vires.

scribit. Græcos atque Barbaros credidisse, *Mercurium* atque Herculem Gymnasiis præesse; qui in Gymnasiis præcipue colerentur. Itaque apud Lacedemones in dromo (erat autem is locus ubi cursu se adolescentes exercebant) vetustum erat Herculis simulacrum, cui qui majores erant natu sacrificabant, & alicubi in agro Corinthio Herculem ajebant, clavam suam Mercurio dicasse, quæ erat ex oleastro; & radicibus actis, in magnam arborem excrevisse credita fuit. Hic non dixerim, num unum, an multos fuisse Hercules existimem; (quamvis me non lateat, Varronem XLIV. numerasse, asserentem, fortissimos quosque, Hercules fuisse dictos) neque quis ex tot in Divos fuerit relatus: hoc enim extra meum propositum esse arbitror. Id hic dixisse sat sit, veteres unum tantum Herculem coluisse, Ægyptiosque eum in duodecim principalium Deorum numerum retulisse, quemadmodum Herodotus refert. Licet autem facinora Herculis insignia à diversis, hoc nomine appellatis facta legantur; tamen uni illi omnia adscribebantur, qui Deus habebatur. Hujus simulacrum erat ut plurimum ingens, ut eo Herculis vires significarentur: ob quas Melampygos est cognominatus, hoc est, cluniater, quod est magni roboris argumentum, de quo hujusmodi fabula refertur. Passalus & Alcmon fratres fuere, Memnonis filii, omni scelere inquinati; quibus mater prædixerat, ut à nigriclune caverent: illi nil magis ab instituto destiterunt. Accidit, cum forte Hercules sub arbore fessus recubaret, ut ii fratres Herculi insidias tenderent: quod præsentiens Hercules, vivos ambos cepit, per pedesque ligatos, à tergo suspensos clava gestabat: qui demissis capitibus, cum Herculis nigras nates viderent, maternæ monitionis memores, inter se tacite submurmurabant: quos audiens Hercules, re intellecta, eo fertur cognomine adeo delectatus, ut statim vinculis solutos, impune abire permiserit: qui, postea Jovem fallere tentantes, in cercopithecos versi fuerunt, ut Suidas refert. Itaque sub Cercopum nomine dolosi, atque assentatores intelliguntur; quemadmodum est legere apud Plutarchum in libello de discernendis amicis ab adulatoribus; ubi scribit, Principes ita adulatoribus delectari, ut Hercules Cercopibus. De iis etiam meminit Herodotus, cum Xerxis iter in Græciam describeret, dicens, eum Asopum fluvium transisse, apud dictas Cercopum sedes, ubi erat & lapis, qui Melampygus appellabatur, quod nomen nigrum etiam fontem significat. Sed pergamus de Hercule dicere; cujus simulacrum hominem fortem, ac robustum referebat; erat etiam nudum, nisi quod leonis pelle tegebatur; cujus caput ei erat loco galeæ; clavam una manu, altera arcum tenebat; pharetra pendebat ex humeris. Hujusmodi quoque simulacrum æneum, decem cubitos altum Olympiæ visebatur, à sociis Thasi, & Agenoris filii, qui ad quærendam Europam venerat, dedicatum, ut apud Pausaniam in Eliacis prioribus legitur. Fuit etiam apud Lacedæmonios Herculis armati signum. Cur esset autem eo habitu Hercules, refert Pausanias in Laconicis

Imago 54.a

Hercules Melampygus.

hanc fuisse causam ; Oconus (vel Lycimnius, secundum Apollodori sententiam lib. II.) Herculis consobrinus, cum adolescentulus adhuc esset, cum Hercule Spartam venit : cumque visendæ urbis causa obambulans, ad Hippocoontis ædes forte accessisset, in eum canis, domus custos invasit ; at ille lapide canem percussit. Hippocoontis filij cursum egressi, puerum fustibus conficiunt. Ea res Herculem vehementer commovit : subito itaque animi impetu impulsus, Hippocoontis filios est armis adortus. Verum in ea dimicatione vulnere accepto, se clam periculo subduxit. Mox vero copiis comparatis, patre & filio male multatis, probe Oconi cædem ultus est. Ideoque Arcades Herculis simulacrum cum cicatrice in coxendice effinxerunt ; propter vulnus scilicet in dicta pugna acceptum ; quo sanato, templum Æsculapio Cotyleo dicavit (κοτύλη enim est coxæ cavitas) ei sanitatis beneficium acceptum referens. Apollodorus lib. II. refert, Herculem tunc etiam armatum fuisse, cum pro Thebis contra Mineos pugnavit ; Minervamque ei arma suffeciisse : idemque dicit, Herculem, cum ab Euryto sagittandi artem didicisset, sagittas ab Apolline, ensem à Mercurio, thoracem a Vulcano, a Minerva peltam sumpsisse ; clavam autem sibi in Nemea silva confecisse. Plinius lib. XXXIV. cum memorabiles statuas recenseret, quæ erant apud antiquos, juxta rostra Herculis tunicati, electo habitu Romæ, torua facie, sententeque suprema in tunica fuisse scribit. Eum vero terribilem aspectu fuisse, vel illud fuerit argumento ; quod quidam cum tantum exhorruit, ut in saxum obrigaerit, cum cum transeuntem cerneret, è spelunca quapiam, in quam ejus timore se abdiderat : is vero lapis, ut Suidas refert, hominis formam præferebat, qui caput exserit, ut prospectet. Fabulantur quoque Poetæ, Solem ingens poculum Herculi dono dedisse ; quo & mare juxta Athenæum transmisit. Macrobius lib. V. id ad Scyphum refert, quod est navigij genus, & ad poculum, id etiam nomen accommodari potest : Quare olim in Herculis sacrificiis eo tantum poculi genere usi sunt. Virgilius itaque lib. IIX. de Herculis sacrificio ab Evandro celebrato scribens inquit :

Æsculapius, Cotylæus.

Herculis arma.

Imago 55 a

Scyphus.

Herculis poculum.

Et Sacer implévit dextram Scyphus.

Quod vasis magnitudinem ostendit, cum quo Herculis interdum effingebatur, aut ut ad fabulam dictam alluderetur, aut ut innueretur, cum maxime fuisse bibacem, quemadmodum de eo Athenæus narrat, quo fortasse ejus simulacrum respiciebat, quod in quadam ejus ædicula in Corinthio agro visebatur, in qua quidam adolescens ei poculum porrigebat ; licet *Pausanias* in Corinthiis scribat, Herculem cum apud socerum suum cœnet, digito uno Cyathi pueri, qui erat pocillator, ejus in fundendo vino ministerio offensum, tam graviter caput percussisse, ut ex eo vulnere puer diem suum obierit, in cujus facti memoriam, illa simulacra fuere efficta, apud Apollodorum Athæneum atque alios legitur, Herculem mirum in modum fuisse epulonem

Herculis bibax.

atque

atque voracem; itaque solum interdum integrum bovem absumpsisse: atque ideo ei avem λαφυρὶ à Græcis, à latinis fulicam dictam esse dicatam: ea enim juxta Suidam est maxime rapax atque vorax. Ex quo factum est, ut in quibusdam ejus sacrificiis verba bona præfari non liceret, nam ut Lactantius lib. 1. ac Apolodorus lib. 11. refert, Hercules, cum Lindum, quod est oppidum Rhodi, delatus esset, famemque pateretur, aratorem quemdam aspexit operantem, ab eoque petere cæpit, ut sibi unum bovem venderet, enim vero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis jumentis niteretur. Hercules solita violentia mixus, quia unum accipere non potuit utrumque sustulit. At ille infelix cum boves suos mactari conspiceret, injuriam suam maledictis ultus est; quod homini eleganti & urbano gratissimum fuit: nam, dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime conviciantem cum risu & Cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi divinos honores ob admiratoinem virtutis deferri placuit, à civibus ei ara posita est quam de facto βοάζυγον, id est bovis jugum nominavit; ad quam Deo juncti boves immolarentur, sicut illi quos abstulerat aratori: eumq; ipsum sibi constituit Sacerdotem, ac præcepit ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod negaret, se umquam epulatum esse jucundius. Neque hic silentio involvam quoddam sacrificiorum genus, non minus fortasse ineptum, ac ridiculum, atque superius fuerat impium & nefarium, quod quidem etiam ab Herculis voluptate ortum habuit. Id sic habet, prout Suidas refert, Bos cum esset Herculi immolandus aufugit cum vero nihil esset, quo res sacra Deo fieret, malum quatuor suppositis ramis pro pedibus, & duobus pro cornibus, in formam bovis illi in sacrificium oblatum est. At Julius Pollux in primo ait, in Bœotia de malis fructibus Herculi rem sacram fieri; idque ea causa contigisse: quod, cum forte aries ei in sacrum adduceretur, Asopus fluvius adeo excrevit, ut adduci non posset: tum qui sacrum procurabant, malum maturum & pulcrum accipientes pro ariete, ei quatuor festucas pro pedibus, & duas pro cornibus infixerunt: atque eo modo rem sacram peregerunt. Unde postea apud Thebanos, & Bœotios id moris permansit. Sed, quia non minor Herculis virtus in egregiis ac fortibus gestis eluxit, quam in edacitate, aut bibacitate: plurimæ ei quoque statuæ, & tabulæ, in quibus illustria ejus facinora expressa fuere, tam in ejus templis, quam alibi dicata sunt; alicubi enim infans Hercules cernitur, in cunis exsistens, duos serpentes, qui ad se accesserant, strangulans: idem major jam natu effectus videtur edidus, qui capita Hydræ subinde renascentia abscindat; quæ postea comburat: alibi vero post cervum currens, æneos pedes, atque aurea cornua habentem, eumque comprehensum interficiens; itemque malas ferocissimi leonis confringens, aut eum suffocans. Interdumque exprimebatur, ferocissimos quosdam equos contemplans, qui Regis cujusdam membra, à se suppositi, dilanient, atque man-

Herculis labores.

dant ; humeris quoque impositum aprum gestans ; sagittis aves quasdam conficiens, quæ ita erant ingentes, ut alas pandentes, lumen solis mortalibus eriperent ; vinctum secum ferocissimum taurum perducens, qui naribus ignem efflabat ; fortissimum quemdam gigantem pectore comprimens, eumque elidens ; feroci dracone interfecto, aurea mala ex Hesperidum hortis decerpens ; humeris suppositis, cælum sustinens ; tricorpore quodam rege sublato, ejus armenta boum secum abigens ; in spelunca quapiam formidabilem latronem, ore fumum ac flammam exspirantem enecans; tricipitem Cerberum, catenis a se vinctum secum pertrahens ; sagittis aquilam conficiens, quæ jecur *Promethei*, ad Caucasum montem religati absumebat ; sexcentos demum latrunculos, atque tyrannos per universum terrarum orbem de medio tollens ; infinitum enim esset, singula ejus glorioſa facinora percensere, quæ præclara argumenta variis imaginibus effingendis suppeditant ; & ob quæ ἀλεξίκακος, hoc est, malorum demolitor fuit cognominatus. Sed, quia nulla umquam monstra sunt teteriora, atque immaniora, nec tyranni sæviores, ac truculentiores inter mortales reperiri possunt, fœdis animi vitiis : ideo nonnulli in ea sententia fuere, ut dicerent, Herculis fortitudinem in animo, non in corpore constitisse, qua is indomitas animi cupiditates, rationis imperio minus audientes, atque animi tranquillitatem mirum in modum perturbantes, compescuerit. In hanc sententiam Suidas scribit, veteres, ut Herculem prudentissimum, ac omnibus virtutibus ornatissimum fuisse ostenderent, eum pelle leonina indutum depinxisse ; quod magni, ac generosi animi est argumento : clavam dexteræ addidisse ; quod ejus prudentiam, ac sapientiam nobis ob oculos statuit ; quibus virtutibus præditum, fabulæ eum draconem, Hesperidum horti custodem interfecisse, ac tria mala aurea quæ sinistra gestabat, inde abstulisse fingunt ; appetitum enim edomuit, eumque à gubernaculis amovit ; eis rationem præficiens, quam omni virtutum genere insignivit. Macrobius lib. I. Saturnal. sicut cæteros omnes Deos pro Sole capi vult, ita etiam & Herculem ad eundem refert ; ejus verò duodecim illa memorabilia gesta, à Sole, duodecim signiferi signa superante, adumbrari sentit. Alij tempus Hercule repræsentari voluerunt : quod omnia vincit, atque domat : atque ea de causa eum populea fronde coronatum dicunt : hanc enim ei arborem veteres dicarunt. Itaque Virgilius lib. IIX. Æneid. evandrum, Herculi sacrificantem, populea fronde, quam & Herculeam vocat, caput cinxisse fingit : hæc enim duplici colore duas temporis partes exprimit, nam albus ad diem, fuscus autem ad noctem refertur. Fabulæ vero hujus rei, hanc causam afferunt, quod scilicet, populea corona, cum ad inferos descenderet, caput Hercules velaverit : unde foliorum pars, quæ illius temporibus adhæserat, candida, quæ exterior fuerat, ex atro inferorum colore, nigra permansit : qui colores adhuc, in ea arbore cernuntur : easque

Herculis fortitudo in animo.

Hercules pro Sole positus.

Hercules pro tempore positus.

Populus Herculi sacra.

easque frondes semper postea Hercules amavit, nam ei caput à tetro inferorum fumo defenderunt. Quod autem Hercules pro tempore caperetur, quidam ritus, qui in ejus sacrificiis adhibebantur, appositè significabant: nam præterea morum, qui in aliorum Deorum sacrificiis servabatur, aperto capite ei sacrificabant, quemadmodum Macrobius lib. 11. Saturnalium refert, ad quam rem eadem ratio accommodari potest, quam supra in Saturno attulimus, cui item capite aperto rem sacram faciebant. Apud Plinium lib. x. legitur, Romæ in ædem Herculis in foro Boatio, nec muscas, nec canes intrasse, hos quidem, aut quod clavam foribus appositam subolfacerent; aut quod magno ab Hercule odio habiti feruntur, ob causas à *P*lutarcho in problematibus allatas, cum scilicet rationem redderet, cur canes ejus templum non ingrederentur. Illas verò, quod ut in fabulis narratur, cum in Olympia rem divinam faceret Hercules, & muscæ, illi valde molestæ essent, Jovem orasse ferunt: atque ita muscæ omnes ultra Alpeum amnem evolavere, quare ab eo tempore Elienses Jovem Apomyion, hoc est Muscas abigentem coluere. Licet aliqui putent, non Jovem sed Myiagrum (qui & Myiodes dicitur) muscas ab Hercule abegisse. Huic Deo cum alicubi in Græcia rem sacram facerent muscæ omnes extra regionem avolabant. Cyrenæi qui sunt Lybiæ populi, Achorem muscarum Deum colebant, eique Sacrificabant: multitudine pestilentiam afferente; quæ protinus interibant, statim atque esset litatum. Accaronitæ quorum urbs erat in *P*alæstina Beelzebubum venerati sunt, quem muscarum Deum Hieronymus interpretatur. Et sicut muscæ ab Herculis sacrificiis excludebantur: ita mulieribus eis interesse, nefas erat, quod ab eo statutum ferunt: propterea quod mulier quædam ei sitienti potum negaret, se excusans, quod Bonæ Deæ sacrificiis impediretur, quominus hominibus, aliquid præberet. Quare ut par pari referretur, factum est, ut sicuti homines à Bonæ Deæ sacris repellerentur, ita & mulieres Herculis sacrificia spectare, aut ejus templum ingredi non possent; nisi paucæ quædam apud Ærythræos, qui Herculi simulacrum apud se habebant in lignorum rate in sertum, quemadmodum Pausanias in Achaicis refert. Ea ratis per Jonii pelagus ad insulam quamdam appulsa est, quæ inter Erythras, & Chium est media. Cum jam terram ea attigisset, conspecto signo, summis viribus, Jones & Chyri certatim ad se illud pertrahere sunt conati. Erythræus postremo quidam, cui è mari & piscatu victus fuerat, sed ex morbo erat oculis captus, quod per somnum moneri sibi visus fuerat exposuit, oportere Ærythræorum fœminas comas tondere, è capillo earum, si viri funes contexuissent, non difficulter, quo vellent, ratem pertracturos. Ei somnio ut obtemperarent, cum cives fœminæ animum non inducerent, è Thracia mulieres quæ voluntaria servitute, ingenuæ ortu cum essent victum sibi apud Ærythræos quæritabant, se tondendas præbuerant. Qua jam rate potiri Erithræi edixerunt

Ritus in Herculis sacris.

Iupiter Apomyion.

Achor.

Belzebubus.

Mulieribus Herculis sacrificiis interesse nefas.

Imago 56.a

runt ſolis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire, ut liceret. Idem Pauſanias in Phocicis ſcribit, Delphis fuiſſe ſtatuas Herculis, & Apollinis, qui tripodem prenſitabant, & de eo jam prope erant pugnam commiſſuri: ſed Latonam, & Dianam Apollinis, Minervam Herculis leniviſſe. Tradebant enim, venienti ad Oraculum Herculi, ſacerdotem reſponſum dare recuſaſſe, Herculem vero ira commotum, ſublatum è templo tripodem ſecum aſportaſſe; ſed poſtea, tripode reddito quidquid voluit, ab oraculo didiciſſe. Erant tripodes ollæ æreæ, tribus fultæ pedibus; quorum alij ἀναθηματικοὶ dicebantur, quod ſcilicet ornatus gratia dicati erant in domibus, vel templis, ignibus prorſus intacti, quos Homerus ἀπύρους appellat, quod eſt, ignis expertes; qui vero ad ignis uſum comparati erant, ἀιδωνας. Priores illi maximo in pretio erant, Diiſque, ac præſtantibus virtute viris dono dabantur. Quare Virgilius lib. v. Æneid. eos inter præmia recenſet, quæ Æneas in ludis Anchiſæ patris manibus celebratis propoſuerat: qui erant illi fortaſſe, quos dono ab Heleno acceperat, quos Virgilius lib. III. Æneid. lebetes appellat; hos Servius vult vaſa eſſe, ad manus abluendas idonea; cum dicat, ſibi videri, non multum decere, tali viro vaſa culinaria donare. Sed Athenæus, Homericam tripodum diſtinctionem referens, uſu introductum dicit, ut ambo genera lebetes appellentur; vultque ἀιδωνας illos ad aquam calefaciendam eſſe accommodatos, ἀπύρους autem eſſe paterarum inſtar, quorum uſus ſit in vino fundendo. Sed tamen ad rem, qua de agimus, hæc non admodum facere videntur: illud potius facit; quod Tripus ſit menſa in templo Apollinis Delphici, cui ſuperpoſita Phœbas, vaticinabatur, Apollineo ſpiritu inflata, qui ex partibus inferioribus ſacerdotis corpus ingrediebatur: itaque nonnulli referunt, eum tripodem in medio fuiſſe perforatum, ne ullum ſcilicet eſſet impedimentum, quominus ſpiritus in eam penetrare poſſet. Tripodem autem pro Veritatis ſigno capere poſſumus: nam oraculum è tripode editum, ſemper verum habebatur: Itaque Athenæus olim proverbio jactari ſcribit, cum vellent hominem veridicum innuere, eum ex tripode loqui. Eadem ratione, idem dicit, Baccho tripodem attributum, qui in pateræ formam erat effictus, nam vinum veritatem patefacit, non ſecus ac Deorum oracula: nam de omnibus fere Diis legimus, eos alicubi oracula edidiſſe. De quibus non eſt nunc dicendi locus; operæ pretium tamen mihi facturus videor, ſi in extrema hac Mercurij imagine, aliquid de Mercurii oraculo dixero. Pauſanias in Achaicis ſcribit, alicubi in ea Græciæ regione in medio foro Mercurij marmoreum ſignum exſtitiſſe, cum barba, è quadrata baſi eminens, modica magnitudine: proximo loco oraculum fuiſſe: ante Mercurij ſignum Veſtam & ipſam marmoream; appoſitas ei fuiſſe plumbo ferruminatas æneas lucernulas: qui Deum conſulerent, Veſtam primum, thure incenſo, placaſſe, deinde, oleo infuſo, lucernas accendiſſe; tum ve-

Mulieres quibus licet Herculis templum ingredi.

Herculis cum Apolline pugna.

Tripus quid eſſet.

Lebetes.

Veritas.

Tripus Bacchi.

Mercurij oraculum.

ro in

vero in aræ dextera parte nummum, patria nota signatum dedicasse: ubi quod ex usu fuerit, rogassent, aurem simulacro admovisse, inde vero è foro abeuntes, manibus aures pressisse, ubi è foro excessissent, amoris manibus, quam primum excepissent vocem, eam sibi oraculi loco duxisse.

MINERVA.

DICUNT Philosophi, Deum opt. Max. inter plurima, quæ in hominem contulit dona, duo præcipue admiranda esse elargitum: unum esse orationem, alterum manuum usum. Sermo enim, animi sensa exprimens, maximam vim ad id, quod volumus, persuadendum habet; manus autem maxima industria cuncta ad vitam humanam facientia procurant, cunctarum artium munera obeuntes, quæ aut olim sunt repertæ, aut in futurum reperientur. Quia vero ornata oratio sæpe non prodest, immo nocet plurimum, nisi rationem, atque prudentiam comitem habeat; nec prudentia in commune aliquid boni afferre potest, nisi sit orationis præsidiis instructa, qua aliis persuadere valeat, ut à malis refugiant, sectentur bona, civilisque vitæ rationem tueantur, id veteres hoc Symbolo innuerunt, Mercurium videlicet, ac Minervam conjungentes. De Mercurio autem jam diximus; restat nunc de Minerva differere, quam Prudentiæ Deam, ac omnium artium inventricem arbitrabantur. Amborum ergo Deorum statuas copulantes, unam reddiderunt, quam ἑρμαθήνην appellarunt; ἑρμῆς enim Mercurium ἀθήνη, Minervam sonat: eam in Academiis collocabant: ut eos scilicet commonefacerent, ut qui ibi se exercebant, eloquentiam prudentiæ conjungerent; hanc reputantes per se parum posse prodesse, illam vero obesse plurimum; quemadmodum etiam Cicero in proemio librorum, de inventione pluribus verbis differit. De Hermathena idem ita lib. III. ad Atticum scribit; Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii. Si quis Minervam velit effingere, aut Solam, aut cum Mercurio conjunctam, eam vultu virili effingat, & truculento glaucis oculis, perpetuum enim fere id ejus est; apud Hornevum Epithetum ut dicatur γλαυκῶπις ἀθήνη, Pausanias etiam Atticis post descriptum quoddam Minervæ simulacrum, quod Athenis in Vulcani templo exstabat dicit, in fabulis fuisse: Neptuni filium Minervæ similem fuisse, quod ambæ ceruleos oculos haberent: Cujusmodi etiam pater Neptunus haberet. Sed Cicero in libris de natura Deorum, Minervæ oculos cæsios, Neptuni autem cæruleos fuisse scribit, in quo quidem aliqua differentia, quamvis non admodum magna cernitur; ambæ enim voces apud latinos viridem colorem significant, qui ad claritatem tendat, qualis in cati aut noctuæ oculis deprehenditur; si tamen quis velit in Minervæ oculis splendorem quemdam magis ignitum inesse, cujusmodi est

Minervæ effigies.

Minervæ oculi.

in leonum oculis, non repugnabo. Eadem quoque longa hasta & crystallino Clypeo armata effingitur, qualem se apud Ovidium lib. VI. Metamorph. cum Arachne certans, acu pinxit, carmina ita habent:

At sibi dat clypeum, dat acuta cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Quæ omnia hominis prudentis ingenium exprimunt, ut postea pluribus docebo. Claudianus etiam in Gigantomachia, aliique nonnulli eodem pacto Minervam expressere ab Homero exemplar mutuantes, qui cum eam fingit a Junone in Martem Trojanorum propugnatorem immissam, ut Græcis suppetias ferret, ei fortissimæ bellatricis figuram attribuit, auratam galeam capiti accommodans: nam sapiens, sua sapientia munitus, facile se sartum tectum à cunctis quæ obstant, præstat, totusque splendet in operibus, quæ assidue sua industria molitur. Antrum etiam in Minervæ galea divinum splendorem innuit, qui humanam mentem suo fulgore collustrat, ab eo enim prudentia ac sapientia in homines derivat. Dicebatur etiam olim, Minerva ex Jovis capite extitisse; cujus rei simulacrum quoddam in arce Athenarum visebatur, quemadmodum Pausanias in Atticis refert, nam Vulcanus adamantina securi Jovis caput scindebat, ex quo *Mi*nerva absque matris opera emergebat; nam intelligentis animi virtus in cerebro residet ac a divina mente, quam Jupiter adumbrat, tota promanat, omnis enim sapientia à Deo est, & ab ore altissimi procedit, non autem ortum ab inferioribus trahit, quæ per Junonem repræsentatur. Sed Martianus Capella *Mi*nervam inquit absque matre natam, ideo fingi, quia mulieres omni consilio ac prudentia destituuntur, in quo Aristotelem sequitur, qui in Ethicis scribit, mulieres non pollere consilio. Caput quin etiam *Mi*nervæ galea texerunt, ut innuerent, prudentem hominem non semper sua consilia passim cuivis patefacere solere, nec assidue loqui, ita ut ab omnibus facile intelligatur, sufficit enim ei, ut à sui similibus sua verba percipiantur, quæ cæteris ænigmatum Sphingis instar sint. Itaque Ægyptii in Isidis templi Vestibulo (quæ eadem erat ac *Mi*nerva) Sphingem collocarunt; licet id possit ad religionis arcana accommodari, quæ sub sacris integumentis legi debent, ut a promiscuo vulgo non secus atque ænigmata a Sphinge proposita ignorentur. Pausanias in Atticis testatur, Athenis Minervæ simulacrum fuisse, in cujus galeæ cono Sphinx eminebat, utramque autem galeæ partem Gryphes tenuisse, qui caput atque alas similes aquilæ habent, cætera leones repræsentant, hæ belluæ dicuntur esse (si tamen reperiuntur, nam Plinius lib. x. fabulosas esse arbitratur) in Scythia, & cum Arimaspis, qui unicum habent oculum, auri causa, quod custodiunt, assidue bellum gerere, ex quo intelligimus, quam custodiam nostro ingenio adhibere debeamus, ne Arismapi irruentes, conos privent. Interdum & gallum ejusdem galeæ imposuerunt, ut apud Elæos in quodam statua, a Phidia ex auro & ebore confecta, cernebatur; Quod Pausanias ad audaciam quæ in bello

Imago 57.a.

Minervæ galea.

Minerva quomodo nata.

Gryphes.

Arimaspi.

est

est adhibenda; refert, gallus enim magnam præ se fert audaciam: Sed possumus ad vigilantiam quoque accommodare, qui in forti ac sapienti Imperatore inesse debet: nam eam antiqui, tam bellicæ rei quam pacis artibus præfecerunt; ac propterea armatam effinxerunt: Fabulis quoque ea fertur Pallantem Gigantem occidisse, à qua Palladis nomen juxta quorumdam opinionem sumpsit; alii autem ἀπὸ τοῦ παλλεῖν τὸ δόρυ, id est à concutienda hasta sic dictam volunt. Erat autem Palladium Palladis simulacrum quod cœlitus delapsum credebatur: Romæque in Vestæ templo erat repositum, tantaque diligentia custoditum, ut nemini vel ad intuendum pateret accessus, nedum tangendum, nisi ex virginibus cuidam, cui ejus custodiæ erat demandata. Eadem Tritonia cognominata fuit, aut à quadam Lybiæ palude sic dicta, cujus filiam nonnulli eam fecere: fortasse quod ibi primum sit visa: aut quod tres sint sapientiæ partes præsentia nempe nosse: futura præcedere ac præterita meminisse: aut quia tria sunt sapientis præcipua munera, bona scilicet consilia dare, recte judicare, & juste operari, cætera prætermitto, quæ ad hoc nomen explicandum faciunt: parum enim nostro proposito congruunt, sicut & illud, Minervam dictam aut à monendo, sapientia enim semper nos nostri officii admonet: aut á minuendis eorum viribus, qui sese sapientiæ studiis dediderunt: aut à minando; nam ut belli Dea semper terribilis intuentibus videbatur: quod postremum cum eo mirum in modum consentit: quod & Bellona vocaretur: nam aliqui idem utriusque numen esse voluerunt: Bellonam autem veteres bellis præfecerunt. Cæsar scriptis testatum reliquit, Cappadoces eam tantum veneratos fuisse, ut ejus Sacerdos secundum à rege locum teneret; id Deæ majestatem decere existimantes. Sed tamen earum inter se diversæ imagines differentiam inter eas esse aperte indicant; quod scilicet Minerva Imperatorum bellicis in rebus providentiam, diligentem administrationem, consiliumque sapiens repræsentaret; Bellona autem cædes, furorem, strages, & alia hujusmodi, quæ exercentur in præliis, significaret: nam eam Poëtæ Martis aurigam fingunt, ut Statius lib. VII. Thebaid. ubi sic inquit.

Pallas.

Palladium.

Imago 38.a.

Tritonia.

Minerva.

Bellona.

--regit atra jugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide.

Eamdem etiam sanguine aspersam faciunt, qualem Silius Italicus eam describit, dicens;

Ipsa facem quatiens, & flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona percrrat.

Sed tamen Statius lib. II. Thebaid. eamdem vim Minervæ tribuit, cum Tydei ad eam preces exponit in hunc modum;

Diva ferox, magni decus, ingeniumque parentis,
Belli potens, cui torva genis horrore decoro

Cassis, & aspersa crudescit sanguine Gorgon.
Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnæ
Impulerit Bellona tubas: huic annue sacro.

Bellona igitur ab antiquis Dea iræ, ac furoris plena credebatur, cui cædes, humanus sanguis, bellaque cordi essent. Itaque ejus Sacerdotes qui Bellonarii appellabantur, se ipsos cultris feriebant, & proprio sanguine numen placabant. Hanc effingebant interdum flagello pugnas concientem; nunc tuba bellicum canentem; nunc facem gestantem: nam apud Lycophronem legitur, veteres ante tubarum usum inventum, cum prælium essent commissuri, præmittere solitos qui ardentes faces contra se mutuo jacularentur, à quibus tamquam auspicato funestum prælium inchoabant. Quo respexit Statius, cum pugnæ initio Bellonam ardentem facem ostendisse scribit. Eodem Claudianus spectavit, cum lib. 1. de Rapt. *Proserp.* dixit.

Tisiphone, quatiens infesto lumine pinum,
Armatos ad castra vocat pallentia manes.

Columna Bellica. Ante Bellonæ fanum columna quædam exstabat, non admodum magna, quam Romani bellicam columnam vocabant: nam, cum patribus certa sententia inferendi in aliquem populum belli sediset, ad eam post lani portas patefactas, alter consulum accedebat; indeque hastam jaculabatur, ex ea parte, quæ ad populum, cui erat bellum offerendum, vergebat; & ex eo tempore bellum denunciatum intelligebant. Sed Romani antequam imperii fines multum protulissent, ita bellum edicebant. Fecialem ad hostem allegabant, qui, belli causis narratis, hastam in eorum castra conjiciebat. Sed & alii fuerunt apud veteres, belli denuntiandi ritus, quos in Jano attigi, & inferius in Marte, si locus dabitur, attingam. Et, ut de Bellona concludam, eam imagine saltem à Minerva differre constat: Minervæ Apuleius lib. X galeam oleagina corona circumdat; nam hæc arbor olim ei erat sacra; ejus enim repertrix putabatur; quemadmodum & Virgilius eam lib. 1. Georg. nominat: & sicut in fabula habetur litis inter eam, atque Neptunum, utri scilicet Athenarum possessio esset adjudicanda. Herodotus scribit, eamdem oleam quam Minerva è terra eduxerat, quando cum Neptuno contendebat, arsisse una cum civitate, à Persis combusta, sed eodem die repullulasse, & ad duos cubitos crevisse. Nonnulli dicunt, ideo hoc fictum: quod Minerva prima modum olei ab olearum baccis exprimendi docuerit: vel etiam, quod scientiæ absque diuturnis vigiliis, & multo oleo insumpto, comparari nequeant. Quamobrem, ut Pausanias in Atticis refert, aurea lucerna huic Deæ Athenis dicata fuit, in quam oleum infusum non consumebatur, nisi exacto demum anno, cum tamen lucerna dies, noctesque arderet: id adeo eveniebat, quod lucernæ inerat è lino carpasio funiculus; quod sane linum unum ex omnibus igni non

Lucerna Minervæ.

con-

conficitur. Idem in Corinthiis narrat, Epopeum pro quadam victoria Diis gratulatum, Minervæ templum erexisse, ac, opere jam absoluto, Deam esse precatum, sibi signum aliquod ut daret; num ei accepta fuisset fani dedicatio; statimque oleum ante templum divinitus fluxisse. Ex quibus pateat, non injuria Minervæ oleam dedicatam; idque non solum ob sapientiæ studium, sed ob artium, ab ea repertarum exercitationem: ei namque ars nendi, suendi, texendique accepta refertur, aliæque quæ mulierum sunt propriæ. Itaque apud Græcos ea lignea erat efficta, ambabus manibus colum tractans. Apud Romanos quibusdam Minervæ festis, Martii mense celebratis, dominæ ancillis prandentibus inserviebant, hoc præ se ferentes, à Minerva se emolumentum capere, quod ab ancillis per supra dictas artes traherent; ancillæ etiam hoc veluti præmium à Dea se recipere fatebantur, ob labores in artibus, ab ea repertis toleratos. Noctua interdum Minervæ galeæ imponebatur; ut quæ esset ipsi avis sacra, quam tantum amasse fertur, ut aut supra caput, aut ad pedes aut alias aliter semper fere cum ea esse cernatur. Cujus rei causam nonnulli eam esse volunt, quod Athenis, quæ urbs erat omnium Deæ charissima (cujus rei vel illud sit argumento, quod & ipsa ἀθῆναι uno nomine cum ipsa civitate vocaretur; neque injuria, cum ibi, si usquam alibi, quondam omnium artium studia maxime floruerint) maxima noctuarum erat copia. Sed tamen si fabulas audire volumus, cornicem olim Minerva amabat, in quam adolescentulam quamdam, sibi charissimam converterat, ut eam à Neptuni vi defenderet, qui, ut virginem comprimeret, post eam in littore maris maxima qua poterat celeritate currebat: eam igitur cornicem factam Dea in deliciis habuit, quoad Cecropis filias accusasset. Ex qua re indignata Dea, eam ex alba in nigram, cujus nunc est coloris, commutatam, à se repulit, atque in ejus locum noctuam suffecit. Itaque ex eo tempore maxima est inter has aves inimicitia. Noctua autem sapiens viri prudentis consilium significat, quemadmodum apud Justinum legitur, qui refert, Hieroni, cum adhuc adolescentulus in militiam tunc primum profectus esset, noctuam supra hastam advolasse; quod conjectores interpretati sunt, eum consilio plurimum valiturum: neque à vero aberrarunt, nam licet obscuro esset loco natus, Syracusarum est rex effectus. Quia vero oculos habuisse fertur ejusdem ac noctua coloris, quæ noctu optime cernit; id innuit, sapientem hominem res vel occultissimas, ac difficillimas facile dispicere; eumdemque, amoto ab animo mendaciorum velo, ad veritatem intuendam penetrare; hæc enim delitescit, nec facile omnibus passim se videndam exhibet. Quamobrem Democritus eam in putei profundo obrutam dicebat, neque inde unquam emergere, ni tempus, aut Saturnus (ut Plutarchus

Artes à Minerva inventa.

Noctua unà cum Minerva.

Noctua quid significet.

Veritas.

in problematibus dicit) ejus pater ex eo luco eam quandoque in lucem extrahat. Hippocrates autem in quadam ad Philopæmenem epistola hoc modo eam describit, Mulierem pulcram, magnam, simpliciter ornatam, illustrem, ac splendidam, cujus oculorum orbes puro lumine nitebant, ut astrorum fulgorem imitari viderentur. Idem ibidem & Opinionem describit hoc pacto *Mulierem*, quæ non mala videatur, sed audacior aspectu, & concitatior. Exstat apud Epiphanium ex Marco hæretico veritatis effigies, litteris Græcis: cujus caput ex α, & ω constabat; collum ex β, & ↓, ac cætera deinceps membra & litteris prioribus se deinceps sequentibus, & posterioribus præcedentibus per seriem quamdam. Eadem fingebatur, ut Philostratus in Amphiarao scribit, virgo niveis induta vestibus; eamque alibi Virtutis matrem appellat. Hæc etiam apud antiquos Dea habebatur; cui Romani fanum ante Honoris templum, dedicarunt; nam, cum *Marcellus*, ut Valerius Maximus refert, ambobus templum vovisset, Romani, objecta sibi à Pontificibus religione, duo exædificavere; dicebant enim, si forte aliquod ibi prodigium accidisset, dubitassent, utri nomini litandum esset. Virtutis vero delubrum ante positum fuit, post inde honoris; ut ostenderetur, aditum non patere ad verum honorem consequendum, nisi per virtutem ipsam: cujus ille tantum & est, & habetur precium, & præmium: quare virtutem alatam effinxerunt; propter gloriam scilicet, & honorem, qui eam ex humo in sublime evehunt: quod fortasse Luciani ætate raro usuveniebat, sicut & aliorum temporum, præcipue nostrorum ratio fert, ut homines videlicet omni virtute illustres, sæpissime humi serpere videamus; nam iis in quodam dialogo de virtute & fortuna, virtutem à Fortuna male habitam describit, laceram ac mœrentem, ut quæ nec ad Jovis aspectum admitteretur. Quare non inepte eam quidam peregrino habitu induerunt, ut quæ apud nos diversorio non invento, in alias regiones migret. Eandem antiqui interdum matronæ specie expressêrunt, quadrato Saxo insidentis. In M. Val. Acilii Triumviri numismate mulier est insculpta, columnæ lævo nixa cupido, dextera serpentem tenens, extat etiam mascula Virtus in uno quidem Gordiani Imperatoris, in cujus altera parte imago est senis barbati, stantis, nudi, clavæ innitentis, cum leonis pelle brachio advoluta cum hac inscriptione, VIRTUTI AUGUSTI, in altero vero Numeriani numismate eadem prorsus cernitur imago senis, cum inscriptione, VIRTUS AUG. in Vitelli numismate virtus est, adolescentis formam præferens, succincte vestiti, galeam in capite habentis, cujus conus est ex pennis quibusdam; is sinistra elevata rectæ hastæ inhæret; dextera, qua & Sceptrum tenet, dextrum genu contigit, quod sinistra est elevatius, nam pede testitudinem premit, ocreas pedibus induit, & oculos in virginem quandam, quæ est è regione, intendit; Hæc honorem repræsentat: quæ dextera manu hastam erectam tenet, ex ea parte usque ad ventrem est nuda: sinistra cornucopiæ habet,

Opinio.

Virtus.

Virtus mascula.

ga-

galea pede promicat: caput flava coma est ornatum, quæ concinnum in modum est aptata. Prodicus sophista, ut apud Xenophontem in vita Socratis, & apud Ciceronem lib. II. offic. legitur, refert, Herculi cum primum pubescceret iviſſetque in solitudinem quandam, ubi duas vias invenit, diversas in partes ducentes, nescientique utri se committeret, dum in ancipiti versaretur, duas visas esse mulieres, quarum una erat voluptas, primo aspectu pulcra, Lasciva, venustaque ob fucos, quibus se oblinierat: quæ Herculem secum conabatur per deliciarum viam abducere, latam illam quidem initio, planam, facilem, variis herbis, floribus ac arboribus consitam, quæ mirum in modum oculos oblectabant: sed in fine artem salebrosam, sentibusque obsitam: altera aspectu severior, simplicemque habitum gerens, Virtus erat: quæ viam suam initio arctam, acclivem, atque difficilem ostentabat, sed quæ demum in amœniſſima prata ac in campos, omnibus deliciis circumfluentes ducebat. Huic se Hercules adjunxit, illa rejecta, atque idcirco tam celebre nomen est consequutus. Dantes in suo Purgatorio voluptatem se vidisse fingens, illam describit mulierem balbam, strabam, pedibus distortam, multis manibus, pallido colore, quæ postea expedite loqui inciperet, in pedes se erigeret, vultuique exalbescenti eos colores induceret, quos amor vellet, ab eaque se dulciſſimis verbis illiciendum fuisse, nisi statim Dea quædam sancta, atque honesta exstitisset, quæ alteri comprehensæ vestes abscidisset, ventre sibi patefacto, qui tantum fœtorem ex se emittebat, ut somnum sibi ademerit. Quæ maxime, cum supradicta Prodici fabula consentiunt. Sed si quis viam Virtutis, atque Voluptatis aliter vellet adumbrare, Pythagoræ litteram effingat, cujus descriptio, atque significatio inter Virgilii opuscula invenitur: ea autem sic habet, Imago 59. a.

Littera Pythagoræ, discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via Virtutis dextrum petit ardua callem:
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet sessis in vertice summo.
Molle ostendit iter via lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, volutque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus Virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque, decusque parabit:
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsque simul, miserabile transiget ævum.

Idque non injuria dicitur; nam voluptates nihil tandem ad extremum afferunt, nisi mœrorem, pœnitentiam, atque ruborem: contra virtutes non solum nobis animum pacatum reddunt, eumque ingenti lætitia complent, sed etiam apud alios nobis gloriam, atque honorem pariunt. Alciatus in

Fidei

Fidei ſymbolo Honorem purpurea veſte depingit, laurea coronatum. Alii
Honor. Virtutem Deam fingunt præcedere, deinde ad eam Honorem à Cupidine
duci. Veteres Volupiam voluptatum Deam coluere, ut ex Varrone diſci-
Volupia. mus: cujus effigies mulieris pallidæ ſpeciem referebat, quæ Reginæ inſtar
in ſublimi loco ſedebat, Virtutemque pedibus proterere videbatur. In
ejus ara Angeroniæ ſimulacrum viſebatur, ab angoribus levandis dictæ:
à qua parum differenti voce Agenoriam Deam vocaverunt antiqui, ab agen-
Angeronia. do appellatam; quod ad agendum homines excitaret; ſicut & *S*timulam, à
ſtimulando dictam, & Hortam, ab hortando, habuerunt. *P*lutarchus in
Agenoria. Problematibus hujus Deæ, Hortæ ædem, numquam claudi ſolitam tradit;
ea ſcilicet cauſa, quod ſemper præclari aliquid fieri hortaretur, nunquam-
que ceſſandum. Sed ad Angeronam revertamur, quam ab angore voca-
Stimula. tam dicebamus: vel quod Pop. Rom. morbo, & angina, dicitur præmiſ-
Horta. ſo huic Deæ voto, liberatus fuiſſe. Ac propterea fortaſſe hujus collum
faſcia erat obligatum, qua & os tegeretur. *M*acrobius lib. 1. Saturnal. ex
*M*aſurio refert, ſimulacrum ejus Deæ ore obligato, atque ſignato in ara
Volupiæ propterea collocatum; quod, qui ſuos dolores, anxietateſque
diſſimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Pli-
nius lib. III. atque Solinus ſcribunt, hanc Deam ita effictam, ut intelligere-
Tacita. mus, religionis arcana non evulganda: quod etiam Numa inſtituit, cum
Deam quamdam, Tacitam dictam, colendam propoſuit; nam divinas
res tacere nos oportet. Itaque Ægyptii Silentii Deum inter præcipua ſua nu-
mina ſunt venerati; eum Harpocratem vocaverunt, quem Græci Sigaleo-
Harpo cra- nem dicunt. Hunc Apuleius, & *M*artianus lib. 1. redimitum puerum fa-
tes. ciunt, ad os compreſſo digito ſalutari, quaſi ſilentium commoneret. Si-
lentii Deus interdum effingebatur abſque diſtincta facie, pileo caput con-
tectum habens, lupina pelle indutus, quæ oculis, atque auribus plurimis
erat diſtincta; ut eo intelligeremus, multa videnda, atque audienda, ſed lo-
qui non item: id pileo quidem innuitur, quod eſt libertatis ſymbolum, ut
ſuperius diximus. De lupo narratur, eum, quem prior ipſe viderit, mu-
Lupus ſilen- tum reddere; ac, poſtquam aliquid rapuerit, ita tacitum profugere, ut
tium ſignifi- ne hiſcere quidem audeat. Perſeam arborem Harpocrati dicavit Ægyptus;
cat. quod ejus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi ſit quam ſimilimus;
Perſea arbor perinde atque lingua, quod in corde latet, patefaciat: ſed id non antea fit
ſacra Har- faciendum, quam diligens & diuturna cogitatio præceſſerit. Itaque tem-
pocrati. pore tacere, non mediocris eſt virtus; ut Minerva ſignificavit, cum Cor-
nicem á ſe dimiſit, quod eſſet avis perquam loquax, ac garrula: nam
Cornix à prudenti homini, non eſt in nugis tempus conterendum, ſed in ſilentio
Minerva eſt etiam, atque etiam conſiderandum antequam loquatur, quid de
expulſa. quaque re loqui debeat. Quo fortaſſe *M*inervæ quædam ſtatua, quæ

erat

erat apud Messenios, respiciebat, quæ secundum Pausaniam in Messenicis cornicem manu continebat; nempe, quod vir prudens sermonem in suam potestatem habere debeat, ut cum expedire judicaverit, eum cohibere, aut emittere possit. Cornix Minervæ manu

Hastam etiam Minerva, ut dixi, tenet, eamque ut Apuleius lib. X. scribit, quatit; brachiumque attollens, clypeum ostentat, idemque ei duos pueros addit, qui nudatis gladiis minitari omnibus videntur; quorum unus est Terror, alter Timor; qui quidem in bello dominantur. Itaque Statius lib. VII. Thebaid. cum fingit Martem à Jove missum ad bellum inter argivos & Thebanos excitandum, eum dicit, secum Pavorem & Terrorem adsciviſſe; quos ita adumbrat. Imago 60.a

Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes ante ire jubet: non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veni,
Aptior: innumeræ monstro vocesque manusque
Et facies quacumque libet bonus omnia credi
Auctor & horrificis Lymphatæ in cursibus urbes
Si geminos soles ruituraque suadeat astra,
Aut mutare solum, aut veteres descendere sylvas;
Ah miseri vidisse putent:

Pausanias dupliciter ab antiquis descriptum Terrorem refert, nam scribit in Iliacis prioribus, cum in Agamemnonis clypeo leonis capite fuisse expressum, in Corinthiis autem, Pavorem muliebri habitu, ad terrorem quam maxime effictum extitisse refert, hancque imaginem Corinthios Medeæ filiis dedicasse, à se lapidibus obrutis ob pernicioſa dona à Matre ad Creontis filiam allata, quæ ei exitium, universæque ejus domui attulerunt. Timorem quoque Lacedæmonii coluerunt, ut Plutarchus in Cleomene ostendit, sed cum non sicut alios Dæmones venerabantur, quos tanquam noxios procul abesse à civitate volebant, at hoc Rempub. maxime contineri arbitrabantur, cum scilicet leges, atque magistratus timerentur, Itaque Ephori statim atque magistratum iniissent, publica præconis voce edicebant, quemadmodum Aristoteles refert, ut omnes barbam abraderent, legibusque parerent, ne ipsi ad supplicium alicui inferendum adigerentur: idque factitabant, ut adolescentes vel in rebus leviſſimis magistratum dicto audientes efficerent. Neq; vero illa apud antiquos animi fortitudo est existimata, cum quis sibi animum induxit, nihil umquam timere, imo illud verè hominis fortis argumentum statuebant, si quis ne quid se indiguum pateretur vehementer timeret; huncque magis contra hostes fortem atque audacem fore ducebant, qui legum timore percelleretur, quam qui nihil eas formidaret infamiæque timorem homines, ad quidvis perpetiendum fortiores reddere. Quare legimus apud Lacædemonios, Ephoros Timoris sacellum construxisse prope locum, ubi ipsi tribunal habebant, ut: Timor Deus habitus. Vera fortitudo.

essent cæteris majori formidini. Et huc fortasse Tullus Hostilius, Romanorum rex respexit, cum Pavorem, Palloremque simul colendos proposuit, ut Lactantius lib. 1. refert; raro enim usuvenit, ut is non expallescat, qui pavet: dignus profecto fuit, ut ibidem Lactantius dicit, qui semper Deos suos præsentes haberet. Sed ad Minervam revertamur: quæ, dum hastam quatit, clypeumque attollit, una cum comitatu, quem illi Apuleius libro x. attribuit, bellicas minas repræsentat. Sed si eamdem pacificam considéremus; clypeus, qui ex crystallo erat, corpusque totum ab universis periculis protegebat, significat, hominis sapientis animum hoc mortali corpore esse tectum, ut eum tueatur, atque custodiat, non ut mentis aciem impediat, quominus cernere possit. Quia vero clypei ut plurimum rotunda sunt forma (quamvis alio modo interdum videamus eum effectum, quem Minerva gestabat) ideo Martianus Capella clypeum, Minervæ brachio insertum scribit denotare, Mundum, qui rotundus est, providentia regi, non temere, ac casu ferri, quemadmodum Democrito ac Epicuro est visum. Hasta vero, hominem prudentem aliis etiam eminus obesse posse ostendit; aut tantam esse prudentiæ vim, ut nil sit ita durum, quod ipsa non penetret, eamdem interdum tantum se extollere, ut cœlos ipsos contingat. Itaque Claudianus Minervæ hastam tam longam effecit, ut nubes transiret. Et Homerus lib. 1. Odyss. Minervam fingit, cum ad Telemachum proficisceretur ut de Ulysse patre inquireret, hortatura, aurata sibi talaria induisse (de quibus in *Mercurio* diximus) nilque præter hastam gestasse. Apud Ciceronem lib. III. de Nat. Deorum legitur, unam ex quinque Minervis, de quibus meminit, alatos pedes habuisse. Pausanias in Atticis, cum simulacrum *Minervæ* cum Sphinge, superius positum describeret, longam ei hastam in manus tradit, dicitque id recto statu cum tunica talari fuisse: item ad pedes fuisse clypeum, atque ad imam hastam draconem; nonnulli noctuam addunt: ex quo Demosthenis dicterium sumpsit argumentum; cum enim à civibus Athenien sibus relegatus, in exsilium proficisceretur, dixisse fertur, Minervam, quæ Athenien sium erat tutelaris Dea, tribus admodum belluis delectari, noctua scilicet, serpente, ac populo: nam in ea Repub. plurimum populus poterat. De serpente, sicut de noctua dicam; eum Minervæ fuisse sacrum; quod sit prudentiæ symbolum. Quamobrem Romæ ad pedes magni Minervæ simulacri erat serpens collectus in spiras; sed caput ad clypeum exserebat, quem illa ex brachio suspensum gestabat, quemadmodum Servius illum locum lib. II. Æneid. Virgilii enarrans dicit, ubi duo illi angues, qui Laocoontem una cum filiis interfecerunt, recta ad Minervæ fanum contenderunt, sub pedibusque Deæ, & sub clypei orbe se protexerunt. De talari tunica, cui thorax erat superpositus, Herodotus scribit, Græcos hunc habitum ab Afris mulieribus, quæ ad Tritonidem paludem habitant, mutuatos esse; neque ullam esse differen-

Min rva clypeus.

Minervæ hasta.

Minervæ serpens sacer.

rentiam, nisi quod harum tunica interior est pellicea; exterioris autem thoracis fimbriæ non exanguiculis, sed ex corio constant, in minuta segmenta concisо: thoracem ex caprina pelle conficere solebant; unde eum ægida ἀπὸ τῆς αἰγὸς Græci appellarunt, cujus forte fimbriæ anguiculos apud Græcos continebant. *Ægis. Gorgon.* In ipsa Ægide caput Gorgonis effingebant, quod erat *Medusæ* caput, anguibus crinitum, linguamque exsertans: quod interdum in clypeo insculpebant, quem nonnulli etiam Ægida vocarunt; nam Diodorus refert, à Jove eum capræ Amaltheæ corio fuisse obductum, Minervæque dono datum. *Ægæa Solis filia.* Sed frequentius pro ægide pectoris ornamentum sumitur; quod Hyginus lib. II. ab Ægа Solis filia nomen vult habere, quæ multo candore corporis præstabat, cui contrarius pulcritudini horribilis aspectus exsistebat, quo Titanes perterriti, petierunt à Terra, ut ejus corpus obscuraret: quam Terra specu quodam celasse dicitur in Insula Creta. Sed, cum Jupiter bellum contra Titanes appararet, responsum est ei, si vincere vellet, ut Ægos pelle tectus, & capite Gorgonis bellum administraret. Itaque, victoria parta, reliqua Ægos ossa, caprina pelle contecta anima donavit, & stellis figuratam memoriæ commendavit: & postea, quibus ipse vicerat tectus, Minervæ concessit. Virgilius lib. IIX. Æneidos, ita Minervæ arma describit:

Ægidaque horrificam, turbata Palladis arma
Certatim squamis serpentum, auroque polibant
Connexosque angues, ipsamque in pectore divæ,
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Pro Gorgone autem *Medusæ* caput intelligitur; quod inspectum homines interficiebat. Sed Athenæus scribit, in Libya apud Nomades quamdam fuisse hujus nominis belluam, quæ ovi, aut secundum aliorum sententiam, vitulo similis erat; hæc afflatu solo (ita erat is teter) alias belluas ad se accedentes enecabat; aspectu etiam interficiebat, si quando ab oculis quemdam crinem, qui eos tegebat, dimovisset: quod milites quidam Mariani sunt experti, qui, cum belluam hanc capere vellent, ipsi ab ea sunt interfecti, statim atque ab ea sunt conspecti. Sed incolæ captam à se bestiam, ad Marium mortuam attulerunt, ejus natura narrata; nam ipsi ejus capiendæ artem callebant. Pellis erat ita multiplicibus coloribus distincta, ut Romam missa, nemo posset conjicere, cujus esset animantis, & tamquam res aliqua admiranda, in Herculis fano sit reposita. Proclus Carthaginensis scriptis testatum reliquit, ut Pausanias in Corinthiis refert, in Africæ desertis bestias gigni multas mirabili specie, atque inusitata, feros inter eas viros, & fœminas ac virum se Romam illinc deportatum vidisse; conjicere itaque se, ex illis fœminis unam fuisse Medusam, quæ, cum à suis gregibus aberrans, venisset ad Tritonidem paludem, ejus oculos male multavit, *Medusæ.*

usque dum a Perseo est occisa. Adjutricem vero Perseo Minervam fuisse, idcirco proditum, quod, qui stagnum illud accolunt, homines Minervæ sacri erant. Diodorus, Gorgónas in Africa fœminas bellicosissimas fuisse tradit, quæ a *Perseo* superatæ fuere, earum regina Medusa interfecta: quod fortasse re vera fuit gestum. Sed fabulis fertur, ut Appollodorus lib. II. narrat, Gorgones tres fuisse sorores, quarum Medusa sola mortalis esset, cæteræ, Euryale & Stheno, immortales; his capita serpentibus obvoluta, dentes suum instar, æneas manus, alas aureas fuisse, quibus, cum fuisset collibitum, volarent, eosque in lapides mutasse, quos conspexissent; Perseumque, eis dormientibus repertis, caput Medusæ abscidisse, quod Minervæ dono tradiderit, a qua multum in ea re esset adjutus; nam clypeum ab ea est mutuatus, sicut a Mercurio mucronem acceperat; talaria, ac Orci galeam, quæ gestantem non aspectabilem reddebat: item & peram, in quam formidabile illud caput conjecit, a Nymphis quibusdam sumsit, quæ a tribus aliis Gorgonum sororibus ipsi sunt ostensæ, ut oculum, atque dentem ab eo ablata, recuperarent; de his enim legitur, eas ab ortu ipso statim anus factas, unoque tres oculo, & dente uno præditas, quibus vicissim inter se utebantur. Itaque alicubi in Græcia in Minervæ fano Persei statua visebatur, ut Pausanias refert, cui, tamquam in Africam profecturo, Nymphæ quædam galeam capiti aptabant, ac pedibus talaria annectebant. Sed de Gorgonibus magis vulgata fabula habet; *Pulcerrimarum* trium sororum, quæ Gorgones ab insulis, ubi habitabant, ita nominatis, sunt appellatæ, Medusam cæteras pulcritudine anteisse, quæ aureos etiam capillos habuerit. Quare ejus amore Neptunum captum, cum ea in Minervæ templo concubuisse; Deam vero ob id piaculum indignatam, *Medusam*, auratis ejus crinibus in serpentes conversis, maxime deformem, ac visu formidabilem effecisse; voluisseque eum in lapidem verti, qui in eam amplius oculos intendisset; sed hujusmodi monstrum, cum ob maximum exitium, quod orbi importabat, diutius ferri nequiret, a *Perseo*, eorum quos dixi, subsidiis fuisse de medio sublatum; cujus caput *Minerva* ab interfectore dono habuerit, idque in clypeo, vel in thorace gestaverit. Homerus, cum *Minervam* contra Trojanos armari fingit, eam sibi thoracem induisse scribit, maximo horrore circumdatum, cui *Medusæ* caput erat infixum, inclusosque habebat ingentes animos, maximam fortitudinem, truculentasque minas: quæ quidem sunt bellorum Deæ propria, quæ eadem est quoque Victoria. Quamobrem *Pausanias* in Atticis scribit, Athenienses ei Victoriam in pectore una cum *Medusæ* capite insculpsisse; sed apud Elæos eidem illam prope adesse. Hæc sapientiæ ac prudentiæ vim ostendunt; nam hæ virtutes, admirabilibus quibusdam ex se operibus editis, stuporem intuentibus injiciunt, quos veluti saxa admiratione quadam ingenti obrigentes reddit.

Gorgones.

Minerva thorax.

reddit. Itaque homo sapiens, quidquid tandem vult, impetrat ; cum animi sui sensa mirabili artificio exponat. Quare non injuria horribile id *Medusæ* caput linguam exserere fingitur : quod aliquando Deæ peplo obtectum fuisse legitur. Erat id vestimenti genus, quo Deorum simulacra induebantur, absque manicis, ut Lactatius Statii interpres scribit, album illud quidem, sed auratis bullis distinctum : quod nobiles matronæ suis manibus conficiebant, Deæque tertio quoque anno offerebant. Sed hoc apud Athenienses usurpabatur, quorum Minerva erat tutelaris Dea. Sed peplum ut plurimum intelligebatur id indumentum, quod Athenis post quinctum quemque annum solenni cæremonia huic Deæ dicabant ; licet Suidas scribat, id nequaquam vestimentum fuisse, sed cujusdam navis velum, quæ statis Deæ festis maxima cum pompa adornabatur. Sed & veteres peplum huic Deæ offerre solebant, cum numinis sibi opem in maximo discrimine constituti conciliare vellent. Itaque apud Homerum Hecuba, Heleni filij vatisque consilio usa, cum Trojanos à Græcis intra mœnia compulsos videt, ex pretiosissimis suis vestibus, magnificentissimum peplum seligit, quod comitibus sibi nobilissimis quibusque matronis adscitis, ad Palladis templum fert, idque curat Deæ ab Antenoris uxore Theano offerendum, quam unam tunc temporis inter Trojanas maxime venerabantur : omnesque simul à Dea precantur, ut sibi propitia esse velit. Quod Virgilius lib. 1. Æncid. optime expressit, cum refert in parietibus templi Junonis quod Carthagine exædificabatur, esse depictum, ita dicens: *Peplum Minervæ.*

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,
Suppliciter tristes, & tunsa pectora palmis.

In hoc vero Minervæ peplo Athenienses acu Enceladum, aut alium quemcumque ex Gigantibus pingebant, quem Minerva interfeciisse ferebatur, Sed & interdum aliquos maxime in bello fortes, ac gloria dignissimos exprimebant. Enceladus autem superiori corporis parte hominem referebat, inferiori anguem ; eadem forma fuisse præditi a Poëtis narrantur Gigantes illi, qui cælitibus bellum inferre sunt ausi. Itaque Suidas de Commodo imperatore, omnium crudelissimo, ac teterrimo refert, eum se Herculem, Jovis filium vocari voluisse : quare sibi quandoque Leonis pellem induere, clavamque sumere in manus ; qua multos homines ludens interficiebat : utque pro Deis pugnare videretur, miseris illis crura anguium instar distorquenda curasse, quo Gigantes illos referret ; atque ita clava totum eorum corpus confregisse. Apollodorus, Gigantes truci aspectu, capillo ad humeros promisso, barba ad pectus protensa fuisse scribit. Partes eorum inferiores nobis innuunt, homines impios numinisque contemptores nihil umquam rectum, honestum, justumque præstare, sed alia omnia potius. Itaque *Gigantes.* *Commodi crudelitas.* *Gigantes quid significent.*

que non injuria serpentibus comparantur, qui se humo attollere nequeunt, nec rectum iter incedere, sed oblique hac, illac repant oportet. His Minerva mortem afferre dicitur, nam semper in ignorantiæ tenebris versantur, nec umquam oculos sursum attollunt, ad divinum illud lumen intuendum, quod iis prælucet, qui ad glorioſam, æternamque vitam contendunt: idque significat subsidium, atque favor ille, quo *M*inerva eos prosequitur, qui suam opem implorent; quales fuisse narrantur *P*erseus, atque Bellerophon, qui, ab eadem Pegaso equo alato, domito, & ad equitandum accommodato insidens, Chimæram confecit. Quamobrem apud Corinthios, ut Pausanias in Corinthiis narrat, erat ligneum simulacrum, facie tamen, manibus, atque pedibus marmoreis existentibus, quam *M*inervam Frænatricem vocabant; eam enim primam esse dicebant, quæ *P*egasum equum frænasset, eumque Bellerophonti tradidisset. Prometheus etiam ejusdem ope fretus, cælum conscendisse dicitur, indeque ignem in terras asportasse, quo tot artes mortalibus ostenderit; quæ & *M*inervæ ideo attribuuntur; quod humanum ingenium novas quotidie artes invenit, easque ignis ministerio exercet; nam in eis duo sunt necessaria; quorum unum est industria, qua quid sit faciendum, excogitamus; alterum est ipsum opus, ingenio jam excogitatum, atque designatum; prius Minerva significatur, posterius Vulcano, qui suo nomine ignem adumbrat; quo instrumento ad omnia fere conficienda utimur; ignis enim simul calefacit, atque splendet; quorum alterum si desit, nihil propemodum perfici potest. Sed tamen non omnia ars exsequi valet, quæ ingenio excogitata, inventaque fuerint; ea enim, corpori alligata, ab eo ne latum quidem unguem potest recedere, nec præstare quod sit supra ejus vires: sed ingenium sæpe è corporeo habitaculo evolat, & qualibet, discurrit, naturæ; atque etiam Dei opera considerans, eorumque exempla mente, & cogitatione concipit, quæ tamen opere ipso repræsentare nullo pacto potest. Itaque fabulis est fictum, Vulcanum nunquam Minervam uxorem ducere potuisse, quamvis summis viribus ad ejus nuptias expugnandas esset usus, Jove præsertim consedente. Sed tamen sæpè legimus eorum simulacra simul in eodem templo fuisse reposita. Quod Plato in suo Atlantico confirmat, dicens ambos Deos ex æquo Athenarum Urbi præesse; ibi enim illa tempestate, non solum litterarum Studia, sed etiam cæteræ omnes artes floruerunt. Ita quoque de Neptuno, atque Minerva fertur, quos simul Jupiter eisdem Athenis præfecerat. Itaque Athenienses in suis nummis ex una parte Minervæ caput, ex altera tridentem, Neptuni insigne imprimebant: hunc Regem appellabant, illam vero Civilem cognominabant, illud alludentes, quod civitatem pacifice, ac prudenter, administrare oporteat, quod quidem etiam privatis in ædibus opus est facto. Quamobrem in urbium ac domorum

Minerva Frænatrix.

Vulcanus.

Neptunus & Minerva simul.

portis

portis Minervæ effigiem olim exprimebant, sed Martem in rusticis ædibus effingebant, hoc innuentes, bellum quoad ejus fieri possit, à nobis propellere nos debere. Eadem ratione Romani ea numina, quæ rebus noxiis præesse existimabant, à civitate in suburbana ablegabant; ut de Bellona ac *Marte* legitur. Sed tamen hic templum etiam intra pomeria dicitur habuisse, ubi pacificum numen sit habitum, ac Quirinus nuncupatus. De eo mox dicam, cum aliqua de Vulcano differuero, de quo apud Eusebium in libro de præparatione Evangelica legitur, eum ignis virtutem esse appellatum, & in forma hominis et simulacrum constitutum, in cujus capite pileus esset cæruleus, cœlestis Symbolum Volutionis, ubi integre Sincernsque ignis invenitur. Nam qui è cœlo in terras delapsus est, cum materia hac impura alatur, impurus & ipse est. Vulcanus autem Claudus dicitur, quod hæc apud nos flamma claudicare videatur; nam sursum non recte tendit, sed tremula hac, illac se commotat: hoc accidit, cum non sit pura, sed crassa cum hac materia commista, à qua impeditur, quominus recta ad superiorem locum contendat. Alexander Neapolitanus in libris Genialibus scribit (quod quidem cum arbitror ab Herodoto fuisse mutuatum, licet in aliquibus ab eo differat) in Ægypto Vulcani statuam fuisse manibus murem continentis, eumque ideo ita effictum, quod vulgo sit creditum. Vulcanum, quondam maximum murium numerum, contra Arabes immisisse, qui Ægyptum ingenti exercitu invaserant: qua ex re domum ingredi, compulsos. Sed eamdem rem Herodotus ita narrat. Seton idem Vulcani Sacerdos, ac Ægypti Rex, cum militibus fere destitueretur; nam nunquam eorum ullam rationem habuerat, à Senacheribo Arabum rege maximo exercitu imparatus offensus; in summa rerum omnium difficultate animum desponderat. Sed maximo mœrore affectus, prope Vulcani simulacrum somnum cepit; ubi in somnis est ei Deus visus, qui eum bono animo esse juberet, & ut parvam illam manum, quam secum haberet, armaret, præcepit; nam se ei suppetias missurum pollicebatur. Itaque Rex evigilans, exiguas quasdam copias, ut potuit, instruxit: quibus hostibus obviam processit, ac castra contra eos est metatus, Sed noctu in Arabum castra, innumeræ murium turmæ irruerunt, qui, arcuum chordis, clypeorum loris, & cæteris bellicis instrumentis, quæ ex corio constant, corrosis, eos ex Ægypto concitatissime fugere compulerunt. Itaque in Vulcani templo Setonis effigies visebatur, manu murem continentis: & hujusmodi Epigramma legebatur; A me pietas discatur, & Religio. Ex hac re Arabes forte tantum in mures odium conceperunt, ut eos postea semper ad necem quæsierint; quemadmodum *Plutarchus* de eis, de Æthiopis, ac Persarum Magis refert; qui dicebant, sonitum illum, quem hujusmodi bestiolæ rodendo ederent, maxime Diis esse molestum. Neque ulla, quantum me legisse meminerim, exstat apud scriptores ratio,

Minervæ effigies in portis.

Vulcanus.

Vulcanus cur claudus.

Vulcanus murem tenens.

ratio, cur supradicta murium immissio Vulcano tribueretur. Sed non absurde fortasse pro eo temporis, ac soli siccitas capi posset. Nam Plinius lib. X. de murium fœcunditate scribens, proventum eorum siccitatibus adscribit: itaque hyeme non amplius exstant; illudque latet, quonam modo illa multitudo repente occidat; nam nec exanimes reperiuntur neque est, qui murem hyeme agro effoderit. Fabulæ, quæ de Vulcano feruntur, sunt multiplices, eæque nobis præclara argumenta suppeditare possunt, varie cum effingendi. Sed, ut ab ortu ejus incipiamus, ex Junone natus dicitur; quæ, cum eum admodum deformem cerneret, è cœlo præcipitem dedit, qui in Lemnum, quæ est Ægæi insula, cecidit, ex casuque; diffracta tibia, claudus est effectus. Quod Physici interpretantur de fulmine, quod est ignitus vapor; hoc est infima aeris parte, maxime omnium crassa, ac densa in terras cadit: aerem autem Juno adumbrat. Vulcanus, jam grandior natu effectus, injuriæque à matre acceptæ memor, ut eam ulciscereturaut, ne Herculi pro libidine noceret, prohiberet, prout Suidas ex Pindaro, & Epicharmo refert, auratam sedem ei dono misit: in qua illa cum se collocasset, ita adhæsit, ut exsurgere nequiret, nec cælitum ope usa, se ab illa extricare valuerit. Itaque Dii summis precibus à Vulcano contenderunt, ut, in cœlum ascendens, matrem vinculis illis, à se artificiose intextis, exsolveret: sed ille, qui eorum nemini se crederet, illuc se conscensurum negavit: tandem uni Bacho fidens, ruit, matremque liberavit. Id Pausanias etiam in Atticis confirmat, scribens, Athenis Bachi effigiem cerni, Vulcanum in cælum secum, ad matrem solvendam reducentis; & in Laconicis, apud Lacedæmones in Minervæ templo esse Vulcanum, matris vincula solventem. Idem etiam in vasta spelunca exsistens effingitur, qui una cum Cyclopibus ad caminum adstat; ubi ex ferro varia opera fabricat: nam Dii, quotiescumque armis indiguissent, quibus ipsi, vel aliquis eis carus fuisset usurus, Vulcanum adibant; quemadmodum de Thetide narratur, quæ arma pro Achille filio ab eo efficienda curavit. Ita is fuit in Cypseli arca exsculptus, ut Pausanias in Eliacis prioribus refert, dicens, eum, qui Thetidi arma præberet, claudum fuisse, cui quidam cum forcipibus retro adstabat. Venus quoque ab eodem arma pro Ænea filio habuisse fingitur. Poetæ, cum quidpiam magno cum artificio confectum, ac affabre factum describere volunt, id à Vulcano fabricatum dicunt. Quæ narrationes quamvis fabulosæ, optime iis accommodari possunt, quæ de eo juxta historiam Suidas narrat; eum scilicet in Ægypto regnasse; ibique numinis loco habitum, quod dubia, quæ in religione inciderent, omnium optime dissolveret; eumdem admodum bellicosum fuisse. Itaque ex vulnere in prælio suscepto, claudus est effectus: illum etiam primum exstitisse, qui ferrum ad arma bellica atque rustica instrumenta conficien-

Vulcanus è cœlo projectus.

Vulcanus ad caminum.

Ferro quis primus usus sit.

conficienda adhiberet. A Poëtis præterea Vulcanus traditur, Venerem uxorem in adulterio cum *Marte* deprehensam reti subtilissima implicasse; idemque vim Minervæ intulisse, sed frustra; plurimaque alia de eo feruntur, quæ, cum ad ejus imaginem adumbrandam minus facere videantur, à me consulto prætermittuntur. Is dicitur claudus fuisse, niger, turpis, fuligine inquinatus, quales fabri ferrarij solent esse: quare est ita effingendus. Nonnulli eum nudum depingunt: alij pannosum, & laceris vestibus semi indutum exprimunt, pileumque capiti imponunt. Apud Herodotum legitur, Memphis quæ est Ægypti urbs, Vulcani simulacrum simile esse plataicis Diis, sic a *Phœnicibus* dictis, quos illi in navium proris ferre solebant, formamque Pygmæorum referebant. Vulcanum ergo sic effictum Cambysem Regem, cum in ejus fanum esset ingressus vehementer irrisisse. Huic etiam ab Ægyptiis leones dicatos fuisse refert Elianus: sunt enim naturæ igneæ: indeque fit, ut propter maximum, quem intra pectus ardorem inclusum habent: vehementer ignem reformident. Alexander Neapolitanus scribit, Romæ canes Vulcani templum custodisse, qui nunquam latrarent, nisi qui eo animo illuc ingressus esset, ut aliquid inde surriperet. In Ætna etiam canes in ejusdem templo ac luco custodes erant appositi. Victores quin etiam spoliatis hostium cadaveribus, ac in acervum scutis, aliisque armis collectis, & postea incensis, Vulcano sacrificium offerre solebant: Quemadmodum Virgilius lib. IIX. Æneidos, Evandrum inducit, qui id se fecisse dicat, eum victor fuit Præneste sub ipsa. Quod Servius vult ex Historia Romanorum, esse desumptum, ubi legitur, Tarquinium Priscum devictis Sabinis, omnia eorum arma in Vulcani honorem cambussisse, cæterosque ejus templum esse sequutos. Itaque in more erat Positum, ut quidquid in Vulcani sacrificiis oblatum esset, flammis traderetur. Sacrificium etiam apud Veteres fuit, quod vocabatur *Protervia*: in in eo mos erat, sicuti refert *Macrobius*, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis jocus est: nam Albidium quemdam, qui sua bona comedisset, & novissime domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, *Proterviam* fecisse dicebat: quod comesse, non potuerit, id combussisse. Est in fabulis Venerem & Vulcanum conjuges fuisse: nam rerum ortus, qui Venere adumbratur, absque calore effici nequit: calorem autem Vulcanus optimè repræsentat. Hac eadem ratione Veteres finxerunt Martem cum Venere concubuisse, eum pro Solis æstu capientes: licet Aristoteles id eo respicere velit, quod homines Bellicosi: valde sint ad Venerem proclives: Quare Acitani Hispana gens simulacrum *Martis*, ut *Macrobius* lib. I. Saturn. refert, radiis ornatum, Solis instar maxima religione colebant. Et certe ratio naturalis exigit, ut idem subiicit, ut Dij, caloris cœlestis parentes magis nominibus, quam re, substantiaque diversi sint: Ferro rem

Vulcani imago.

Leones sacri Vulcano.

Canes Vulcani custodes.

Venus & Vulcanus conjuges.

Mars cum Venere.

vorem enim quo animus excandescit excitaturque alias ad iram, alias ad virtutes, nonnumquam ad temporalis furoris excessum, per quas res etiam bella nascuntur, Martem cognominaverunt, quem belli Deum esse dixerunt, quemadmodum etiam Minervam, quæ sicut absque matre nata esse fingitur, ita & ille absque patre: nam in fabulis habetur, Junonem cum Jovi invideret, quod filiam absque se peperisset, ipsam quoque sine illius opera filium edere voluisse; alii dicunt, floribus quibusdam usam, quos ei Flora ostenderit, ut Ovidius refert; alii aliter de re fabulantur. Ea ergo gravida effecta, Martem in Thracia peperit, ubi populus est admodum ferox, atque bellicosus: ex quo discimus, bella plerumque nasci ex cupiditate regnorum, ac divitiarum, quas Juno significat. *Mars* est ab antiquis effictus ferox, truci aspectu, armatus, manu hastam atque flagellum gestans: eumque interdum equo, interdum currui imposuerunt. Homerus ejus currum à duobus equis trahi dicit; quorum unus Terror, alius Timor appelletur. Alibi idem non equos eos vult esse, sed comites; quibus etiam Impetum Furorem, ac Violentiam adjungit: quod Statius lib. VII. Thebaid. imitatur, cum Martem inducit, ad dissidia in duos fratres Eteoclem, ac Polynicem serenda, proficiscentem; posteaquam ejus arma descripsit (hæc sunt galea quæ ardere, ac fulmen ei cono loco effixum esse videbatur; thorax auratus, ac terribilibus & formidandis monstris refertus, clypeus luce sanguinea fulgens) eum circumstare dicit Furorem, & Iram; equorum frænа Terrorem moderari; Famam omnes præcedere, tam veri quam falsi nunciam: nam ea ex levi interdum rumore oritur, quod paulatim crescens, omnia demum loca complet. Homerus eam Jovis nunciam vocat. Veteres hanc etiam Deam habuerunt, mulieremque effinxerunt, panno quodam admodum subtili indutam, & subcinctam, quæ tubam inflans velociter hac, illac discurrere videretur: alas etiam ei addiderunt. Sed præstat, ut artificiosissimam ejus descriptionem ex Virgilio lib. IV. Æneid. petamus: ea sic habet;

Mars.

Imago 62 a.

Martis ortus.

Martis imago.

Equi Martis.

Arma Martis.

Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore pluma,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti, pravique tenax, quam nuncia veri.

Fama duplex.

Hæc non solum tristia, sed etiam interdum fausta nuncia affert: ideo duplicem Famam fecerunt: malam illam alis nigris effinxerunt; juxta illud Claudiani contra Alarieum;

Famaque nigrantes succincta pavoribus alas.

Eas alas aliqui Vespertilionis similes efficiunt. Fama ergo Martis currum præcedere dicitur; nam belliorum initio plura effutiunt homines, quam postea ita

esse

esse deprehendant. Hæc utriusque partis animos ardentissima ira incendit: quæ plerumque in bello dominatur. Ira autem est omnium animi perturbationum, ut inquit Seneca; vehementissima; nam non solum rationem de sua sede deturbat, sed etiam sæpe corpus ipsum magnopere immutat: ut enim idem Seneca, ac Ovidius testantur, iratorum facies inflatur, ignescit, oculi ardent. Itaque iratus ita se terribilem ostentat interdum, ut non minorem terrorem injiciat, atque Medusæ facies. Hominem iratum designavi: eo quod nullam apud veteres Iræ imaginem repererim, ut, si quis eam depingere velit, ex irati effigie exemplar desumere possit. Furor etiam est Ira quam maxime incensa. Eum veteres vultu terribili, ac sanguine conspersо effingebant, qui supra thoraces, clypeos, galeas, gladios, aliaque arma sedens fremat, revinctus post terga catenis: ita enim eum Virgilius lib. I. Æneidos describit, vultque esse intra Jani templum conclusum. Eumdem vinculis exsolutum Petronius Arbiter, cum bellum Civile describeret, effinxit. Sed, ut ad *Martem* revertamur, nonnulli ejus currui quatuor equos alligarunt, qui naribus ignem spirarent. Isidorus refert, Martem quandoque pectore nudo depictum; quicumque enim in prælium ingreditur, eo animo debet esse, ut adverso pectore fortiter se omnibus periculis opponat. Apud Herodotum legitur, Scythas, licet plurimos Deos colerent, nemini tamen templum, aram, aut statuam dedicasse, præterquam *Marti*: sed omnibus eodem ritu sacrificasse: qui cum sit valde mirabilis, mihi referendus videtur. Erat autem hujusmodi: Victima prioribus pedibus vincta, in medio ponebatur: Sacerdos pone eam in capite percutiebat: qua humi procumbente, ipse ejus Dei nomen invocabat, cui eam immolaret: postea laqueum ejus collo injiciebat, quem baculo quodam intorquens, tandem eam suffocabat. Eam autem cutio denudatam, ac in frusta concisam, igni ex ejusdem ossibus incenso subjiciebat (nam Scythæ maxima lignorum penuria laborant) carnes autem interdum in lebetes, interdum & in bellux immolatæ ventriculum conjiciebat. Itaque eadem victima ex se in se ipsa coquebatur. Sacerdos hoc peracto sacrificium Deo, cui constituerat offerebat. Inter Victimas autem primaria erat equus, quem *Marti* præsertim immolabant. Ejus templum quod sæpè pluviis molaque regionis temperie destruebatur, quotannis reficiebant hoc pacto; omnes simul maximam sarmentorum copiam in unum conducebant, ex quibus struem quadrata forma conficiebant, quæ ex tribus lateribus alta erat; sed reliquum ita demissum, ut ex eo commodè ascendi ad medium posset, ubi acinacis erat, id Verum Martis simulacrum arbitrabantur, quem præ cæteris Diis religiosissimo cultu prosequebantur. Arabiæ Petrææ incolæ, ut Suidas refert, Martis simulacrum sic effingebant: lapidem nigrum, quadratum, quatuor pedes altum, latum duos dedolabant, nulla alia figura expressa: hanc Martis effigiem venerabantur. Statius lib. VII. Thebaid. Palatium ædesque Martis apud Thraces finxit, atque ita descripsit:

Ira.

Furor.

Martis victima.

Imago Martis.

Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Laditur adversum Phœbi jubar, ipsaque sedem
Lux timet, & durus contristat sidera fulgor:
Digna loco Statio, Primis salit impetus amens
E foribus, cacumque Nefas, iraque rubentes
Exanguesque metus: occultique ensibus astant
Insidiæ, geminumque tenens discordia ferrum.

Discordiam veteres inter Deos numerabant, quos non spe boni alicujus consequendi, sed mali avertendi colerent: Nam ubicunque ea tantum esset, inde continuo pax, quies, omnisque tranquillitas effugabatur. Eam ideo Jupiter e cœlo expulisse dicitur. Hæc ad Pelei ac Thetidis nuptias, quo omnes Dii, Deæque convenerant non vocata, tantum indignationis concepisse fingitur, ut pomum in eorum medium projecerit, unde postea magna inter Deos dissidia, ac Trojæ demum exitium est profectum. Eam in morem Furiæ formavit antiquitas; qualem Virgilius lib. VI. descripsit, sic dicens:

Martis simulacrum.

--Et Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis,

Aristides in quadam ad Rhodienses oratione eam dicit esse supino capite, labris liventibus, oculis strabis, putridis, tumefactis, lactymis subinde fluentibus, manibus incontinentibus, mobilibusque, gladium intus ad pectus ferentem, tenuibus, & obliquis innixam cruribus & pedibus; caligine & tenebris ceu reti circumvolutum. Pausanias in Eliacis prioribus in Cypseli arca Ajacem atque Hectorem insculptos scribit, qui inter se Discordia præsente, pugnarent; hancque deformissimæ mulieris speciem præ se tulisse. Nec aliud de ea dixit; nec explicat, quo pacto eam Caliphon Samius, inde exemplo desumpto, in Ephesinæ Dianæ templo depinxerit, ubi & Bellum longe a Græcorum navibus expressit, ut idem eodem in loco testatur. Sed eam omnium optime, ac elegantissime Petronius ita adumbravit:

Intremuere tubæ: ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput, hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.
Strabant irati scabra rubidine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Sed ad Martis domus descriptionem ex Statio desumptam revertamur;

Innumeris strepit aula Minis: iratissima Virtus
Stat medio, latusque Furor, vultuque cruento

Mors armata sedet : bellorum solus in aris,
Sanguis, & incensis, qui raptus ab urbibus, ignis :
Terrarum exuviæ circum, & fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora.
Pœnè etiam, Gemitusque adeo, Vis omnis, & omne
Vulnus ubique ipsum, sed non usquam ore remisso,
Cernere erat.

Pausanias in Laconicis Lacedæmonios refert, Martis statuam vinculis implexam apud se retinuisse, existimantes se eo pacto bellorum Deum apud se semper retenturos, cujus præsidio de hostibus numquam non Victoriam reportarent. Quod apud multas quoque nationes erat usitatum : Nam Romani leguntur quædam simulacra vinxisse, eorum præcipue Deorum, sub quorum tutela urbs erat ; nam ex infinito propemodum Deorum numero, quos antiqui venerabantur, quælibet urbs unum, duosve sibi peculiares seligebat, Tutelares nuncupatos, quos vel hostes ipsi offendere reformidarent. Itaque cum urbem aliquam obsidione premerent, Deos Tutelares evocabant, ac ad se conceptis à sacerdote verbis traducebant, hoc pacto ostendentes se Diis, urbem illam curantibus nolle bellum inferre. Quare Romani Dei suæ urbis custodis nomen ignorari voluerunt, ne scilicet ab hostibus evocatus, urbem desereret. Quamobrem cum Virgilius lib. 1. Georg. Vestam Tiberis, ac Romæ custodem nominat, Servius id poëticè dictum esse cavet, neque existimandum esse dicit, id vere tutelare fuisse urbis Romanæ numen : nam religione inquit, id prohibitum fuisse, ne cuiquam manifestaretur ; Tribunumque quemdam supplicio affectum, qui id efferre ausus esset. Sed, ne forte Tutelares evocati, recederent, eos vinctos continebant ; Quemadmodum Q. Curtius de Tyriis narrat, qui Apollinis simulacrum, primarii urbis numinis, ad Herculis aram catenis aureis religarunt ; nam sub Herculis tutela eorum erat civitas ; ut, si forte is fugam moliretur, ab Hercule retineretur ; cum enim Alexander Magnus urbem obsidione cinxisset, is cuidam civi in somnis fugam adornare fuerat visus. Huic rei illud consentire videtur, quod apud Athenienses visebatur ; nam ij, ut Pausanias in Atticis refert, eam sine alis habebant, ne scilicet à se avolaret. Hæc, sicut Heliodorus inquit, dextera malum punicum, sinistra galeam continebat. Romani autem ut libentius secum permaneret, ei sedes apud Capitolium in Iovis Opt. *Max.* templo constituerunt ; quemadmodum Livius scribit, eo tempore, quo Hieron, Siciliæ Rex, post Cannensem pugnam, ad eos Victoriam auream, una cum aliis quibusdam donis misérat ; quæ quidem illi omnia repudiaverunt, Victoria excepta, quam apud se boni ominis causa retinuerunt. Hæc ab antiquis ut plurimum alata, volans, virginis pulcræ speciem præferens, altera manu lau-

Dii vincti.

Victoria sine alis.

Victoriæ effigies.

ream, aut oleaginam coronam præbentis, altera palmam tenentis effingebatur; ut in numismatibus, ac lapidibus antiquis cernitur: sed eamdem interdum solam coronam habentem, aliquando cum sola palma videmus. Romani ei quandoque laurum in manibus posuerunt; nam eam Victoriæ signum ducebant, eamque cum laureatis litteris conjungebant, quibus scilicet victoria nunciabatur. Itemque cum publica esset in Urbe lætitia de aliqua victoria nuper nunciata, hujus arboris folia in Jovis Opt. Max. gremium conjiciebant. Hac etiam triumpantes coronabantur. Ægyptij in hieroglyphicis litteris Victoriam aquila innuebant, hæc enim cæteras aves fortitudine vincit. Hinc factum est, ut Romani in suis Vexillis aquilam frequentius effingebant. Sed & lupum interdum depinxisse, quod esset *M*arti sacer, & Mino taurum legunt; ut videlicet ostenderent, Imperatoris consilium ita latere debere cæteros, quemadmodum Minotaurus in Labyrintho latitabat. Suem etiam in Vexillis expressum ferebant, nam absque hac bellum fœdus, aut pax non conciliabatur: in quo hujusmodi ritum adhibebant. Cum ex utraque parte pacis aut fœderis legati una convenissent; fecialis post concepta verba, & pacta recitata, silice porcam feriebat, atque interficiebat, Jovem orans, ut ita percuteret eum qui fœderis aut pacis conditiones minus servasset. Legimus etiam Romanos olim pro vexillo fœni fasciculo ad hastæ cuspidem relegato, fuisse visos, itemque & manu aperta, & velo quopiam, quod Labarum appellabant. Effigies quin etiam equi aut bovis interdum in eorum vexillis videbatur designata. Sed tamen his vexillis fere cum se intra castra continerent, utebantur; nam si esset prælium committendum, Aquilam efferebant; eam enim ut Josephus inquit, principatus insigne arbitrabantur, ac boni ominis loco esse credebant. Itaque apud Justinum legitur, cum Aquila Hieronis Adolescentis, & tunc primum militantis scuto insedisset, ab auguribus ei regnum prædictum, ut revera accidit, licet obscuro loco esset natus. Cyrus quoque, quemadmodum Xenophon in Cyri institutione refert, auream aquilam, alis expansis in hastæ vertice ferendam curavit, quod sequentes Persarum Reges sunt imitati. *P*ausanias in Laconicis narrat, in Jovis Templo quod apud Lacædemones erat, duas aquilas fuisse, quæ secum singulæ singulas Victorias portarent; quas Lysander dedicarat, propter duplicem Victoriam, quam de Athenienſibus reportaverat. In celebri illo spectaculo, quod Ptolomæus Philadelphus, teste Athenæo exhibuit, geminæ Victoriæ alatæ Visebantur, quæ vestes habebant, in quibus Variorum animalium species intextæ erant, ipsæque plurimis ornamentis aureis insigniebantur, ferebantque aureas acerras instar hederæ foliorum fabrefactas (forte quod Bacho tunc ministrarent) ad altareque progrediebantur, quod erat aureis hæderæ ramis ornatum. Claudianus in laudibus Styliconis Victoriam trophæis ornatam describit, viridem ei palmam in manus tradens, alas humeris addens: quæ incertos bellorum eventus significabant: nam Victoria,

Laurus Victoriæ signum.

Imago. 64. a

Aquila Victoriæ signum.

Romanorum Vexilla.

Pacis aut fœderis percutiendi ritus.

quæ

quæ nunc ab hoc stare videtur, statim ad illum migrat, eodem Victo vires sæpè addit, diuque victoris memoriam apud posteros vivere facit; perinde atque palma, quo magis onere aliquo premitur, eo majoribus viribus sursum renititur; ejus lignum non putrescit sicut cæteræ arbores, foliaque diutissime viridia conservantur. Quia vero bellorum exitus est dubius Victoria Dea communis est appellata, non secus ac in medio esset et adhæsura, qui majori fuerit usus industria, ut ipsam ad se pertrahat. Eadem quoque ratione Mars est Deus communis dictus: nam utriusque partis commune est, vinci, aut vincere posse. Legimus quandoque Victoriam armatam, vultu hilarem, sed pulvere fœdatam, atque sudore; fuisse depictam, quæ cruentis manibus spolia, ac captivos victoribus præberet. Hanc Prudentius contra Symmachum deridens, atque illos, qui eam colerent, sic inquit:

Victoria communis Dea.

Vincendi quæris dominum? sua dextera cuique est.
Et Deus omnipotens, non pexo crine Virago,
Non nudo suspensa pede, strophioque recincta.
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Sed jam ad *Mar*tem revertamur. Huic equum sacrificabant Romani, qui in cursu victor exstitisset, hoc præ se ferentes, se Marti victoriam acceptam ferre: licet nonnulli dicant, id fieri ad nimiam velocitatem puniendam; hæc enim victis summi præsidij loco est, ut ostenderent in pedum velocitate nequaquam sperandum. *Mar*ti quoque vel tamquam victimæ, vel sicut comites quædam aliæ belluæ sunt assignatæ; quales sunt canis, & Lupus, quæ ejus imagini adjungi possunt; ille quidem, quia natura est domesticorum animalium ferocissimus, atque fortissimus, ut Pausanias scribit: hic aut quod oculorum acie cæteris præstat, ita ut & noctu cernat; quod exercitus Imperatorem admonet, ut sit perspicax, ne in hostium insidias incidat: aut quod natura sit rapax, & cruentus; quod in belli Deum optime quadrati: Cui etiam ex avibus Gallus est dicatus, ut eo vigilantia, quæ in militibus inesse debet, significaretur; vel, ut est in fabulis, Luciano teste, Alectryon miles perquam Marti carus, in hanc avem est conversus, quod non bene excubias, sibi a Marte mandatas, egisset, cum scilicet is cum Venere concumberet. Itaque, dum nihil mali suspicarentur, ambos Vulcanus ingressus, tenuissima reti injecta, involvit. Vultur quoque Marti consecrabatur; nam is cadaveribus pascitur; ideoque castra sequitur, ut natura edoctus, hæc ad cædem faciendam cogi: imo, ut Plinius lib. x. scribit, triduo ante, aut biduo (aliqui dicunt septem diebus ante) volare eos, ubi cadavera futura sunt. Quare olim Reges ante conflictum explorabant, in utrorum castris plures vultures invenirentur, ex eo conjicientes, ab utris victoria esset statura. Picus interdum cum Marte depingitur; atque hac de causa *Picus Martius* est cognominatus; aut;

Equus immolatus.

Animalia Marti sacra.

Vultur Marti sacer.

Picus Martis sacer.

quod

quod ſicut hæc avis roſtro lignum vel duriſſimum percutiens, tandem excavat; ita etiam milites crebris machinis urbis mœnia quatientes; tandem aliquando diruunt, aût, quod ei præcipuus locus ſit datus in auguriis, quibus magnopere milites erant dediti; immo omnes fere olim ita erant addicti, ut nihil vel publice, vel privatim inauſpicato aggrederentur. Ex arboribus nullam adhuc reperi *Marti* ſacram: ſed legi Gramen illi dedicatum; fortaſſe, quod, ut Buccatius ſcribit, hæc herba plerumque latis in locis oriatur, ubi plerumque caſtra locantûr: neque apud Romanos Corona honorificentior, quam Graminea reperiebatur, qua is coronabatur, qui exercitum extremo in diſcrimine conſtitutum liberaſſet. Nil de Marte mihi dicendum reſtat, niſi quod ſolenne feſtum, Paprimide, quod eſt Ægypti oppidum, in Martis honorem celebratum, non mihi ſilentio videtur involvendum. Id ab Herodoto ita narratur; cum anniverſarius feſti dies in orbem revertiſſet, quando circumvicinæ gentes in civitatem confluebant; ſacerdotum aliqui intra fanum in ſacris faciendis circa aras occupabantur, alij circa portas cum ligneis clavis erant; contra quos, ij qui ad feſtum convenerant baculis armati inſurgebant, Martis ſimulacrum, aurato tabernaculo incluſum, ac currui impoſitum intra fanum inferre conantes: quod cum vehementer ſacerdotes prohiberent, orta inter eos pugna, in qua ſe mutuis ictibus cædebant: tandem qui foris erant, expulſis cuſtodibus, currum intra parietes invehebant. Quamviſque multi peſſime baculis, ac clavis acciperetur, numquam tamen ideo eorum aliquis mortuus narratur. Hujus ridiculi ritus eam cauſſam proferebant: quod, cum Martis mater in eo templo degeret, filius jam grandior factus, ut cum ea concumberet, eò acceſſerit: ſed à ſacerdotibus, qui de re dubitabant, licet eum non noviſſent, aditu fuerit prohibitus. At is paulo poſt, coacta non parva ex vicino oppido manu, male tractatis ſacerdotibus, ad fanum penetrarit, matremque violare non dubitarit. Hæc fabula num quid arcani contineat, me latet: nihil certe Herodotus de ea dixit, quid ſignificaret. Similis fere ab eodem in Minervæ ſacris inſtitutus narratur quem nos referre non gravabimur, ut, ſicut ab hujus imaginis tractatione incœpimus, ita in eam deſinamus. Erat autem hujusmodi: quotannis circa Tritonidem paludem, quæ eſt in Africa, ſtato die illius regionis virgines, in quendam locum conveniebant: ubi in duos ordines diviſæ prælium lapidibus, ac baculis inibant: quæque cæterarum judicio fortiſſime ſe geſſiſſet, ab aliis ſepoſita, militaribus armis induebatur, ac currui impoſita, circa paludem maxima, cum pompa circunducebatur: quæ vero in hoc conflictu vitam amiſiſſent, pudicitiam minus ſervaſſe, ac Minervæ opera periiſſe credebantur, ea enim perpetuo virgo fuiſſe dicitur, quandoquidem vera Sapientia, quam Minerva adumbrat, nullam umquam labem admittat, ſed

Gramen Marti ſacrum.

Martis feſtum.

Minervæ feſtum.

ſemper

semper munda, ac sincera perseveret. Itaque in Minervæ sacrificiis mundæ victimæ adhibebantur, quales erant, agna, candidus taurus, indomita juvenca auratis cornibus: ut hoc ostenderetur, virginitatem nequaquam libidinis jugo subjectam, sed puram ac candidam permanere. *Minerva virgo.*

BACHUS.

Licet ex historiis habeatur, Bachum fortissimum fuisse Imperatorem, qui plurimas nationes armis devicerit; non tamen tantum ob egregia sua facinora est ab antiquis celebratus, quantum, quod vini inventor fuisse sit creditus. Itaque eum olim Deum habuerunt, neque *B*achum solum, sed & Dionysium Liberum patrem Lenæum Lyæum eum appellarunt; quibus nominibus diversos vini in nobis effectus expressérunt, ut deinceps, data occasione, explicabimus. Ejus imaginem diverse olim effinxerunt; nam quandoque pueri formam; interdum adolescentis, aliquando & senis ea referebat: eadem nuda interdum vestibus contecta cernebatur, itemque cum curru aliquando expressérunt, aliquando sine curru. Itaque Philostratus in Ariadnæ imagine multis insigniis *B*achum cognosci scribit; nam hæderæ sertum cum corymbis, duo etiam cornua, quæ recens ex temporibus videantur prodire, itemque panthera prope posita *B*achum indicare solent. Quæ omnia ad vini naturam referuntur, quod *B*achi nomine à Poetis innuitur; nam is ut paulo ante dixeram, vini inventor fuisse est creditus, cum mortalibus ostendisset, quo pacto vanæ à vitibus recidendæ, ac earum succus esset exprimendus, qui nonsolum incunctas futurus esset; sed & utilis iis, qui temperate eo uti solet: quod quidem veteres variis *B*acchi imaginibus adumbrarunt: eum enim nudum effingentes, nos docere volebant, vinum ebrietatemque veritatem, antea summa cum diligentia celatam, in apertum proferre: quare proverbio jactabatur, Veritatem in vino inesse ut etiam superius, cum de Tripode loqueremur, dicebamus. Idem ejusdem statua significat, senis formam proferens, capite calvo, ac capillis omnino nudato: præterquam quod ostendit etiam, immodicum vini usum senectutem accelerare, qua in ætate multum vini homines absumunt: causa enim senectutis est, propterea quod humidum innatum in nobis deficit, quod quidem vino reparare studemus; sed tamen sæpissime fallimur: quoniam vinum re ipsa est humidum, illud quidem, & virtute est ita calidum, ut multo majorem humilitatis partem absumat, quam addat: quod Galenus de egregiis vini potatoribus dicit, eos bibendo, magis sitim accendere, dum eam exstinguendam curant. Quare, quoniam vinum calefacit, ideo *B*achi imago plerumque juvenem imberbem, florentem, atque hilarem repræsentat. Huic Comus, conviviorum Deus habitus, est perquam similis: ejus enim imago quemadmodum, à Philostrato describitur juvenis mollis, nec adhuc Ephebi figuram exprimit, adstat ad thalami fores, ubi sponsi cubant: ipse præ vino est rubicundus, & quod Ebriis est rectus dormit; dormit autem faciem in pectus dejiciens, & gutturis nihil ostendens sinistram venabulo sustinens *Bachus cur senex.* *Comus.*

ſtinens. Sed manus ſuſtineri, viſa ſolvitur, unde & quæ eſt in dextera facula manum præ ſomno languentem effugiſſe videtur: Sed Comus metuens cruri adhærentem ignem, ſiniſtram quidem tibiam, in partem dexteram, faculam vero ad ſiniſtram transfert, ut ignis Vaporem declinet, ab expoſito genu manum arcens. *Florum uſus apud veteres.* *Pavimentum* ac loca omnia vicina, ſunt floribus referta; ſed & ipſe Deus floribus contento ſerto eſt redimitus: flores etenim ſunt lætitiæ, ac curarum omnium abſentiæ argumentum. Itaque eos veteres in conviviis adhibebant, ubi hilares homines, ac omnibus curis vacui eſſe debent, neque iis ſua tantum capita coronabant, ſed & vaſa quibus potabant, Quare fores nonſolum *Bacho*, (ut paulo poſt oſtendam) Sed & Como conveniebant. Sed ad Bachum revertamur, quem dicebamus adoleſcentem, hilarem, jucundumque effingi ſolere, nam qui temperate vino utuntur, animos excitant, alacriores, & Vegetiores evadunt, & meliori quoque ingenio eſſe creduntur. *Bachus Muſarum Dux.* Hinc factum eſt, ut veteres Bachum, Muſarum ducem, ſicuti & Apollinem finxerint, neque ſolum lauro, quæ eſt ſacra Apollini, ſed & hedera quæ Bacho tribuitur, Poetæ coronarentur. Quamobrem in fabulis habetur Bachum à Muſis Nyſæ (quæ urbs eſt in India) fuiſſe educatum: à qua aliqui volunt, cum dictum eſſe Dionyſium, ab hoc Amphitryon Athenarum Rex ut Atheneus refert, didicit, aquam cum vino permiſcere: *Aqua vino admixta.* quod quidem inventum maximam attulit mortalibus utilitatem: quare ei in Horarum templo aram poſuit; hæ namque cum ſint anni tempora, viti augumentum atque fructus præbent; prope abain Nymphis dicavit, quo admonebat vino temperate utendum: Nam Nymphæ pro fontium, ac fluviorum aquis capiuntur, quæ ad potandum ſunt idoneæ: ſed & Muſæ, quæ ſæpe eædem cum Nymphis ſunt, Dionyſii nutrices fuiſſe perhibentur. Sicuti *Silenus.* Silenus ejus pædagogus extitiſſe dicitur; ideoque eum ſemper comitari fingitur, aſello vectus, cum, quod ſenectute debilitatus, pedibus ambulare nequit, tum quod plerumque eſt ebrius: quod innuit ille, qui apud Eleos, ut Pauſanias refert, Ebrietatem effinxit, ei poculum porrigentem. Eum etiam à Bachi conſiliis Plautus facit, cum eum aſello inſidentem, Bachiadis prologum recitantem inducit, profitentemque ejuſdem ambos eſſe ſententiæ. Idem Naturæ Deus efficitur: de cujus primordiis Virgilius Ecloga vi. eum diſſerentem introduxit, à duabus Satyris, ac Nympha quapiam coactum, qui eum in antro quodam dormientem, atque Ebrium deprehendiſſent prope pendente cantaro, propriis eum ſertis, quæ ex capite delapſa erant; colligarant: Nympha vero moris frontem, ac tempora linxit. Hujuſmodi belluas verum, niſi coactis fateri noluiſſe apparet. Itaque legitur Mydam, Phrygiæ Regem, cum neſcio quid hominibus incognitum diſcere vellet, diu Silenum quendam inſectatum eſſe, quem tandem comprehenderit, vino in fontem quempiam large effuſo, quem Pauſanias ſcribit, ſuis etiam temporibus oſtendi.

Imago 66.a

Plu-

Plutarchus refert, Midam à Sileno didicisse homini præstare citò mori, quam diu vivere. Apud Plinium legitur in Paro Insula aliquando dum marmor secaretur, Sileni imaginem fuisse repertam: cujus effigies, qualis esset, facile cognosci potest, ex iis, quæ supra in Panis imaginem de Satyris diximus; Nam Pausanias Satyros asserit, cum senes evasissent, Silenos fieri: licet enim Dii existimarentur, senectuti tamen & morti erant obnoxii, extat apud Diodorum, Bachum dupliciter effingi solere, nam interdum severus, promissa barba cernebatur; aliquando pulchro, aspectu hilari, ac juvenili erat præditus. Ejus prior effigies significat, vinum immodice sumptum, homines terribiles, feros, iracundosque reddere: Posteriori docemur eodem temperate hausto homines hilares, ac jucundos effici solere. Macrobius lib. I. Saturnal. omnes bachi facultates, sicut & cæterorum Deorum ad solem refert, dicens ejus imaginem interdum puerum, interdum adolescentem, item & virum jam maturum, senem etiam aliquando exprimere, quod in sole omnes has Ætates cernamus, liceat; nam is parvulus refert brumam, quod tunc brevissimus sit dies, exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figuraque juvenis ornatur: postea ejus ætas statuitur plenissima, effigie barbæ, solstitio æstivo, quo tempore summum sui consequitur augmentum: exinde per diminutiones veluti senescenti quarta forma Deus figuratur. Cumque Bacho cornua sint addita, quidam iis Solis radios repræsentari dixerunt. Sed Diodorus id eo spectare arbitratur, quod Bachus primus omnium homines docuerit, quo pacto boves essent ad aratrum trahendum jungendi. Itaque Martianus lib. 1. ei falcem in dextera tradit, quæ agrorum cultum innuit, ut supra in Saturno diximus; aut quod ea sint vites recidendæ, ut ampliorem fructum proferant: idem ejus in sinistra Cantharum collocat; sed cum aspectu jucundum, hilaremque describit. Nonnulli pro cornibus audaciam intelligunt, quam largo potu homines concipiunt, quemadmodum Festus, Philostratus, ac Porphyrion tradunt. Sed omnium optime Athenæus ex antiquorum auctoritate varios vini effectus colligit, cum scilicet ejus usus moderatus fuerit, aut immodicus. Ex Persio, Catullo, aliisque Poëtis habemus, in hujus Dei sacrificiis cornua veteres adhibuisse. Musonius in hanc sententiam ita scribit; Bacho non solum cornua sunt tributa, sed is à nonnullis Poëtis taurus est appellatus; nam fabulantur Jovem, in taurum conversum, cum Proserpina sua filia concubuisse, quæ, ex eo gravida effecta, Bachum, taurinam formam habentem peperit. Itaque apud Cyzicenos Bachus tauri facie exprimitur; fortasse, quod veteres pocula ex cornibus efficiebant: nam Theopompus scribit, in Epiro boves ita magna cornua habere, ut ex eis vascula fabrefiant, quibus veteres circa os circulum aureum, aut argenteum accomodabant. Idem multorum auctoritate comprobat, olim cornubus pro poculis homines usos fuisse. Quare Athenienses argenteis vasculis potabant, cornuum formam

Bachus dupliciter effictus.

Cornua Bacchi.

Imago 67. a.

referentibus. Quidam Bachi cornua voluerunt esse capillos, qui ex utraque capitis parte prope aures promittuntur, reliquo capite raso, quales videmus nostra tempestate Armenios Sacrificulos. Dicunt etiam Lysimachum regem cornutum effictum, ut in antiquis numismatibus cerni potest. Seleuci etiam Nicanoris statua cornuta exstitit, cujus rei ea est causa, ut Suidas refert, quod taurum ab ara fugientem, cum Alexander eum esset immolaturus, is cornibus comprehenderit. Bachum autem longas comas habuisse, Seneca in Oedipo ostendit, ita chorum loquentem inducens.

Effusam redimite comam, nutante chorymbo,
Mollia Nysæis armate brachia Thyrsis, &c.

Eum interdum habitu fœmineo induerunt, ut apud Philostratum in Ariadnæ imagine cernitur, cum eum ad Ariadnam proficiscentem veste purpurea, ac longa, rosisque coronatum describit: cumque comitabantur mulieres quædam, Bachæ dictæ, Nymphæ, Sileni, Satyri, Fauni, Sylvani, & cæteri ejus ministri, quos in marmore à Dædalo in Creta inciso Strabo refert. Hi omnes à Catullo in Epithalamio Nuptiarum Pelei, & Thetidis in Bachi comitatu fuisse dicuntur; ita enim ibi scribitur:

Horum pars tecta quatiebat cuspide thyrsos:
Pars è divulso jactabant membra juvenco:
Pars sese tortis serpentibus incingebant:
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani:
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant:
Multi raucisonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.

Hæc erant Bachi mysteria, quæ in ejus Festis diebus celebrabantur: & erant hujusmodi; vini amphora, pampinis circumdata præferebatur, post sequebatur is, qui caprum trahebat, huic is succedebat, qui phallum gestabat. Ita eam pompam Plutarchus describit, cum de divitiarum cupiditate loquitur, quæ, paupere & simplici hoc ritu etiam in Bachanalibus contempto, aurea vasa, vestem pretiosam, sumptuosos currus introduxit, ut Athenæus refert; cum Bachanalia splendidissima à Ptolemæo Philadelpho celebrata recenset. In Bachi pompa vannum ferre solebant, qui quidem ei erat sacer; nam ut Servius inquit, olim Bachi mysteria multum ad animi purgationem facere credebantur, perinde atque Vannus ad tritici expurgationem est inventus. Buccatius scribit, hujusmodi purgationem ex aliquorum sententia per ebrietatem perfici, quæ Bachi est mysterium; nam, ubi ejus impetus per vomitum, aut alia ratione deferbuerit, & animo ad tranquillitatem

Vannus Bacho sacer.

Ebrietas Bachi mysterium.

tem redacto, videtur homo omnium præteritarum curarum oblitus, maxima Jucunditate frui; quod etiam Seneca in lib. de tranquillitate animi testatur. Ideoque juxta nonnullos Bachus est liber pater cognominatus, nam qui largioribus sese ingurgitaverit poculis, à sollicitudinibus liberatur, multo loquitur liberius, quam si esset siccus. Alii voluerunt nomen deductum esse à libertate, cujus Deus is credebatur, nam Bachus pro ea multum, diuque, quemadmodum Plutarchus in Problematibus narrat, tamquam pro aris & focis pugnavit, unde profectum est, ut apud veteres in liberis civitatibus, simulacrum Marsyæ, qui ex Satyris Bachi ministris erat, veluti libertatis insigne, ut Servius alicubi scribit statueretur, apudque Plinium lib. XXI. legitur. P. Munatium, cum demptam *M*arsyæ coronam è floribus capiti suo imposuisset, ob id in vincula conjectum fuisse. De Marsya in fabulis habetur, eum ab Appolline pelle mundatum, quod tibia inventa quam Minerva projecerat, ausus esset eum ad ejus inflandæ certamen provocare; ob cujus mortem tot lacrymas Nymphæ, ac Satyri profuderunt, ut flumen Marsyam dictum effecerint. Sed ita se res habet; eum scilicet peritissimum fuisse musicum, tibiæque inventorem, quemadmodum ex Metrodoro Athæneus refert, qui mente captus ut Suidas testatur, se in fluvium projecerit, qui postea ex eo *M*arsyas sit dictus. Pausanias in Atticis scribit, in Athænarum arce Minervæ simulacrum fuisse, Marsyam verberantis quod tibiam à se projectam sumpsisset. Sed ut ad Bachi Vestes revertamur, nonnulli muliebres eas faciunt; nimius enim vini usus vires debilitat; hominemque effæminatum reddit. Itaque Pausanias in Eliacis prioribus refert, in Cypseli arca Bachum promissa barba talarique veste exsculptum fuisse, quique in quodam antro viribus ac fructiferis arboribus multis circumdato jacens, pateram porrigeret. Fertur quin etiam Bachus Bassareus fuisse cognominatus, quod nomen ex quapiam veste est factum, qua ipse, ejusque Sacerdotes dum sacrificarent, utebantur. Hæc Bassara dicebatur, à quodam Lydiæ oppido sic vocata, ubi ea conficiebatur; vel à Vulpium pellibus, quæ Thracum lingua Bassaræ appellabantur. In Thracia autem cum Bachæ assectabantur, quæ ideo etiam Bassaræ sunt dictæ, vel Mænades, quod nomen est a furore dictum, nam hæ in Bachis festis, sparsis capillis, Thyrsos gestantes, ac furentes, hac illac discurrebant; ut ea commemorarent, quæ quondam gesserunt, cum Bacho se comites adjungentes orbem terrarum plurima regna pessundantes, peragrarunt. Neque solum hujusmodi mulieres Vulpium pelles sibi induebant, sed Pantherarum atque Tigrium, Thyrso armatæ, comas interdum Hederæ sertis adstringentes, interdum & populi frondibus: hæc namquæ arbos Diis manibus erat sacra, eamque in Acherontis ripis natam credebant, idemque Bachi ministris tradiderunt: quod eum infernum Deum fuisse ducerent. Itaque ut superius diximus, ex Proserpina eum natum dixerunt; quod recte

Imag. 58. a.

Marsyas.

Bassareus.

Populus Piis Manibus sacra.

recte se habet, si sub *Bachi* nomine solem intelligamus, quem diximus interdum Deum infernum appellari. Eodem modo quo Bachæ exprimuntur, etiam Bachus ipse aliquando videtur expressus, ut apud Claudianum lib. 1. de raptu Proserpinæ.

– Latusque simul procedit Bachus
Crinali florens Hedera, quem Parthica tigris
Velat, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Mæoniis figit vestigia Thyrsis.

Quod Claudianus de Thyrso dicit, alii ferulæ tribuerunt, qua Bachus innixus, se sustineat, eandemque cunctis Bachi comitibus in manus tradiderunt. Cujus rei rationem Eusebius ex Diodoro affert, quæ talis est; cum homines initio nimio vini usu inebriati, ad celebres contentiones venirent, in quibus baculis se feriebant, ac sæpe alter alteri vulnera, ac mortem inferebant: Bachus iis persuasit, ut inposterum pro baculis ferulas ferrent: Nam ex earum plagis nullum fere periculum timendum fuerat. Ferula autem est admodum arundini similis, cujus folia asinis sunt gratissima, ideo asinus ei Deo, secundum Plinium est datus, cui ferula erat sacra. Scribit præterea Diodorus, Bachum quandoque se in bello armasse, solitumque Pantherarum pelles induere: nam non semper ebrius erat, sed sæpe fortissime pugnasse legitur, ita ut multos Reges superarit, ut Lycurgum *Pentheum* cæterasque, Indiamque sibi subegerit, unde victor Elephanto insidens, dum reverteretur, primus omnium triumphavit. *Quare* Bacho, tanquam triumphi inventori pica dicata fuit, quæ avis est sanequam garrula, ac loquax, in triumphis etenim cuique fas erat, triumphatori proba omnia objicere, ut Suetonius in Julio Cæsare refert. Huic quoque Deo veteres Sertorum inventionem tulerunt, acceptam: nam ut *Plinius* testatur, is primus sibi coronam ex Hedera factam capiti aptavit. Quamobrem Alexander magnus eum imitatus, cum victor ex India reverteretur, universum exercitum Hedera coronari jussit. Hedera autem Bacho multis de causis est data: Festus vult, id ideo esse factum, quod *Bachus* semper juvenis effingatur, sicut illa semper viret, aut quod quemadmodum ea arte complectitur id, cui adhæret, ita & vinum humanas mentes arctissimis quibusdam vinculis alligat, quominus suo possint munere fungi. Plutarchus scribit, hederam occultam quandam vim possidere, quæ mentem de sede sua dimoveat, & furore quodam compleat, ita ut absque vini potu homines ebrios reddat. Hedera à Græcis χίσσος dicitur à quo χίσσων derivat, quod est libidinose aliquid appetere: ideoque Fulgentius vult, hederam Bacho Tributam, quod maxime homines ad libidinem à vino concitentur. Itaque proverbio fertur, sine Cerere & Baccho frigere Venerem. Macrobius lib. 1. Saturnal. de Bacchi Thyrso scribit, in eo latens telum fuisse, cuius mucro Hedera lambente protegeba-

Ferula Bacho data.

Bachus triumphi inventor.

Serta à Bacho inventa.

Hedera cur Bacho data.

Imago 69.a

gebatur; idque ostendere, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus belli; cum hedera habeat vinciendi & obligandi naturam. Diodorus scribit, ab Ægyptiis hederam, Osiridis plantam appellari, eique fuisse consecratam, tamquam ab ipso fuisset inuenta; ab eisdemque in sacris rebus pluris hederam, quæ semper viridis perseueret, quam vitem, cujus folia hieme arescant, esse factam. Id à veteribus in cæteris arboribus observatum legimus, quæ assidue virent: ideoque Veneri myrtum, laurumque Apollini dicarunt. Bacchus non solum hedera, sed etiam interdum ficus foliis coronabatur; idque ob Nymphæ cuiusdam memoriam, quæ Syce vocabatur; συκῆ enim ficum apud nos sonat, hanc ferunt a Baccho adamatam, in hancque arborem postea conuersam fuisse: quemadmodum & de Cisso puero, ab eodem etiam amato, narratur, qui demum in hederam mutatus dicitur; idemque de Staphyle Nympha, poetæ fabulantur, quæ in vitem est versa, cum ab eodem amaretur. Itaque nihil est mirum; si hæ arbores tantum ei postea gratæ fuerint, ex eisque coronari voluerit; eisdem etiam olim ejus currus, clypeus, hasta, altariaque ornabantur. Sed legimus eius serta quandoque ex Narcysso, quandoque ex aliis etiam floribus fuisse confecta, Diodorus scribit, Bachum diebus festis sibi pretiosas vestes, molles, ac delicatas, floribusque picturatas induisse. Arbor ei præcipue sacra erat vitis, neque id iniuria; nam si Bachus vinum ex uvis expressum significat: quid magis ei respondeat, quam vitis? Hunc præterea curru, & sociis veteres honorarunt, de quibus sic refert Statius. *Thyrsus.*

— Effrenæ dextra, lauaque sequuntur
Lynces? & vda mero lambunt retinacula tigres;
Post exultantes spolia armentalia portant,
Semineceſque lupos, sciſſasque mimallones Vrsos,
Nec comitatus iners sunt illic Ira, Furorque,
Et Metus, & Virtus, & numquam sobrius Ardor,
Succiduique gradum castraque simillima regni.

Currum Bacchi Buccatius lib. v. Geneal. ad vini effectus refert, quod hominis cerebrum ita interdum in orbem conuertit, quemadmodum currus rotas torqueri cernimus. Quod quidem ita esse, quotidie experimur: sed tamen, cum Athenæus lepidissimam de ea re referat ex Timæo Taurominitano narrationem, non possum non eam huc inserere; ea sic habet? Quidam Agrigentini adolescentes vna cœnarunt, tantumque vini exhauserunt, ut emotæ Prorsus mentis effecti, sibi in triremi esse, vehementer á tempestate agitata, viderentur: timentes vero, ne nauis onere depressa, submergeretur, ad eam exonerandam, sunt aggressi, ex fenestris extra domum mensas,

sas, lectos, arcas, reliquamque domesticam supellectilem projicientes. Quem strepitum cum præfecti vigilum audissent, illuc accurrerunt, domumque ingredientes, homines in humum abjectos, profundum somnum dormientes offenderunt; quos vehementer agitatos cum vix tandem excitassent, interrogarunt, quid id sibi vellet, quod fecissent; responderunt se tantum tempestate jactatos, ac labore illo, quem in navi exoneranda perpessi essent, defatigatos fuisse, ut vix sui essent compotes; quidamque ex eis subjecit, Ego, inquiens, vehementi timore perculsus, me in sentinam abdidi. Apparitores, cum illos ab errore, in quo erant, abducere diu studuissent, nec quidquam tamen profeciissent, recedere incipiebant: at ebrii adolescentes, Gratias vobis agimus, inquiunt; &, si umquam ex hac tempestate in portum evadere, ad patriamque remeare poterimus, næ vos maxima maris numina celebrabimus, vobis nostram salutem acceptam ferentes. Sed ii multos dies ebrietate illa sunt occupati: itaque ea domus postea Triremis est nuncupata. Bachi currus à tigribus, atque pantheris trahebatur; vinum enim homines harum belluarum instar feroces reddit. Philostratus ideo vult Bacho cum Panthera intercedere familiaritatem, quod ea animalium sit calidissima, leviterque ut Bacha saliat. Idem ejus navim ita describit; Cymbali sunt navi applicati. Prora ad similitudinem Pantheræ educta est: Thyrsus autem è media exoritur navi, mali vicem gerens, cui purpurea appensa sunt vela, in sinu splendentia; aureæ autem intextæ sunt in Tmolo Bachæ. Hedera autem & vite navis est tecta, racemusque super ipsam pendere videtur. Sed & vini fons ex ea scaturiebat, ex quo vectores omnes largiter bibebant. Ita Bachi navem Philostratus describit, in ea tabula, ubi Tyrrhenos Piratas depingit, qui cum hunc Deum, puerum adhuc comprehendissent, ab eo in Delphinis sunt conversi. Fabulam Ovidius lib. III. Metamorph. sic narrat:

Panthera cur Bacho tribuatur.

Bachi navis.

-- Stetit æquore puppis
Haud aliter quam si specum navale teneret.
Illi admirantes, remorum in verbere perstant,
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant:
Impediunt hedera remos, nexuque recurvo
Serpunt, & gravidis distinguunt vela corymbis
Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineus agitat velatam frondibus hastam:
Quem circa Tigres, simulacraque inania Lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum
Exiliere viri, sive hoc insania fecit,
Sive timor, primusque Medon ingrescere pinnis
Corpore depresso, & spina curvamine flecti
Incipit, &c.

Bachi

Bacchi navis etiam noſtra tempeſtate Romæ in D. Agnetis quod erat olim Bacchi fanum, Emblemate expreſſa videtur. De eo Poëtæ fabulantur, eum, cum adhuc infans eſſet, à Parcis fuiſſe ſerpentibus incinctum, qui, nihil eum lædentes, per faciem ac pectus adrepebant. Itaque *Bacchæ*, ejus Myſteria celebrantes, abſque ullo timore, ac periculo ſerpentes tractabant; ut Plutarchus in Alexandri Vita teſtatur, cum de Olympia Alexandri matre loquitur, quæ à ſerpente gravida effecta dicebatur: quod etiam de Scipionis matre eſt creditum, nam ut idem *Plutarchus* refert, ſerpentem, ſæpe in ejus cubiculum ſe inſinuare multi viderunt. Hoc innuebat ritus ille, quem ſupra ex Catullo retulimus, in *Bacchi* ſacris adhibitum fuiſſe, cum Bachi miniſtros ſerpentibus ſe cinxiſſe dicebamus; ibidem etiam ſequitur eoſdem membra lacerati juvenci jactaſſe: nam Pentheus Thebarum Rex Bachi contemptor fuiſſe, ac ejus *Myſteria* celebrari vetuiſſe legitur; quam injuriam ſic Bachus eſt ultus: effecit ut is matri, cæteriſque mulieribus, quæ ipſius feſtum celebrabant, vitulus aut ſicut Ovidius narrat, Aper videretur, qui ſacras ceremonias turbaturus adveniſſet: Quare in eum omnes irruentes, eum in fruſta diſcerpſerunt, quæ furibundæ hac illac diſcurrentes, oſtentabant, cujus rei memoriam renovantes, in anniverſariis Bacchi ſacris juvencum diſcerpere, ac particulas ſecum circumferre ſolebant. Quod fortaſſe eo reſpiciebat, ut id commemoraret, quod Typhon contra Oſiridem perpetrarat; Oſiris enim apud Ægyptios idem erat, ac Bacchus apud Græcos. Itaque Tibullus lib. 1. Ita de eo dicit:

Vitulus lacceratus in Bacchi myſteriis.

Oſiris.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum
Primus inexperte commiſit ſemina terræ,
Romaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam,
Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

Et Paulo poſt

Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus Oſiris,
Sed chorus, & cantus, ſed levis, aptus amor,
Sed varii flores, & frons redimita corymbis
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.
Et Tyria veſtes, & dulcis tibia cantu
Et levis occulis conſcia ciſta ſacris.

Oſiris interdum accipitris forma apud Ægyptios expreſſus reperitur; quæ avis noctu clare cernit, velociſſimeque volat: in quo *Sol*em imitatur, cujus eſt is imago. Sed eundem Ægyptii frequentius, ut Plutarchus de Iſide

Oſiris accipitricis formam habens

& Osiride, veluti hominem, Genitale membrum arrectum habentem, rubroque panno indutum depingebant: cujus rei paulo post, in Priapi imagine rationem affercimus: iis enim quædam Osiridis pars fuit. Nam Typho ejus frater legitur, conjuratione adversus eum facta, eum occidisse, ac in frusta discerptum, inter conjuratos distribuisse: sed membrum virile, cum ab omnibus esset repudiatum, in Nilum fuisse projectum: Isisque ejus uxor cum nihil adhuc de mariti cæde resciviſſet, sed tantum amissum diu, multumque ubi quæsiviſſet, tandemque rem cognoviſſet, Typhonem deviciſſe, ac à conjuratis singula Osiridis membra recuperasse, quibus omnibus suo loco collocatis, cum Virile Membrum deesse comperiſſet, maximum dolorem suscepiſſe, ejusque imaginem maxima religione colendam omnibus proposuisse: quæ postea sub Priapi nomine honores divinos est assecuta. Utque hujus rei memoriam nulla umquam deleret oblivio, anniversaria sacra instituisse, in quibus solemni pompa Osiris cum fletu & lamentis quæreretur; & paulo post tamquam esset inventus; publica lætitia puer circumferretur, qui inventum Osiridem repræsentaret. Itaque huic Ovidius alludens alicubi dixit

Osiris cæsus & in frusta concisus.

-- *Numquamque satis quæsitus Osiris.*

Horus. Idem propemodum Horo accidit, quem Isis ejus mater diu flevit, cum nusquam appareret, sed eo reperto vehementer est exhilarata. Macrobius lib. 1. Saturn. hunc pro sole capi vult, ab eoque horas, in quas est dies distributus, esse dictas. Alii mundum eum repræsentare senserunt. Ejus simulacrum adolescentis erat, manu virilia Typhonis tenentis; nam is narratur, Typhonem deviciſſe, non tamen interfeciſſe, cum in crocodilum versus, ab eo statim aufugerit. Quare Apollinopoli; quæ est urbs Ægypti, lex erat, qua jubebatur, ne ullus honos crocodilis haberetur, sed omnes eos expellerent, caperent, interficerent, cæsos vero ante Hor templum ponerent. De Typhone olim fabulantur, quemadmodum Apollodorus recitat, eum à terra genitum, ut ea Deos ulciscereturn, qui Gigantes interfecerant. Quamobrem eum Plato in Phædro multiplicis naturæ belluam, ardentem, furiosamque appellat: is corporis proceritate, ac robore cunctis ex terra natis longe præstabat. Ejus superior pars hominem referebat, pennisque contegebatur, tam prodigiosæ erat magnitudinis, ut vel altissimorum montium verticem superaret, sideraque capite contingere videretur; is brachia extendens, altera manu ad Occidentem, altera ad Orientem perveniebat: ex utraque manu centum angues capitibus exporrectis emergebant: crura serpentina erant, circum quæ alii serpentes implicabantur, qui universum corpus ambientes, usque ad caput pertingebant, quod horridis, squalidisque crinibus contegebatur; qui per collum, atque humeros se diffundebant: barba ad pectus illud vastum promittebatur: oculi truces erant, ex seque quasdam velati scintillas emittebant: os flammas affatim evomebat. Hunc, cum in cælum ignitos lapides esset

Imago 71.

Typhon.

jacu-

jaculatus, tantum cælites exhorruerunt, ut omnes in Ægyptum aufugerint, utque ab ejus impetu se tuerentur, alii aliorum sibi animalium formam induerint, ut de multis superius à nobis dictum est. Sed tamen immane hoc monstrum tandem aliquando à Jove victum fertur, ut Apollodorus testatur: alii vero dicunt, ut nos superius retulimus, ab Horo fuisse superatum; qui idem fuit, ac Osiris, licet inter se nomine differrent. Itaque Hermipoli, quæ est Ægypti urbs, Accipiter in Hippopotamum impetum faciens effingebatur: pro Hippopotamo Typhonem capiebant, qui malum quodcumque, a terra proficiscens adumbrat. Accipiter virtutem, quæ ei resistit, ac omnem ejus impetum retundit, significat; hæc Osiride, aut Horo ostenditur, qui Solem repræsentant: iidem propter alias rationes à Bacho non differunt: nam, sicut Ægyptii Osiridem dixerunt à Typhone in frusta concisum, ita etiam Græci de Bacho affirmant, quem volunt à Titanis discerptum fuisse. Et hoc illud erat, quod dicebamus, Bachum scilicet solitum membris discerpi juvenci designari. Nam de Bacho ferũt, à Titanis eum cæsum, concisũ coctũ, atque iterum compactum, gypsoq; obductum fuisse, ne scilicet amplius de facie cognosceretur; quemadmodum Suidas scribit; id innuit, uvas conteri, ut inde vinum exprimatur, quod in ligneis vasis, aut lapideis, aut etiam gypseis bullit, ac quodammodo coquitur; immo etiam in alienos injicitur, ut subjecto igni excoquatur, quo melius conservetur: *B*achi membra iterum compingi vites innuit, suo tempore uvas integras, ac solidas proferre. Bachus præterea, quia eam virtutẽ adumbrabat, quæ plantis vim ad fructus maturos proferendos suppeditat, familiare numen Eleusinis Deis, quæ erant Ceres, & *P*roserpina fuisse, ab Herodoto narratur; hæc autem efficere credebantur, ut semen humi sparsum geminaret. *Bachus cum Deis Eleusinis.* Pausanias in Atticis refert, Athenis in Cæsaris templo, Bachum exstitisse, manu ardentem facem porrigentem. Itaque Porphyrius, ut Eusebius refert, vult Bachum fœmineo habitu indutum, ac cornutum esse, ut in plantis duplicem inesse virtutem, ad fructus producendos, masculi scilicet, & fœminæ ostendatur: quamvis vero de palma feratur, eam partim masculei esse sexus, partim fœminei, nec unum altero semoto facile fructus proferre; tamen quælibet arbos folia, ac fructus profert, sine alterius ope, ita ut alteram cum altera conjungi sit opus, ut in animantibus videmus, quæ prolem generare nequeunt, nisi masculus cum fœmina coëat. Unde fortasse fit, ut fabulentur, Priapum ex Bacho ortum esse; ut scilicet demonstretur, semen tam in animalibus, quam in plantis à Sole, vim ad producendum mutuari: quod in Osiridis imagine exprimitur; ubi pannus ruber, quo tegitur, cælestem calorem innuit, qui seminibus, intra terræ viscera reconditis, vim ad producendum tribuit. Suidas scribit, Priapum eumdem ac Bachum esse, qui ab Ægyptiis Horus appellabatur. *Priapus.* Hori effigies apud eos

ita exprimebatur : adolescens dextera sceptrum continebat ; perinde ac dominus omnium esset, quæ hic oriuntur, sinistra autem pudenda tenebat ; nam seminalis virtus ab eo proficisci credebatur : est quoque alatus, ut ejus velocitas indicetur : Ei discus adjaceret, quo mundi rotunditas significatur : nam Sol quem Horus refert, mundum quotidie suo cursu obit. Utque veteres ostenderent, quantum Bachi, *Priapique* numina inter se consentirent, imo potius unum amborum esset numen, in *Bacha-*
Bacchanalium ritus *nalibus* ex collo membri virilis figuram suspensam gestabant ; hanc Phallum appellabant, ex siculo ligno dolatum. Sed apud Suidam legitur ex ru-
Imago 72. 2. bro corio quoque olim hanc imaginem expressam fuisse, quam sibi inter
Phillalophori. coxas suspendentes, per urbem saltitantes discuritabant, cum Bacchanalia celebrarent : hi *Phallophori* dicebantur ; faciem tenuissimis arborum corticibus, aut etiam pelle tegebant, caput hedera aut violis coronabant. Herodotus narrat, Ægyptios cubitales statuas effinxisse, Verendis extensis, ac longitudine penè Corpus totum æquantibus : hasque à mulieribus circumferri solitas per compita super currus, ad hunc nsum fabrefactos, præcedentibus tibiis, ad quarum modos Bachi laudes cantabantur. Idem de mulieribus Romanis legitur, quæ solemni pompa membri virilis imaginem gestabant. Sed *Priapum* ita effingebant, erat puer crassus, deformis,
Priapi imago. virilia vastissima habens, quæ reliqui corporis magnitudinem æquarent. Suidas refert, Junonem, Veneris utero lecto, effecisse, ut is talis nasceretur, ut Jovi scilicet rem molestam faceret, qui eum gravidam effecerat. Sed alij *Priapi* patrem Bacchum fuisse volunt, cujus rei Theodoretus rationem reddens, dicit, pro Venere coitus Voluptatem, pro Bacho Vinum immo-
Mutinus. dice sumptum, capi solere, ex his autem simul conjunctis Priapum existere. Huic similis imo idem *Mutinus* fuit, qui sedens pudenda ostentabat, in ejussinu, omnis causa, nubentes sessitabant, ut earum pudicitiam prior Deus delibasse videretur, ut Varro scriptis testatum reliquit, quod Lactantius Augustinusque in lib. de Civit. Dei referunt. *Priapus* à veteribus De-
Deus Hortorum. us Hortorum est habitus, barbati hominis formam referens, comam implexam habens, nudus, dexteraque falcem tenens, sicut enim Tibullus lib. 1. Eleg. 4. eum describit, ita dicens :

Sic umbrosa tibi contingant tecta Priapi,
Nec capiti soles, ne noceantque nives.
Qua tua formosos cepit solertia cerne
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est :
Nudus & Hiberna producis frigora bruma
Nudus & æstivi tempora sicca canis.
Sic ego, tum Bachi respondat rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce Deus.

Eum

Eum interdum panno quopiam operuerunt, cujus ipse Lascinias in sinum reducebat, in quo omnium generis fructus continebat. Eidem serta ex hortensibus herbis conficiebant: nam custos hortis apponebatur, longam arundinem supra caput habens, ut ea aves deterreret. Ita enim is de se apud Horat. Sat. IIX. lib. 1. loquitur.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus, scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextera coercet
Aspectu importunas volucres in vertice arundo,
Terret fixa, vetatque novus considere in hortis.

Asinus quoque prope Priapum non absurde pingi posset, nam ea præcipue victima hujusmodi Deus delectabatur, ob maximam scilicet, quæ est ibi cum eo similitudinem. Apud Ægyptios Hircus pingebatur, qui Priapi esset Symbolum; nam de hoc legitur, post septimam diem ab ortu ad coitum esse idoneum, ad quem semper sit paratus. Eadem bellua Bacchus innuebatur; nam is fertur in hircum fuisse conversus, cum in Ægyptum una cum cæteris Diis fugisset, ut Typhonis manus evaderet. Apollodorus scribit, Bachum adhuc infantem, à Jove in hœdum fuisse versum, ne à Junone cognosceretur, per Mercuriumque Nymphis nutriendum traditum. Quare ob hanc causam Caper, Victima admodum Bacho cara erat; vel etiam, quod is valde vitibus sit noxius; atque hæc de Bacho sint dicta.

Hircus Priapi Symbolum.

Caper Bacho sacer.

LARES.

LAres Dii Domestici erant, qui intra domesticos parietes colebantur, tamquam Domorum essent custodes: eis prope focum loculum consecrabant, Lararium dictum, quod Lares ibi reponerentur, ubi, & alia quoque simulacra collocabantur; nam Lampridius scribit, Alexandrum Severum duo Lararia habuisse, in quorum uno simulacra Christi, Abrahami, Orphei, atque Apollonii erant; in altero Ciceronis & Virgilii effigies visebantur. Neque privatarum tantum ædium Lares custodes habebantur, sed & universæ Civitatis, & Agrorum quoque, ut Tibullus libro primo his verbis docet;

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.

Itaque, ut Festus scribit, pilæ & effigies viriles & muliebres ex lana compitalibus suspendebantur in compitis; & hunc festum diem esse Deorum inferorum, quos vocant Lares, putarunt, quibus tot *Pilæ*, quot capita servorum; tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent, & essent iis pilis, & simulacris contenti: vel is ritus olim est institutus, quod Lares genios quosdam mortuorum existimarent, qui corporibus exsuti, aliquid ubi

quiescerent habere cupiebant. Sed tamen Lares ut plurimum Dii domestici putabantur; hi juvenili figura effingebantur, canis pelle vestiti, quibus etiam canis assistebat; quod argumento erat, eos domorum fidelissimos esse custodes, domesticis familiares, ac blandos, externis formidabiles, quales solent esse canes. Hæc est Plutarchi in Problematibus sententia, antea ab Ovidio in Fastis allata. Iidem interdum obvoluti toga super humerum sinistrum, & sub dextro formabantur; ut scilicet magis ad suum munus obeundum, essent expediti; quo juxta Plutarchum ibidem, diligentissime hominum opera vestigarent, ne scelera eorum laterent, sed ut de iis à se compertis, justissimas pœnas luerent. His Dii Penates simillimi erant, præcipue in civitatibus custodiendis: nonnulli eos volunt apud Romanos fuisse, Jovem, Junonem atque Minervam; alii autem, Apollinem, & Neptunum, qui Trojana mœnia exædificarunt. M. Cicero eos dictos scribit à penu, sive ab eo, quod penitus insident: & ideo in penitissimis ædium partibus colebantur. Itaque Demipho apud Terentium se domum proficisci velle dicit, Deos Penates salutatum, ut inde in forum ad negotia peragenda revertatur. De figura vero eorum, & forma Timæus historicus scribit, eos Lituos ferreos, & æreos, & Trojanum quoddam vas fictile fuisse, eaque in occultis, & reconditis Lavini jacuisse sacra. Dionysius lib. 1. Rom. historiæ refert, in templo obscuro, & humili, quod erat non procul à foro Romano, duas duorum Trojanorum imagines se vidisse, duorum juvenum sedentium, habentiumque pila in manibus, quibus esset inscriptio D. PENATES; similesque vetustis in templis plerisque conspici juvenes, militari habitu. & cultui quod idem in multis antiquis numismatibus cernitur. Genius etiam Domesticum numen, immo & proprium unicuique habebatur; quem aliqui hospitalitatis Deum esse voluerunt, item voluptatis, ac naturæ; itaque genio indulgere dicuntur, qui voluptati dant operam, naturæ quæ largiuntur quod expetit; geniumque defraudere illi existimantur, qui alia omnia potius faciunt. Horatius lib. II. Epist. ad Julium Florum scribens, de humanarum rerum instabilitate differit, ibique quærit, qui fiat, ut duorum fratrum alter sæpe voluptuosus, alter sit laboriosus: cui quæstioni sic respondet,

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput: vultu mutabilis, albus, & ater.

Censorinus in ea est sententia, ut censeat, Genium esse generationis Deum; aut quod ei præsit; aut quod una nobiscum sit genitus; nobiscumque perpetuo maneat, ut vitam nostram tueatur. Itaque veteres singulis singulos Genios attribuebant, aut etiam binos, alterum scilicet Malum, alterum Bonum, hunc ad bonum adhortatorem, illum ad malum impulsorem: quod non admodum à nostræ religionis scitis abhorret, in quibus habetur de Angelis

Imago 73.

Canis cum Laribus.

Penates.

Genius.

gelis Custodibus, ac Cacodæmonibus; nisi quod nos eos uolumus nobiscum oriri, quemadmodum veteres de suis Geniis ac Laribus dicebant: nam magna erat inter eos similitudo. Quare Romani in triviis, & compitis Augusti Genium una cum Laribus collocarunt, atque venerati sunt. Quilibet vero suum Genium seperatim colebat, maxima cum lætitia diem suum natalem celebrans. Sed Principis Genium ab omnibus publice maximo honore, & cultu afficiebatur. Quamobrem qui per ejus Genium juratus, pejerasset, pœnas dabat; religiosissimum enim id jusjurandum habebatur. Ideoque Caligula, cum ob levissimas causas morte plurimos quotidie afficeret, dicere sæpe solebat, sicut Suetonius refert, se illos punire, propterea quod numquam per suum Genium jurassent, hoc præ se ferentes, se ipsum contemnere, indignumque censere, qui coleretur. *Principis Genius.* Genius igitur numen quoddam existimabatur, quod semper homines ab ortu ipso comitaretur. Idem locis etiam tribuebatur, ut Jamblichus sentit, cum probat Diis, qui alicui loco præsident, de iis sacrificandum, quæ ibidem oriantur: Nam res, quæ in nostro patrocinio sunt, nobis cæteris solent esse cariores. Virgilius lib. v. cum Æneam facit anniversaria justa Anchisæ manibus persolventem, anguem visum esse scribit.

Cærulea cui terga notæ, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor, cui nubibus arcus
Mille trahit varios adverso sole colores;

Dubitatque, num loci Genius, an aliud quidpiam esset. Hinc est factum, ut aliqui Genium serpentis forma effinxerint, alii pueruli, juuenili aliqui, nonnulli senili, ut Cebes in sua tabula. Pausanias in Eliacis posterioribus refert, Eleos tamquam patrium Deum Sosipolim, qui urbis servatorem sonat coluisse: ejus sacrificia in templo Lucinæ quotannis patrio ritu celebrari solita. De eo hæc ait, fuisse memoriæ prodita; cum scilicet in Eleorum fines hostiliter Arcades invasissent, contraque eos aciem Eleidirexissent; mulierem Infanti puero mammam præbentem, ad Eleorum Duces veniisse, seque cum puerum eum peperisse diceret, addidisse, monitam per somnium, ut eum pugnæ socium Eleis adjungeret: ibi eos, qui summæ rei præerant (quod mulieris verbis fidem habendam censuissent) puerum nudum ante signa collocandum curasse. Impressione ab Arcadibus facta, puerum in eorum conspectum, in anguem mutatum: eo prodigio hostes exterritos, in fugam se protinus dedisse; acriter in Eleos instituisse: parta vero hac insigni victoria, à servata civitate nomen Sosipolidi inditum: quoque loco in cavernam, Visus fuerat se anguis abdidisse, confecto prælio fanum erectum, Idcirco vero honores Lucinæ decretos, quod ab ea in lucem puerum illum sibi editum, interpretati sunt. Hic Deus exprimebatur ætate puerili, chalmyde amictus varia, & stellata, præ se gerebat manu, altera copiæ cornu; hac enim forma cuidam in somnis

somnis est visus. In vetustis numismatibus Trajani, Adriani, aliorumque principium Genius pateram dextera manu supra aram porrigere, quæ ara esset sertis ornata, læva vero propendulum flagellum, vel simile quidpiam tenere videtur. Sed enim & in aliis Adriani inscriptionibus talis epigraphe reperitur, GEN. P. R. ubi imago cernitur hominis militaris; cum veste ad cruris medium circumvoluta, dextera pateram in morem sacrificantis habens, læva autem cornu copiæ. Populi autem Romani Genius id fortasse numen erat, in cujus tutela eorum urbs erat. Genium Olim platano coronabant, sed & interdum floribus, ut apud Tibullum alicubi legitur:

Platanus Genio sacra.

Ipse suos adsit Genius visurus honores;
Cui decorent sanctas florea serta comas.

Sed quia duplicem esse Genium diximus, ut Socraticus Euclydes apud Censorinum velle videtur, dicto de bono, nunc de malo Genio videamus. Huic nullam statuam antiquos posuisse comperio. Sed tamen multis fuisse visus legitur. Quare nos ejus speciem ex variis Historiis designabimus. Plutarchus, Appianus, ac Lucius Florus meminerunt. Brutum cum quadam nocte se in cubiculum includisset, nescio quid, ut ei erat mos, cogitantem, spectrum quoddam conspexisse atri hominis, atque horribilis, qui, Tuus sum, inquit Brute, Genius. Valerius Maximus lib. 1. Refert de Cassio Parmensi, qui Antonianas partes secutus, ab Augusto capite est multatus, eum paucis ante mortem diebus existimasse ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalida barba & capillo demisso, qui interrogatus responderit, se ejus malum Genium esse. Pausanias in Eliacis posterioribus, de Euthymo Athleta scribens, narrat, Ulyssem errantem Temessam etiam Italiæ urbem esse appulsum, ibi de navalibus sociis ejus unum, Virgine per vinum violata ab oppidanis contumeliam vindicantibus, lapidibus obrutum: Ulyssem quidem, nulla ulciscendi inita ratione, inde profectum: perempti vero socij manes finem nullum sæviendi in cujus libet ætatis homines fecisse, priusquam cogitantes patriam relinquere Temessenses, quo eam pestem effugerent, Apollinis responso Heroem placare jussi sunt, &, consecrato ei solo, templum excitare, devovere ei præterea quotannis Virginum unam, quæ ipsis formosissima visa esset. Quod cum illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino gravius passos esse. Forte vero Euthymum cum venisset Tremessam eo ipso tempore, quo solenne sacrificium fiebat, re tota cognita, se intromitti in templum postulasse: Ibi virginem conspicatum, primo misericordia commotum, deinde etiam amore incensum, Armis igitur captis, cum Genio congressum: illum victum, mœnibus, & agro cessisse, sublatumque prorsus ex hominum cœtu, in mare se demersisse: Ac in hujus facinoris præmium virginem victori nupsisse. Ipsum vero Genium, idem refert, colore fuisse vehementer atro, cætera specie maxime formidabilem, amictum autem lupi pellem ei fuisse.

Imago. 74. a

FOR-

FORTUNA.

Fortunam culpant omnes, probríſque laceſſunt;
Cum tamen hæc magnum potius mereatur honorem.

Libet mihi ab his Dantis Algerii verſibus, Fortunæ tractationem auſpicari: ei namque nos mortales, quidquid extra ſententiam cadit, acceptum ferimus, illud moleſte ferentes, ex quo potius magnam lætitiam ſuſcipere deberemus; videmurque rei familiaris & honorum comparationem, eorum rurſus jacturam, ac rerum omnium viciſſitudinem ab ea pendere arbitrari. Itaque Franciſcus Petrarcha quodã in loco Fortunam ita de ſe dicentem inducit;

Magna, potens rerum, conor Fortuna; vides ne,
Lætos ac triſtes ſolam me reddere poſſe?
Idque ſtatim celeri ſum eadem velocior aura.
Quodque vides, noſtris juſſis id voluitur omne.

Hinc omnium conviciorum, quæ quotidie in eam congerimus, eſt origo: nam quæ Fortunæ bona appellamus, eos plerumque poſſidere cernimus, qui minus iis digni nobis videantur, digniſſimis quibusque ſpoliatis. Quod bene ne, an male ſe habeat, illis conſiderandum relinquo, qui, qua ſunt mentis acie prædit, diſpicere ſoli poſſint, quot curis, moleſtiis, periculisque, caduca hæc, quæ bona dicimus, abundent. Sed pauci id animadvertimus, id unum ſtudentes, ſcilicet ut iis nos refarciamus; cumque res pro animi libidine minus ſucceſſerit, Fortunam ſtatim ream facimus: qua tamen juxta multorum ſententiam nulla eſt. Itaque Juvenalis Satyr. x. ſic de ea dicit; *Fortuna cur culpetur.* *Fortuna non exſiſtit.*

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Lactantius autem Firmianus, Fortunam nihil aliud eſſe dicit, quam nomen vanum, quod hominum inſipientiam arguit: Ciceroni conſentiens, qui in Academicis quæſtionibus ſic inquit; Fortuna effecit nobis multa improviſa propter obſcuritatem, ignorationemque cauſſarum. Sed non minus in Fortuna veteres decepti ſunt, quam in cæteris Diis: hanc autem bonis atque malis his externis adminiſtrandis, tamquam Deam, præpoſuerunt. Itaque duas Fortunas effinxerunt, bonam unam, alteram malam; huic adverſa omnia, illi proſpera quæque adſcripſerunt; bona candido vultu, mala atro erat prædita. *Fortuna duplex.* Præneſte, ubi ea celeberrimum templum habebat, ſub duarum ſororum imagine colebatur, ut Alexander Neapolitanus refert. Ob eamdemque cauſſam Pindarus, quemadmodum Plutarchus teſtatur, eam duos Temones moderantem effinxit. Sed tamen una tantum Fortuna habebatur, cujus effigiem hic ex priſcis ſcriptoribus apponam. Pauſanias in Meſſeniac. ſcribit, Bubalum, qui templa conſtruere, & animalia optime effingere noverat, omnium primum Fortunæ ſtatuam Smyrnæis effeciſſe, polum capite ſuſtinentis, manuque Amaltheæ cornu continentis. Hac figura

innuebatur, Fortunæ id esse munus, ut ea pro libidine largiatur, adimatque divitias, quas Copiæ cornu repræsentat, eædemque perpetuo in orbem ver-
Imago 75. a tuntur, sicuti cœlum assidue circa polos convertitur. Idem posteriores sunt imitati, qui Fortunam aut tabulis, aut signis expressérunt; eo spectantes ut intelligeremus, penes eam rerum harum administrationem esse, quas suo arbitrio dispenset. Lactantius lib. III. refert, Fortunam depingi solere cum Cornu copiæ & gubernaculo, tanquam in ejus esse potestate situm, divitias clargiri, resque humanas, bonaque caduca moderari: nulla enim in his stabilitas reperitur, nec juste tributa videntur, cum magnam eorum penuriam boni patiantur, malique homines eis undique circumfluant. Hanc ob causam fortunam cæcam, instabilem, dementem, malis potius quam bonis amicam dicimus, ut est in quodam Epigrammate, quod inter Virgilii opuscula recensetur, id est ejusmodi.

Rerum humanarum administratio.

O Fortuna potens, quam variabilis
Tantum juris atrox quæ tibi vindicas,
Evertisque bonos, eligis improbos:
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Justos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, & retinet senes,
Injusto arbitrio tempora dividens,
Quod dignis adimit, transfert ad impios:
Nec discrimen habet, rectaque judicat:
Inconstans, fragilis, perfida lubrica
Nec quos clarificat, perpetuo fovet,
Nec quos deseruit perpetuo premit.

Itaque Thebani Plutum Fortunæ manibus imposuerunt, ut superius diximus; perinde atque is Deus qui divitiis præsidere credebatur, opes tribueret, adimeretque pro Fortunæ arbitrio; quam ita Martianus lib. I. Philol. describit. Tunc etiam inquiens, omnium garrula puellarum, & contrario semper fruibunda luxu, levitate pernix desultoria gestiebat, quam alii Fortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tycheaque complures, aut Nortiam. Hæc autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat, & aliis impertiens, repentinis motibus conferebat, rapiens his comas pueriliter, caput illis virgas comminuens, eisdemque quibus fuerat Eblandita, ictibus crebris verticem, complicatis in condilos digitis, vulnerabat. Nos autem ita ludibrio habere Fortuna videtur, cum bona quæ nobis tribuerat, rursus adimit, ex quo maximo nos dolore afficimur, quod quidem minime

usu

usu veniret, si pluris ea non faceremus, quæ sub ejus sunt potestate, quam quæ sub nostra. Divitiæ namque Fortunæ dominatus sunt obnoxiæ, virtus sola nostra: est: Sed tamen nos has illis postponimus quod Horatius magnopere indignatur, ita in Satyris exclamans,

O cives cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post opes.

Bonam simul, ac malam Fortunam, sic veteres adumbrarunt, quamvis descriptio bonam tantum innuat. Est in solio sedens mulier stolata, subtristis, cujus dexteræ dextram jungere videtur adolescentula egregia forma, ac liberali, quæ stat ante illam: post vero matronam sedentem puellulæ quædam manum supra scabellum tenere & invitii videtur. Mœsta illa matrona, præteritam Fortunam significat: adolescens quæ ei manum præbet, præsentem ostendit, puella futuræ est simbolum. Sed antequam longius progrediar. Hic aliquid de Nemesi interjiciendum, operæ prætium fore duxi, ambæ enim inter se valde similes videntur, ita ut aliqui idem numen esse sint arbitrati: quod vel ex iis discamus licet, quod supra ex Martiano attulimus. Sed tamen utraque proprium sibi cultum statuamque sibi est sortita. Nemesis ergo Dea erat, quæ unicuique quod rectum esset, ostendere credebatur. Ammianus Marcellinus ita de ea dicit; Dea est ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix, arbitra rerum, regina causarum; quam Theologi veteres fingentes, Justitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant, omnia despectare terrena. Macrobius lib. 1. Saturn. Nemesim contra superbiam coli, esseque solis potestatem arbitratus est; cujus hæc natura sit, ut fulgentia obscuret, & quæ sunt in obscuro illuminet: Sic etiam Nemesis nunc erectas mentium humanarum cervices opprimere, & enervare videtur; nunc bonos ab imo suscitans, ad bene vivendum extollit, Proprium ergo ejus erat munus, eos ulcisci, qui nimium in prospera Fortuna superbirent. Eam Poëtæ Rhammusiam cognominarunt, à quodam Atticæ loco, ubi pulcherrimum ejus Deæ simulacrum existebat. Eadem Adrastia dicebatur; quod Adrastus Rex omnium primus ei templum posuerit. Pennas huic Deæ ideo vestustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimaretur: eidem gubernaculum dedit, & rotam subdidit, ut universitatem regere, per elementa discurrens omnia, non ignoraretur. Hanc interdum, una manu frænum, altera mensuram cubiti tenentem effinxerunt, non linguæ frænum injicere, ac in omnibus mensura uti debere, quod disticum apud Græcos docet; id est tale. Imago 76 a

ἡ Νεμεσις προλέγω το πηχει, τω τε χαλινω,
Μὴ ἀμέτροντι ποιεῖν μητ' ἀχαλινα λέγειν. Hoc est;
Prædico hæc Nemesis norma simul hisque lupatis,
Non effrena loqui, & nil fieri absque modo.

Pausanias in Atticis scribit, hanc super cæteros Deos adversus superbos esse inexorabilem; quod ex iis, quæ Barbaris, Athenienſium hostibus acciderunt, comprobat, nam ii Athenarum opes adversus se contemnentes, jam tum eorum marmor acceperant quod ad Trophæum erigendum vehebant. Sed iis turpiter victis, id marmor Phidias excidit in Deæ hujus statuam. De quo Ausonius tale Epigramma ex Græco scripsit;

Me lapidem quondam Persa advenere Trophæum
Vt fierem bello; nunc ego sum Nemesis
At sicut Græcis victoribus astro Trophæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis

Huic simulacro corona capiti appositа erat, qua & cervus, & Victoriæ parva signa continebantur: in altera manu erat ramus fraxineus, in altera Phiala, in qua Æthiopes expressi erant: cujus rei causam Pausanias dicit, se conjectura assequi non posse. Idem subdit: Neque hoc Nemesis simulacrum, neque aliquod aliud antiquum alas habebat: Sed postea apud Smyrnæos simulacra alata fuerunt, & ipsi Nemesi alæ additæ veluti & cupidini; quia hujus Deæ numen in iis potissimum apparere autumabant, qui amore capti sunt cos enim punit, qui ob formam fastu turgent, cæterosque præ se contemnunt, ut Ovidius in Narcissi fabula ostendit, quæ lib. III. Metam. habetur hinc etiam Catulli illud.

Nemesis absque alis.

Ne pœnas Nemesis reposcat a te:
Est vehemens Dea, lædere hanc caveto.

Quia vero hæc Dea mortales, ob superba facinora punire putabatur, eam aliqui, idem cum Justitia esse crediderunt. Hanc Chrysippus (ut Agellius lib. XIV. refert) forma & filo virginali descripsit, aspectu vehementi, & formidabili, lumimbus oculorum acribus, neque humilem, neque Atrocem, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Itaque Plato dixit, Justitiam cuncta cernere, ab antiquisque sacerdotibus, omnium rerum inspectricem fuisse dictam. Apuleius alicubi per oculum solis, ac Justitiæ jurat, perinde ad hæc non minorem vim cernendi, atque Sol ipse possideat: hæc nos in Justitiæ ministris inesse debere intelligamus licet; hos enim mentis acie ad abstrusissimam veritatem penetrare oportet: iidem ea puritate debent esse præditi, qua castæ Virgines solent esse; ita ut neque donis, neque blanditiis, neque alio quovis se corrumpi umquam sinant, sed severe semper, quod Justum sit sectentur, iis etiam opus est, ut se improbis formidabiles, innocentibus benignos ostendant. Pictores examine Lancis vel Stateræ, nunc & securium, & virgarum fasce, nunc illis, vel illis Justitiam insigniunt, sunt qui eamdem hoc modo effingant. Nuda virgo quadratum super lapidem sedet, æquatam manu altera bilancem tenens, exsertum altera sub ala ensem quodammodo occulens. Diodorus est author, alicubi in Egypto, ubi Veritatis portæ erant, Justitiæ

Justitia.

Judices quales debent esse.

Imago 77 a

statuam

ſtatuam exſtitiſſe, quæ capite careret: cujus rei nullam affert rationem. Eamdem Ægyptii effingebant per manum ſiniſtram porrecta palma diſcapedinatam; propterea quod ſiniſtra, genuina pigritia, nulla calliditate prædita videtur; & ideo æquitati aptior, quam dextera. Pauſanias vero in Eliacis prioribus ita depictam ait in arca Cypſeli; At formoſa, inquit, illa mulier, quæ fœda facie alteram ſiniſtra obſtricto collo trahit, dextera fuſte cædit, Juſtitiam ſignificat, quæ injuriam male multat: nam juſti judices injuriam ſemper debent opprimere, curareque, ne cui injuriam paſſo, non ſatisfiat. Hos etiam oportet diſpicere, ne veritas eos lateat, utraque parte audita, & numquam, accuſatoris nudis verbis credentes, reum condemnare. In hanc ſententiam Lucianus in libello de non temere credendo calumniæ tale refert exemplum: cum Antiphilus, Apellis quidam æmulus, apud ptolemæum Apellem eſſet calumniatus, quod cum Theodoro conſenſiſſet, qui à rege rebellionem fecerat: & à quodam conjurationis conſcio, qui capitis pœna tenebatur, regi innotuiſſet, Apellem omnino facinoris ignarum: & inique illum inſimulari: tum Ptolemæus, poſito furore ſententiam mutavit, Apellem Talentis centum donavit, eique in ſervitutem calumniatorem Antiphilum addixit. Tunc Apelles, periculi memor, tali pictura Calumniam ultus eſt. In dextera quidem ſedet vir, permagnas habens aures, quales fuiſſe Midæ feruntur: manum longe ille protendit accedenti Calumniæ: circum ipſum vero ſunt mulieres duæ, Ignorantia ſcilicet, & Suſpicio, ex adverſo Calumnia, mulier ornata, & pulchra, ſed aſpectu ardens, & in iram ac rabiem concita; læva facem accenſam præferens, dextera adoleſcentem quemdam per capillos trahere videbatur; qui manus ambas ad cœlum tendebat, ſuperosque obteſtabatur: præcedebat vir pallidus, impurus, acute intuens, iis propemodum ſimilis, qui longiori morbo ſunt confecti: hic Livor, ſeu Invidia erat. Pone duæ aliæ mulieres erant, Calumniam dirigentes, & adornantes, altera erat Inſidia, altera Fraus. A tergo ſequebatur Pœnitentia, pullas, laceraſque veſtes induta; quæ retro caput inflectens, flens, ac lugens, pudore venientem Veritatem excipere videbatur. Ita Lucianus Calumniam deſcripſit, quam antea Apelles depinxerat: unde colligit, Calumniam nil aliud eſſe, quam falſam alicujus inſimulationem, cui judex fidem habeat, de eo confictam, qui abſit, nec ſuam cauſam dicat: atque ab invidia ut plurimum profectam: & ea ratione Apelles hanc ei præmittit. Invidia autem eſt omnium animi peſtium longe teterrima: nam non ſolum iis, quibus invidetur, nocet, ſed & iis, qui invident. Itaque Silius Italicus libro XIII. eam inter monſtra, quæ apud inferos ſunt, numerat, ita eam breviter deſcribens: *Invidia.*

Hinc angens utraque manu ſua guttura Livor.

Et Horatius lib. I. Epiſtol. ad Lollium ſic de ea dixit:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Quod optime ponit ob oculos quoddam poëmation, quod inter Virgilii opuscula numeratur. Id sic habet,

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quid quisquis furit, inviditque sorti,
Vt debet, sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graves dolores,
Suspirat, gemit, incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit:
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa:
Non lux, non cibus est suavis illi,
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi:
Nec, si pocula Jupiter propinet,
Atque hæc porrigat, & ministret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar,
Non somnum capit, aut quiescit umquam,
Torquet viscera carnifex cruentus:
Vesanos tacite movet furores,
Intentans animo faces Erinnys,
Letalis Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat, comestque mentem:
Vivit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levaret,
Nec Phœbus, soboleve cara Phœbi.

Ovidius lib. 11. Metamorph. ei muliebrem formam tribuens, (quam Græci hominem effingunt, quandoquidem ὁ φθόνος masculi sit generis) ita describit;

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: rigent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo:
Successus hominum carpitque, & carpitur una,
Supplicium que suum est.

Idem paulo ante ejus domum suis quasi coloribus exprimens, eam dixerat, ibi residentem serpentum carnibus se pascere. Plutarchus longum sane opus con-

conscripsit de Invidia: & magnus ille Basilius in quadam de ea ad populum habita concione, inter cætera dicit, Inuidos vulturibus esse persimiles; nam sicut hi super arva læta, aut florida prata volitantes, numquam descendunt, nisi cadaver despectent, cujus putrescentes tantum partes, relictis incorruptis, decerpunt; ita invidi in quovis numquam inspiciunt, aut connivent ad ea, quæ laudem merentur, illud solum animadvertentes, unde ansam ad vituperandum qualemcumque captare possint: qualis etiam fuisse *Momus* scribitur, qui etiam inter Deos numerabatur, ac ab Hesiodo in Theogon. Noctis ac somni filius fuisse dicitur: nam nihil hic per se præstabat, sed tantum aliorum Deorum opera inspiciebat, quæ omnia libere reprehendebat. Quare Æsopus de eo scripsit, ut Aristoteles refert, illum bovis opificium vituperasse, cum cornua potius in humeris, quam in capite affigenda fuissent, ut validius ferire posset. Idem de homine dicebat, ut Lucianus in Hermotimo narrat, Vulcanum vehementer errasse, quod non fenestrarum hominis pectus fecisset, quo ejus cogitatus plane viderentur. In Venere, ut dicit Philostratus, nihil reprehensione dignum deprehendit, nisi quod ejus crepidæ, dum illa incederet, nimis strepèrent. Ejus imago libro VI. Epigr. Græcorum describitur, tamquam hominis macilenti, extenuati, pallidi, ore hiantis, ad terram spectantis, quam is bacillo, quem manu tenet, percutit; idque ob eam fortasse rationem, quod Dii apud antiquos Terræ filii dicebantur. Ab hoc Momo, qui eo sunt ingenio, ut omnia, quæ sibi non allubescant, vituperent, Momi sunt dicti: quod in eis vitium fere ex invidia oritur: quæ juxta Euripidem, ut Ælianus refert, est perquam tristis, perversa, atque verecunda. Eam veteres sub anguillæ symbolo innuebant; hæc enim, ut idem Ælianus scribit, seorsim à cæteris piscibus degit, nec umquam est in eorum comitatu. Fraudem, quam Calumniæ comitem Apelles adjunxit, ita Dantes Algerius in suo inferno depingit;

Momus.

Fraus.

Tum Fraus Cocyti tantum caput extulit undis;
Cætera membra latent, fluvio demersa sub imo.
Est illi vultus mollis, faciesque benigna:
Justitiam redolet: sanctos venerabere mores.
Sed partes, quas illa negat proferre sub auras,
Horrendæ visu, setis, squamisque refertæ:
Serpentis formam referebant: omnia tetra.
Tot nodis corpus conjungitur: atque colores
Tot spargit fusos oculis monstrat, quot Arachne
Ipsa suas telas minime variaverat umquam.

Deceptorum ingenium.

Hoc eo refertur, ut intelligamus, homines deceptores aspectu quidem, & verbis benignitatem quamdam incredibilem, lenitatem, ac modestiam ostentare; sed re, ac operibus alia omnia potius esse: quod factis demum

Finus pro fraude.

pro-

Pinus pro fraude.

prodant. Itaque interdum pino Fraudem veteres innuerunt; hæc enim arbos, si altitudinem, rectitudinem, viroremque spectes, aspectu est jucundissima; sed si quis sub ejus umbra dormiat, non parvum in valetudine damnum suscipit; eique si appropinquet, cadentibus ex alto fructibus, si forte feriatur, sæpe interficitur, aut certe magnopere læditur. Sed ad Fortunam tandem aliquando revertamur, quam Apelles cum sedentem depinxisset, interrogatus, cur id feciſſet; quia numquam stetit, respondit: ubi ambiguo verbo lusit; stare enim tam apud Græcos, quam apud Latinos non solum rectum esse, sed & permanentem significat. Acutum sane responsum: Fortuna enim volubilis, ac instabilis dicitur: hanc ejus mutabilitatem antiqui adumbrare volentes, eam, ut Eusebius in libris de præparatione Evangelica testatur in pila sedentem effingebant, alas etiam addiderunt, quibus velocissime huc illuc fertur. Itaque Horatius lib III. Od. XXIX. ita de ea canit

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna,
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit: & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Cebes Tebanus in sua tabula Fortunam mulierem cæcam, amentem, lapidi rotundo pedibus insistentem depingit. Artemidorus Daldianus in libro Onocritilicon Fortunam sedentem supra cylindrum aliquando, aliquando comptam, ornatamque, aliquando incomptam sordidamque & cum gubernaculo describit. In Numismatibus antiquis, ita sæpe est expressa. Claudius Galenus in suasoria, Fortunæ inquit, indicare nequitiam, cum antiqui vellent, illam vel pingentes, vel fingentes fœminæ specie formabant, gubernaculum illi attribuebant; tametsi fœminea levitas salis erat; orbem pedibus suppoſuerunt: tum etiam & cæcam; ut ejus inconstantiam judicarent. Hoc ejus ingenium optime Pacuvius expressit illis versibus, quos citat Gallio, sive Cornificius, vel quisquis ille tandem fuerit, qui Rhetoricam ad Herennium scripsit, carmina sunt hujusmodi;

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam, perhibent Philosophi,
Saxoque instare globoso prædicant volubili.
Ideo quo saxum impulerit fors, eo cadere Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant; quia nihil cernat, quo se applicet.
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta instabilisque sit.
Brutam, quia dignum, atque indignum nequeat internoscere.

Exstat quoque in antiquis lapidibus caduceus exsculptus, in cujus vertice celatus

alatus pileus est, & utrimque duo cornua copiæ, caduceum ipsum complectentia: idque significat, eloquentiæ & doctrinæ comitem esse Bonam Fortunam. Non defuerunt, qui dicerent, eam tantis viribus esse præditam, ut virtus absque ea parum posset; quæ licet nos ad egregia facinora excitet, sed tamen nos voti compotes efficere nequeat, nisi Fortuna comes adfuerit: nam eam inter numina collocabant, quæ plurimum in humanas res virium haberet. Sed tamen quemlibet, suæ sibi fortunæ fabrum esse, bonæ si bene iis, quæ se nobis offerunt, uti sciverimus; malæ, si male eisdem utemur; sapientes affirmant. Itaque Seneca ad Lucilium ita alicubi scribit: Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna: Valentior enim omni Fortuna est animus, qui in utram partem res suas ducit, beatæ, miseræque vitæ sibi causa est. Quamobrem cum deteriorem partem elegerimus, nihil Fortunæ eorum, quæ male ceciderint, sed omnia nequitiæ nostræ, ac imprudentiæ expensa ferre debemus. Idem veteres occasionis imagine innuerunt: quam nonnulli eamdem Fortunæ voluerunt: simillimæ certe inter se sunt, ut ex imaginibus intelligi potest. Occasionem ergo inter Deos fortasse retulerunt, ut ex ejus imagine, divinis honoribus affecta, ac sæpe ob oculos posita, admoneremur omnes, ut in cunctis temporum momenta captaremus; res enim temporibus mutantur, effluunt, eumque qui accipere, cum offerentur omiserit, maximo mœrore efficiunt. Ejus imago erat hujusmodi; Mulier nuda pedibus, rotæ aut pilæ insistebat, longos capillos è fronte dependentes habens. Cæterum occipitio recalvastra, pedibus alata, perpetuam comitem habens *P*œnitentiam; nam ea nobis per Imprudentiam è manibus elapsa, nihil nobis præter pœnitentiam relinquit. Hujusmodi legitur occasionis effinxisse simulacrum *P*hidias: de quo Ausonii fertur, sane quam elegans Epigramma, è Græco conversum. Latine eam ut Deam coluerunt, Græci ut Deum, καιρὸς enim apud illos virilis est generis, quam occasionem nos dicimus. Huic Pausanias scribit, apud Eleos altare positum, atque eum ait, ab Jone poëta filiorum Saturni natu minimum vocatum fuisse. De hoc in florilegio Græcorum Epigrammatum, Prosidippi exstat scitissimum Epigramma, ad cujus exemplar Ausonius sirum conscripsit; ambo enim inter se mirificè cõsentiunt; nisi quod ille novaculam, in Cæri manibus collocabat, & hic sitæ occasioni pœnitentiam comitem adjungit. Calistratus etiam cum Posidippo de Cæro Deo & loco convenit, puerumque ipsum Deum facit, florentis ætatis, formosum, crinibus sparsis Zephyro, & cætera denique ferme, quæ Posidippus. Vigilandum est igitur, ac manus paratæ habendæ, ut quæcunque Occasio retulerit, statim arripiamus, nam ea dicto citius avolat, ac posteriores capitis partes glabras ostendit iis, qui in priores capillatas manus non injecit: nam ea postea comprehendere non datur, cum pedes ad fugiendum alatos habeat. Eodem fere modo Scythæ suam Fortunam effinxerunt; nam ut Q. Curtius refert,

Bona Fortuna.

Imago 78. a

Scytharum Fortuna.

refert, eam sine pedibus, sed manibus alatis effecerunt; ea enim bona his præbet, at tanta cum celeritate, ut vix manibus ad recipiendum porrectis, ea avolarit. Et quamvis interdum videatur Fortuna suas manus nostris junxisse; tamen nunquam pennas, quæ manibus sunt affixæ, comprehendi à nobis finit; nam sibi potestatem adimi vult, quo minus non libuerit, à nobis effugere possit: quod quidem cito facit; etenim nunquam stare loco potest, felicitatemque quam tribuit, secum repente aufert. Itaque nonnulli eam Vitræam effecerunt. Quemadmodum Alexander Neapolitanus refert, nam sicut ventrum, vel si levissime collidatur, statim frangitur; ita Fortunæ dona, parva quapiam adversitate existente, dilabuntur, ac evanescunt. Sed non propterea veteres illi credere desierunt; imo tantam ei se fidem habere præ se ferebant, ut secum semper ejus simulacrum retinere vellent, præcipue verò Romani Imperatores, qui in suis cubiculis auream Fortunam habebant, eam quoque secum in publicum efferentes. Itaque Spartianus scribit, Severum Imperatorem, cum morti appropinquasset, jussisse ut Fortunæ simulacrum in filiorum, quos duos relinquebat, cubiculis collocaretur, divisis inter se diebus, quod divisi inter se æquo imperii erat argumentum. Antonius etiam Pius Imperator, ut etiam Spartianus scribit, morti vicinus Fortunæ simulacrum in Marci Antonii cubiculum transferendum curavit, quod translati quoque Imperii signum erat. Pausanias narrat, apud Eleos fuisse Fortunæ templum, ac ligneum simulacrum, ingens sane ac inauratum totum, manibus ac pedibus exceptis, quæ erant marmorea. Idem in Achaicis refert, Ægiræ fuisse Fortunæ simulacrum, una manu cornucopiæ tenentis, altera cupidinem complectentis: quod significat, amorem parum prosperos sortiri exitus, nisi pecuniæ ad rem amatam expugnandam suppetant. Nonnulli Fortunam depinxerunt in mari fluctibus agitato vela facientem, alii eandem in altissimæ cautis, aut etiam prærupti montis culmine constituerunt, ita ut vel levissimo flante vento, vertatur: non defuere qui eam in equum velocissimum imposuere & currentem eam Fatum arcu intento insequens effinxerunt, Fortunæ instabilitatem, pernicitatemque significantes, eamque Fati vi semper agi, ubi enim est Fatum, ibi nullus est Fortunæ locus. Sed hæc sunt recentiorum inventa. Fortunam Apuleius idem cum Iside numen vult esse, cum scilicet fingit sibi tum ex asini in humanam figuram reverso à Dea sacerdote dictum, se jam in Fortunæ tutela esse, non exoculatæ illius, sed videntis, & illius quæ suo lumine cæteros etiam Deos collustret. Sed dicere possumus eum de bona Fortuna intellexisse, sub cujus nomine Macrobius Lunam sumpsit, quæ per Isidem monstratur, ut supra est dictum. Luna enim maximam vim habet, in sublunaria hæc corpora, quæ variis Fortunæ casibus sunt obnoxia, quæque subinde mutantur, si ergo Lunam ac Fortunam pro eodem numine sumpserimus, à quo omnium rerum ortus ac interitus dependeant,

Fortuna Vitrea.

Imago 79. a.

Fortuna cum Imperatoribus.

Fortuna pro Luna capta.

deant, optimo jure Pausanias ex Pindaro unam & ex Parcarũ numero, cæterisque plus virium eam habere affirmavit: licet magis videatur Parcis cum Fato, quam cum Fortuna convenire, id enim fixum, immutabileque habetur, sicut & hæ sunt stabiles, cum hominum vitam è suis illis colis ducentes, unicuique statum vitæ terminum assignant, sed hæc extra rem videantur. De Bono igitur eventu dicamus, cujus simulacrum Romæ in Capitolio una cum Bona Fortuna positum erat, ejus effigies, ut *Plinius* lib. xxxv. meminit, erat adolescentis, dextera pateram, sinistra spicam, ac papaver tenentis. Fortunæ etiam Favor adjungi potest, qui à veteribus etiam Deus est habitus; nam hic ab illa plerumque oriri videtur; licet à pulcritudine sæpe nascatur, interdumque à virtute: sed & omnia, quibus grati hominibus reddimur, nobis favorem quoque conciliant. Hic sæpe nos fastu tumidos efficit: nam quo magis prospera utimur Fortuna, eo magis solemus superbire, cæterosque despicatui habere: sed si rerum fiat conversio, tunc superbiæ pœnas luimus; sicut enim alios contempsimus, in felicitate exsistentes, ita & contemnimur ipsi, cum ad miseriam devenerimus. Itaque ne nimium quis huic leviſſimo, ac maxime lubrico favori fidat, quandoquidem statim evanescit, quemadmodum ex ejus imagine discere possumus, qua juvenem alatum referebat; aut, quod, rebus prosperis affluentibus, tantum se in sublime extollat, ut humilia spectare dedignetur: atque eamdem ob causſam cæcus est effictus; homines enim ad magnos honores evecti, aliorũ vel vultum ipsum intueri non sustinent: aut, quod nobiscum non diu permanet, sed statim diffugit; atque ideo pedibus rotæ insistebat: quandoquidẽ is Fortunam imitetur, & quo tandem illa se convertit, eodem etiam is concurrat. Idem vultu timiditatem quamdam præ se fert, nam semper ad altiora contendit, ab Adulatione impulsus quæ ei perpetuo comes adest: pone eum sequitur Invidia, sed tardis gressibus, quæ semper obtortis oculis alienam felicitatem intuetur. Sed ea, si vere est beata, invidiam non reformidat. Felicitatem veteres etiam tamquam Deam coluerunt; hanc Græci *Macariam* appellarunt; quæ juxta Euripidem in Tragœdia, quæ Heraclides inscribitur, Herculis filia fuit; ea, cum oraculum redditum fuisset, Athenienses victoriam habituros, si ex Herculis liberis aliquis sponte mortem oppeteret, id audiens, se ipsam jugulavit; qua ex re & victoria Athenienſibus, & divinitas ipsi Macariæ est comparata. *Felicitatis* imago in Juliæ Mammææ Aug. numiſmate quodam cernitur, ita expressa; est fœmina, in solio sedens, dextera caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens; ille ad virtutem, hoc ad divitias referri potest; perinde atque nec virtus, nec divitiæ per se seorsim hominem reddere felicem queant; quæ fuit Aristotelis opinio: nam quæ tandem felicitas studioſi esse poterit, qui tanta paupertate prematur, ut maximam penuriam omniũ rerum patiatur? contra vero qui omnis virtutis est expers, opibus licet circumfluat, numquam felicis nomen per me obtinuerit, immo eum infelicissimũ non dubitavero appellare, cum ab iis sit penitus destitutus, quæ sunt homini

Bonus Eventus. Imago 302

Favor.

Macaria.

mini propria. Illi ergo, ex Aristotelis sententia, cui Felicitatis imago consentit, felices dici poterunt, qui & studiosi sint, & divites. Cebes Thebanus in Tabula hoc modo Felicitatem descripsit; in eminenti quopiam arcis vestibulo ea in solio sedet, liberali ornatu compta, sed non accurate, & florentissimo serto coronata; ad quam omnes quidem aspirant, sed ii tantum perveniunt, qui Virtutem ducem sequuti, cætera omnia post se dimiserint: is namque in illa fuit sententia, ut cum multis aliis diceret, virtutem solam se ipsa, etiam aliis omnibus præsidiis destitutam, ad bene, beatæque vivendum esse contentam. In cujus sententiam nobis est pedibus discedendum, si Christiane loqui volumus, de ea felicitate non intelligentes, quam vulgus appetit (ea autem non est felicitas, licet esse videatur) sed qua animi corpore hoc mortali exsuti, cælestibus illis sedibus perfruuntur. Ad quam illi pervenient, qui divino lumine collustrati, hujus vitæ iter fide viva comite incedent, quæ per caritatem est actuosa.

CUPIDO.

OMNIUM animi perturbationum nulla equidem vehementior, aut pernicioſior est amore, quem Græci ἔρωτα dicunt. Itaque nihil mirum, si veteres, apud quos nullus non animi morbus, aut vitium numinis loco habebatur, Amorem Deum, & magnum illum quidem coluerint, cupiditatis turpitudini Divinitatis nomen obtendentes. Itaque varie eum expressserunt, prout varie in animis nostris vires suas exserit. Ejus autem imagines ita omnibus sunt notæ, ut quisque per se absque doctore (ita sumus fere ad hoc vitium proclives) si puerum depictum viderit, oculos fascia impeditos habentem, arcum tenentem, ex cujusque humeris pharetra dependeat, Amorem eum libere affirmare ausit. Sed tamen non omnes æque rationem cur ita pingatur, reddere possunt. Id vero præcipue nos hoc in opere studemus, ut non solum undecumque possumus, Deorum imagines in medium producamus, sed & rationes ex probatissimis quibusque afferamus. Quamquam vero Cupido proprie animi cupiditati, qua ad res venereas ferimur, à veteribus præponitur; non defuerunt tamen qui forte ad flagitium aliqua honesti specie decorandum, geminos cupidines excogitarunt, quales sunt Platonici, qui hoc colore fœdissimos puerorum amores, quos, si Deo placet, gradus ad divinam contemplationem faciunt, honestissimos reddiderunt: quo quid absurdius potest excogitari? Platonici ergo geminam Venerem, geminorum Cupidinum matrem præclaro scilicet commento confinxerunt, cœlestem alterum, ex qua divinus ille Amor exstiterit, quo dicunt, animos nostros ad divinarum rerum contemplationem inflammari: hunc in cœlo habitare illi affirmant, quod & Philostratus confirmat, eum unum esse scribens, in cœloque degentem, ubi cœlestia administrat: hunc vult esse purum penitus, atque sincerum. Itaque eum juvenili corpore, lucido, ac maxime pul-

Veneres & Cupidines.

cro

cro effingebant: eidem alas adjunxerunt, quibus animorum noſtrorum, quos hic ardor incendat, ad cœlum volatus innueretur, divinas illas mentes, ab omni materiæ labe ſecretas, imitantium, quæ pro ſe quæque ad divinam pulcritudinem contemplandam ſeſe extollunt: quæ in altiſſima cœli parte reſidens, ſuos radios quoquo verſus emittit, quibus vehementes ſui amores in omnibus excitet ad ſe amandum, atque omni cupiditate expetendum: hæ ſunt acutiſſimæ illæ ſagittæ: quas Cupido hic juxta horum ſententiam, jaculatur. Addunt, Amoris divini puritatem, pellucido hujus corpore, ſi quis id recipere velit repræſentari: alis quarum eſt munus, gravia per ſe corpora, ac humi ſidentia, in ſublime attollere, ejuſdem vires exprimi, quibus mentes noſtræ ad divina illa contemplanda evehuntur. Sagittas dictitant, ad divinæ lucis radios, quibus multipliciter feriamur, poſſe referri: ut his excitati, ad eam, mentem, animumque convertamus, ejuſque pulchritudine mirabiliter capti, humana omnia, ac terrena uſque adeo contemnamus, ut non niſi iis tamquam gradibus ad cælum utamur. Id viſus eſt velle dicere Franciſcus Petrarcha in quodam poematio, in quo Cupidinem, à ſe in jus vocatum ita ſuam cauſam dicentem inducit;

Cupidinis agitæ.

Cupidinis alæ.

Cupidinis ſagittæ.

Quodque magis cunctis miraberis: utimur alis,
Vos quibus ad cælum contenditis, hiſce creatis
Vtentes gradibus: quæ ſi quis penderit æquis
Momentis, homines recta ad ſublimia tollunt.

Sed vehementer timeo, ut ex tam lubrico loco evadant, qui præclaris his auctoribus utentes, in turpiſſimi amoris muliebris, aut longe fœdioris, puerilis cæno ſe infigentes, fauſtis avibus ſperare audeant, ſe indidem alis ſumptis, ad altiſſimam cæli partem evolaturos. Iidem tamquam extremam manum ad hunc à ſe excogitatum cœleſtem Cupidinem exornandum addunt, eum Soli ſimilem eſſe, qui per univerſum mundum radios ſuos dividat, &, ſi forte in levia, ac lucida corpora incurrat, radios ex eis elicitos ad ſeſe reflectat: itemque ſicut Sol quodcumque ſua luce afficit, calefacit etiam; ita & Amor, quorum in pectoribus ſe inſeruerit, eos magnis ardoribus erga cæleſtia (quod illis fauſtum ſit) mirifice incendit: ad quod innuendum, jactitant, Cupidinem, accenſam habentem facem effingi ſolere: utque res ad amuſſim quadret, jubent, hic in amoris face quod lucet tantum, quodque oculos oblectat, nos conſiderare, ejus rei cogitatione omiſſa, quæ comburat, læ datque corpora, quibus appropinquet; qua ex parte cum terreno Cupidine conſentit, qui nullam umquam ſinceram voluptatem præbet, quæ ſit ab omni mœrore libera ſed ita ea inter ſe commiſcet, ut in face ſplendor qui oblectat: & flamma; quæ torquet, juncta mutuo ſunt. Ita Plutarchus ſenſit, quemadmodum à Stobæo citatur in capite de eo, quod Amor non ſit judicium ubi quærit: quamobrem Cupidinem facem geſtare, *Poëtæ* tradant & ſcul-

ptores effingant: respondetque, quoniam, quod ignis splendidum est, suavissimum; quod vero adustivum, molestissimum. Quod ille à Platone est mutuatus, qui in Timæo scribit, Amorem in nobis ex voluptate, & dolore esse permistum: qui quidem Amor ex Vulcano, ac altera Venere, quam vulgarem, mundanam, terrenamque Plato appellat, ortum traxit, terrenus & ipse, vulgaris, lascivusque, ut de eo Poëtæ fabulantur. Itaque Seneca in Octavia ita suis quasi coloribus pinxit;

Volucrem esse Amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus
Arcusque sacros instruit sæva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano satum
Vis magna mentis, blandus atque animi calor.
Amor est, juventa gignitur, luxu, otio
Nutritur inter Læta Fortunæ bona
Quam si fovere, atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus suas.

Gemini ergo sunt Amores; bifariam enim amamus recte quidem, cum scilicet erga honesta afficimur animo: turpiter cum turpia appetimus? qui Amor turpis, atque inhonestus dicitur, sicut ille honestus, atque laudabilis habetur. Sunt qui velint duorum veneris filiorum, unum esse appellarique Anterota, id est, Amori contrarium, quod per eum nos ab aliquo vehementer abhorreamus. Sed toto cœlo aberrant, qui sunt in ea sententia: nam Anterotis vis non in eo est posita, ut nos amore penitus exsuat, sed quod de eis pœnas sumat, qui amati, non redamant. Quod ex Pausania, ac Suida patet, quicausam turpissimã illam quidem referunt, cur Athenienses statuam, atq; aram Anteroti posuerint. Statua erat hujusmodi; puer nudus, ac formosus visebatur, in ulnis Geminos generosos gallos, et se in caput impellentes habens. Anteros ergo non Amoris abolitur, sed potius mutuus amor erat: quod Porphyrius confirmat, sic alicubi dicens; Cum Cupido infans parum coalesceret, Venus Themin Deam consuluit, quæ Veneri responsum tulit, Cupidini Anterota necessarium esse, qui rependat vices, & mutuam vicissim dent operam, cui Venus acquiescens, Anterota genuit: quo vixdum nato, Cupido adolesce cœpit, & alas, pennasque explicare: quin, quoties præsens Anteros adesset: Cupido formosior, & procerior, absente illo contra accidere videbatur. Amor ergo tum augetur, cum erga eum est, qui & ipse quoque amet. Apud Eleos duo puerorum simulacra visebantur, quorum alter erat Anteros, qui ramum illum ab ejus manibus extorquere summa ui nitebatur: sed suam operam ludebat: hoc veteres illi: veræ religionis expertes, innuebant, eum qui redamat, summo studio conari debere, ut in amore superet, vel certe æquet eum qui prior provocarit. Magnum Cicero, quemadmodum Lactantius lib. 1. refert audaxque consilium suscepisse Græciam dicit quod Cupidinem, & Amorum simulacra in Gymna-

Anterotis statua.

siis

Imago 81. A.

siis consecrassent : adulatus est videlicet Attico & irrisit hominem familiarem : non enim illud magnum, aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis. Cui incommodo forte Romani ut obviam irent, non Cupidinem solum in gymnasiis, sed eum medium inter Mercurium, & Herculem collocabant; ut significarent, eum cum virtute, ac ratione debere esse conjunctum. Athenæus scribit, antiquos Philosophos sensisse Amorem (si quis id facile admiserit) esse admodum gravem Deum, & ab omni turpidine alienum, ut vel ex eo intelligi potest, quod eum cum Mercurio, & Hercule copularint, quorum ille eloquentiæ, hic fortitudini præest, ex quarum virtutum societate, amicitia, atque amor exsistat, necesse est. Apud antiquos erat etiam Amor Lethæus nuncupatus, quo amor pristinus ponebatur, atque oblivioni tradebatur. Hujus statua in Veneris Erycinæ templo visebatur : is autem ardentes faces in profluentem aquam inclinabat, ibique extinguebat : de hoc Ovidius meminit, refertque, ad id templum omnes amantes confluxisse, qui amatarum rerum memoriam deponere cupiebant. Sed in Græcia morbo huic facilius consulebatur; nam si quis corpus in Senelo flumine abluisset, quod non longe aberat Patris, confestim eos amores oblivioni tradebat, quorum sibi memoriam voluissent ex animo deleri. Sed Pausanias in Achaicis fabulam eam arbitratur. Plinius de quodam fonte scribit, qui apud Cyzicenos Fons Cupidinis dicebatur, ex quo quicumque gustasset, amores pristinos ponebat. Cupido si ea est animi cupiditas, qua animus noster in aliquid fertur, non simplex neque duplex is fuerit, sed multiplex, ut Poetæ statuunt, qui suis fabulis animi nostri vires, variosque affectus exprimunt. Amores ergo Poetæ multos, eosque puellos, pulcellos, alatosq; finxerunt; quorum aliis in manus faces, aliis sagittas, aliis laqueos, aliis alia tradebant : quemadmodum Propertius lib. II. Eleg. XXIX. facit, itascribens;

Cupido cum Mercurio, & Hercule.

Amor Lethæus.

Multiplices Cupidines.

Hesterna, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus :
Obvia nescio quot pueri mihi turba minutæ
Venerat (hos vetuit me numerare timor)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas
Pars etiam visa est, vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant : quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.

Philostratus etiam in Imaginibus Amores multiplices facit, ac eos Nympharum dicit esse filios, quod Claudianus in Panegyrico nuptiarum Honorii, & Mariæ confirmat. Eos autem elegantissime sic describit; Est ibi hortus, ubi sunt plantarum ordines, in rectum incedentes, per quorum medium ambulandi facultas datur : mollis autem herba curriculos obtinet, & strati

instar

instar jacentibus sit: à summis autem ramis mala aurea, rufaque, ac lucida ad se excolenda universum Cupidinum examen attrahunt. Eorum pharetræ inauratæ, atque aureæ, & quæ in ipsis sunt sagittæ: horum autem universus nudus est grex, levesque pervolant, cum malis ea suspenderint. Vario autem colore distinctæ vestes in herba jacent, quarum innumeri sunt flores. Neque coronati sunt capita, utpote coma ipsis sufficiente: pennæ cæruleæ, ac phœniceæ, & nonnullis aureæ; tantum non ipsum aera quodam percutiunt concentu. Quatuor formosissimi à cæteris secesserunt; quorum duo mala sibi mutuo mittunt; alteri duo mutuis se sagittis petunt: nec vultibus insunt miræ, sed pectora invicem præbent, ut illic saltem tela inhæreant. Hæc sunt Amoris mutui argumenta; nam qui pomo ludunt, amoris initium faciunt: unde hic quidem osculatus, jacit malum: hic vero supinis illud manibus excipit, indicans, se osculaturum, ac remissurum, si ceperit. Hinc fortasse Suidas illud mutuatus est, pomum scilicet alicui jacere, ad id referri, ut eum ad amandum provocet. Itaque Virgilius in tertia Ecloga ita quemdam pastorem dicentem inducit;

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Duo, qui sagittis se petunt, amorem cœptum confirmant, perinde atque eum ad cor derivent. Hi igitur ludunt, ut amare incipiant; hi vero, ne desinant, jaculantur. Ex altera parte lepus sub malis sedet, poma in terram cadentia edens, ac multa semesa relinquens: hunc venantur hi, & perterrefaciunt: hic quidem manuum plausu; hic vero clamitans; alius chlamydem concutiens: & hi quidem supervolant, feræ inclamantes: hi vero pedites ipsam per vestigia insequuntur: hic autem ut se ipsum immissurus irruit, fera alio conversa est; at hic leporis cruri insidiatur; hujus vero è manibus lapsus est. Itaque rident, & ceciderunt: hic quidem in latus, hic vero pronus, hi supini omnes errorem vario iudicantes habitu; nullns autem sagittas in eum mittit; sed vivum capere conantur, Veneri suavissimam hostiam. Nam de lepore dicitur, eum multæ participem esse veneris: fama est enim, fœminam quidem lactare quæ peperit, & in eodem lacte rursus parere, ac superfœtare, & nullum in ipsa vacare à partu tempus: quod & Plinius confirmat; dicitque inter eos nullam esse sexus differentiam, sed omnes utramque virtutem, masculi scilicet, & Fœmellæ possidere. Idem Lib. xxix. scribit, Vulgus gratiam corpori, in septem dies lepore sumpto in cibis, conciliari arbitrari, frivolo quidem joco; cui tamen aliqua debeat inesse causa in tanta persuasione. Huc pertinet Martialis lusus in Gelliam, qui lib. v. habetur, sicque habet.;

Leporis cum Venere convenientia.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.

Si

Si non derides, si verum, lux mea narras,
Edisti numquam, Gellia tu leporem.

Lampridius scribit, Poëtam quemdam in Alexandrum Severum, quod quotidie vesceretur Leporina, ita lusisse:

Pulcrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago:
Venatus facit, & lepus comestus,
Ex quo continuum capit leporem.

Sequitur Philostratus; Inepti autem amatores amatorium quoddam lenocinium in lepore esse existimaverunt, violenta quadam arte suas aucupantes delicias: hoc autem scelestis hominibus relinquatur, minimeque ut redamentur, dignis. Hæc est elegantissima Amorum descriptio ex Philostrato; quam huc attulimus, ut sciremus, Amores esse multos, omnesque puellos, nudos, crispa, flavaque coma, versicoloribus alis, interdum facem accensam gestantes, interdum sine face se ostendentes; arcu etiam aliquando, pharetra, & sagittis armatos, quandoque suis armis exsutos. Itaque Silius Italicus lib. VII. describens Amores, qui Venerem sunt comitati, cum ad Paridis judicium est profecta, ita eos expressit:

Tum matris currus niveos agitabat olores
Tempora sollicitus litis servasse Cupido.
Parvulus ex humero coritus, & aureus arcus
Fulgebat, nutuque vetans trepidare parentem,
Monstrabat gravidam telis se ferre pharetram,
Ast alius nivea comebat fronte capillos
Purpureos, alius vestis religabat amictus.

Apuleius, cum Venerem in scenam, Amoribus comitatam inducit, eos pueros candidissimos dicit, qui cælitus descendunt, aut ex mari emergunt, alas in humeris, sagittas ad latus, faces in manibus habentes: alibique scribit, Amorum populum Venerem comitari: sunt enim infinitæ hominum cupiditates: eaque amantur, quæ cupiuntur: nam vix quisquam id perpendit, recte ne an male amorem suum alicubi collocet, id unum spectans, ut suam libidinem exsatiet, quamvis ratio ipsa repugnet: quam amor susque deque ducit, cum se fœdis voluptatibus mancipavit. Itaque is nos in sua potestate detinere dicitur: id vero laqueis innuitur, qui Amori tribuuntur. Verum ne amplius de Amore multiplici, at de unico tantum loquamur. Plato in Symposio Agathonem Amorem laudantem, ejusque naturam explicantem inducens, ita dicit: Amor est omnium pulcerrimus: nam cunctorum Deorum est maxime juvenis: quod vel ex eo maxime patet, quod is semper à senio refugiat, etsi illud ipsum per se est velocissimum, citiusque accedit, quam esset opus: id Amor naturali quodam odio prosequitur, & prorsus aver-

Amor's laqueis.

Amor omnium Deorum maximè juvenis.

 satur:

satur; juvenibus vero semper se miscet & cum iis versatur; nam veteri fertur proverbio, simile simili semper hærere. Igitur juvenis est, & præterea mollis, ac tener: ideo pacto comprobari potest; quo Homerus Atem, id est, Calamitatem Deam esse ait, & quidem teneram; illius enim pedes ait esse teneros: rationem vero subjungit, quod scilicet illis numquam solum tangat, sed hominum cervices calcet: ita de Amore dicere possumus, eum esse mollem, ac tenerum: quod non per solum, neque saxa, neque quidpiam, quod sit durum, incedat; sed tantum mollissimis qnibusque insistat, ibique, perpetuo degat; hujusmodi sunt hominum animi, neque tamen omnes; nam, si durum offenderit animi habitum, discedit, sin mollem, ibi domicilium suum collocat. Quin etiam aquæ instar, liquidus est, & lubricus; non enim undique omnem animum complecti posset, & clam influere, aut effluere, si durus esset, ac rigidus. Congruentis autem, & humidæ formæ magnum argumentum esse potest decora, & consentanea partium constitutio: qua Amor ex omnibus rebus haud dubie unus præditus est: nam deformitas, & amor sempiterno quodam bello inter se decertant. Quod vero hic Deus in floribus vitam agit, significat coloris pulcritudinem; in eo enim, quod floribus caret, vel defloruit, sive corpus, sive animus, sive quidvis aliud sit, Amor ipse non insidet: ubi vero floridus, & odorifer est locus, ibi & consedit, & permanet. De hujus Dei pulcritudine permulta insuper afferri possent; sed Plato hic finem de ea dicendi facit; ex cujus verbis id concludamus licet, Amorem esse juvenem, tenerum, mollem, delicatum, corpore optime coagmentato, ac colore præstantissimo præditum. Subtilius eum Apuleius in fabula Psyches descripsit, cum narrat, eam contra suum præceptum ad lucernam Amorem contemplatam esse; ubi eum vidit cæsariem auream habentem, mollemque ex ambrosia, quaconsperfa erat; inspexit ejus cervicem candidissimam, genas purpureas, crines crispos, ac multipliciter intortos, qui partim per humeros vagabatur, partim faciem inumbrabant: quique etiam tantum ex se splendoris emittebant, ut lucernæ lumen apparere non sinerent: ejus humeris duæ alæ inhærebant, recenti rore madefactæ, cujus plumæ quamvis loco non moverentur, tamen veluti levi vento agitatæ leniter commovebantur. Totum denique ejus corpus erat ita elegans, ac lucidum, ut Venerem pœnitere non posset, eum peperisse. Is arcum, pharetram, ac sagittas humi prope lectum deposuerat. Ei Apuleius nequaquam oculos fascia velat; vel quod tunc opus non esset, cum eum dormientem fingat: vel quod in eorum sententiam abeat, qui putant, illum minime cæcum esse, inter quos est etiam Franciscus Petrarcha, qui eum se vidisse scribit:

Amor tener, & mollis.

Ate.

Non oculis captum, Pharetra sed enim, atque sagittis
Armatum, nudumque (rubor ni præbet amictus)
Alatum puerum, non pictum, at vivere credas.

Moschus

Moschus quin etiam Poëta Græcus ei lucidos oculos tribuit, cum fingit eum errantem à matre Venere inquiri. Ejus poema quod Amor fugitivus inscribitur elegantissimum, ab Angelo Politiano in Latinum conversum, visum est hic adscribere: est autem ejusmodi:

Cum Venus intento natum clamore vocaret,
Si quisquam in triviis errantem vidit Amorem,
Hic fugitivus, ait, meus est: pretium feret index.
Insignis puer est: totam hanc cognosce figuram:
Corpore non niveus: verum ignem imitatur: ocelli
Acres, flammeoli: mala mens, suavissima verba;
Quod loquitur, non sentit idem: vox mellea; sed cum
Ira inflammatur, tum mens illi effera: fallax,
Frandatur, mendax: ludit crudele puellus.
Crispulus est illi vertex, faciesque proterva:
Exiguaque manus, procul autem spicula torquet:
Torquet in umbriferumque Acheronta, & regna silentum.
Membra quidem nudus, mentem velatus, avisque
More citans pennas, nunc hos, nunc advolat illos,
Sæpe viri pressans præcordia, sæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, super arcu imposita sagitta est:
Parva sagitta quidem, sed cœlum fertur adusque:
Parva pharetra olli dependet, & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille protervus
Me quoque sæpe ferit matrem: sunt omnia sæva
Omnia, seque ipsum multo quoque sævius angit:
Parvula fax olli, sed & ipsum Hyperiona vincit.
Verbere, si prendes, age: ne miserere puellum:
Si flentem aspicias, ne mox fallare caveto:
Sin arridebit, magis attrahe: & oscula si fors
Ferre volet, fugito: sunt oscula noxia, in ipsis
Suntque venena labris. Si fors ita dixerit: Heus tu
Accipe: nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne quidquam attigeris fallacia munera Amoris:
Omnia namque igni sunt infecta illius arma.

Hæc Amoris imago, mirifice ejus vires, atque effectus adumbrat. Itaque non injuria is coloris rufi ac pene ignei ibi describitur. Unde fortasse Franciscus Petrarcha in Amoris triumpho exemplar est mutuatus, cum eum supra ignitum currum imposuit, ita dicens.

Igneus est illi currus, qui nudus, & infans
Apparet, plenam telis fert ille pharetram
Ex humeris, arcumque manu idem in prælia gestat.

Quod ardentis amantium cupiditatis est argumentum, quæ cum spe rei amatæ obtinendæ conjuncta, magis semper accenditur; ut Alexander Aphrodiseus quodam in problemate testatur, ubi quærit, Cur amantium partes extremæ modo frigidæ sint, modo calidæ; ad quam dubitationem respondet; ejus vicissitudinis caussam esse spem, atque timorem, cum enim cor sedes, fonsque vitæ exsistat, ex quo in reliquum corpus spiritus derivent, qui ei robur, vigoremque suppeditent, cum id aliquo dolore opprimitur, non solum nullas potest ex se in aliena loca suppetias emittere, sed etiam antea emissas ad sese revocat, ut inde magis ad conflictandũ cum dolore illo corroboretur. Atqui amantes maxime omnium dolent, cum vident se spe omni rei amatæ potiendæ excluſos. Itaque minime mirum videri debeat, si extremæ eorum partes interdum frigeant. Eædem calescunt quandoque, cum scilicet amans in spem venit, fore ut tandem aliquando re cupita fruatur: cor enim præ lætitia quodammodo dilatatur, & ad cæteras corporis partes concepti gaudii nuncia emittit: hi sunt vividi quidam spiritus, qui corpus universum calefaciant, eique ruborẽ quemdam inducant. Sed alii existimant potius à verecundia ruborem hunc oriri, perinde atque animus sibi conscius, se, cum corporis voluptatibus dat operam, ab honestate recessisse, latere studeat. Itaque velati velo, rubore eam partem obtendat, quæ præcipue est verecundiæ sedes. Cæteræ Cupidinis partes, ejusque arma à Servio in 1. Æneid. exponuntur, is ita dicit, quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur, item quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: quod etiam Virgilius in IV. Æneidos in Didone ostendit, dicens,

Rubor in amantibus cur.

Incipit effari, mediaque in voce resistit.

Alatus autem ideo est, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur, ut apud Virgilium in ipsa Didone probatur, quæ paullo post eum quem tantopere amaverat, capitali odio insectatur. Et Terent. in Eunucho id ita expressit,

In amore hæc omnia insunt vitia, injuria,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ;
Bellum, pax rursum.

Itaque Franciscus Petrarcha postquam varios alicubi affectus amatorios longa oratione est prosequutus, ita concludit,

Summa sit, inconstans nimium est (heu) vita in amante;
Est audax, eadem magni est & plena timoris;
Paullum dulcis habet, multum commiscet amari.

Sagittas vero idcirco gestare dicitur, aut, quia & ipse, ut illæ incertæ, velocesque sunt, neque semper feriunt quo destinantur, quemadmodum de amantibus diximus, qui cito sententiam mutant, neque semper eo perveniunt, quo aspirant: aut quod sicut illæ sunt acutæ, ita conscientiæ vellicatio

post

post patrata flagitia amatoria, animum fodicat, qui post factum, tandem aliquando se perperam gessisse advertit: aut etiam Amoris sagittæ ejus in nos celerem adventum innuunt, nam sæpe vel primo aspectu sine ullo animi sensu, homines rei visæ pulcritudine mirifice incenduntur: quo is spectasse videtur, qui Cupidini in manus fulmen tradidit, prout in Curia Octaviæ visebatur, cujus rei, ut scribit Plinius, auctor ignorabatur: sed id affirmabatur, Alcibiadem fuisse principem forma in ea ætate, in cujus clypeo ita erat pictus, perinde atque, sicut Jovis, Deorum principis proprium est fulmen, ita is pulcritudine longe cæteris mortalibus antecelleret. Sed illud fortasse dici possit, visum esse, Amori non satis esse, ad ejus vires exprimendas, facem præbere, sed potius fulmen tribuendum, quandoquidem hoc non solum ea comburat, quæ facile ignem concipiunt, sed illa quoque statim incendat, quæ difficile ab igne corripi possunt, omnia etiam perrumpat, diffringat, comminuatque, quæ offenderit, quamvis ea sint durissima, idem quaqua mirabili quadam celeritate pervadat: quæ omnia mirifice in Amoris vires quadrare videntur: quod optime à Propertio, quadam in Elegia lib. 11. sic describitur,

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus cruris magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas.
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet:
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

In Templo etiam Æsculapii fuisse Cupidinis simulacrum, Pausanias in Corinth. refert, Pausaniæ opus, ubi Cupido abjecto arcu & sagittis, Lyram tenebat. Idem in Achaicis scribit, se Ægiræ in quadam ædicula Cupidinem prope Fortunam astantem vidisse: quod eo spectat, ut intelligamus hanc in amatoriis rebus plurimum posse: licet & illæ magnas vires habere, per nostram socordiam, vulgo existimetur. Has immensas, ut ajunt, Amoris vires adumbrasse volunt Acusilaum, qui ut Plinius lib. xxxvi. refert, marmoream leænam effinxit, aligerosque cum ea ludentes Cupidines; quorum alii religatam tenerent, alii è cornu cogerent bibere, alii calciarent sociis; omnes ex uno lapide. Omnium animantium sine controversia Leo est ferociissimus: sed inter eos fœmina masculo efferatis moribus longe præstat; hæc tamen amoris viribus cedere dicitur. Cum igitur stulta hominum opinione sit Amor adeo potens; hinc illud jactatum est;

Imago 82. a

Cupido cum Fortuna.

Omnia vincit Amor.

Ideoque poetæ callidi mendaciorum artifices sunt fabulati ab Amore Panem devictum esse, qui prior eam provocaverat: quod si ad res naturales trahere volumus, significare potest, rerum naturam, quam Pan suo nomine repræsentat, cum ab initio operari incepit, statim etiam suis operibus esse delectatam. Ea igitur hujusmodi delectatione capta, Amorem quodammodo provocavit: qui illam suis viribus ita sibi subjecit, ut nihil illa absque eo umquam audeat moliri. Hinc elementorum inter se discors concordia existit, quæ mirabili quodam consensu ad rerum omnium coagmentationem coeunt. Platonici quoque in ea sunt sententia, ut putent, animos nostros è cœlo in mortalia hæc corpora delabi, cum Amore quopiam erga ea teneantur; eosdemque his vinculis exsutos, ad cœlum conscendere, cum terrenorum amore vacui, totos se ad cœlestia amanda convertunt. Quidam etiam asseruerunt, duas in cœlo januas esse, per quarum unam animi è superioribus ad inferiora descenderent, per alteram è contra ab his ad illa conscenderent: hanc Deorum illam hominum dixerunt: ambarum januarum claves penes Amorem esse Orpheus volebat, ita ut absque ejus arbitrio nemini transitus ex uno in alterum locum daretur. Quare non absurde Amor, Geminas in manibus claves habens depingi posset. Sed non ita semper poëtæ Amorem omnium domitorem prædicarunt, quin interdum & ipsum victum inducant, quemadmodum Ausonius in quodam elegantissimo poemate fingit, eum in myrto, tamquam in patibulo quondam suspensum, suorum facinorum abunde pœnas dedisse. Id ob ejus mirabilem quemdam leporem visum est huc adscribere. Est autem hujusmodi;

Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes:
Orgia ducebant Heroides, & sua quaque,
Vt quondam occiderant, lethi argumenta gerebant
Errantes silva in magna, & sub luce maligna,
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloso lumine mercent,
Scripti olim regum, & puerorum nomina flores,
Miratur Narcissus, & Oebalides Hyacinthus,
Et crocus auricomans, & murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Ajax.
Omnia quæ lacrymis, & amoribus anxia mœstis,
Exercent memores, obita jam morte, dolores,
Rursus in amissum revocant Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona quercus, sexu gaviса virili,
Mœret in antiquam Cœnis revocata figuram.

Vulne-

Vulnera ſiccat adhuc Procris : Cephalique cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſta
Lumina Seſtiaca præceps de tarre puella.
Et de Nimboſo ſaltum Leucate minatur
Maſcula Leſbiacis Sappho peritura ſagittis,
Harmoniæ cultus Eriphyle mœſta recuſat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aeriæ Minoïa fabula Cretæ
Picturarum inſtar tenui ſub imagine vibrat.
Paſivae nivei ſequitur veſtigia tauri.
Licia fert glomerata manu deſerta Ariadne.
Reſpicit abjectas deſperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit: hæc vanæ ſimulacra coronæ.
Dædaliæ pudet hanc latebras ſubiiſſe juvencæ.
Præceptas quæritur per inania gaudia noctes,
Laudamia duas vivi, functique mariti.
Parte truces alia ſtrictis mucronibus omnes
Et Tysbe, & Canace, & Sidonis horret Eliſſa.
Conjugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hoſpitis enſem.
Errat & ipſa, olim qualis per Latmia ſaxa
Endymioneos ſolita affectare ſopores
Cum face, & aſtrifero diademate Luna bicornis.
Centum alia veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus, & mœſtis refovent tormenta querelis.
Quas inter meotas furvæ caliginis umbram
Diſpulit inconſultus Amor ſtridentibus alis.
Agnovere omnes puerum, memorique recurſu
Communem ſenſere reum; licet humida circum
Nubila, & auratas fulgentia cingula bullas.
Et pharetram, & rutila fuſcarent lampados ignem;
Agnoſcunt tamen: & vanum vibrare vigorem
Occipiunt: hoſtemque unum, loca non ſua nactum,
Cum pigros ageret denſa ſub nocte volatus,
Facta nube premunt, trepidantem, & caſſa parantem
Suffugia, in cœtum media traxere caterva.
Eligitur mœſto myrtus notiſſima luco,
Invidioſa Deum pœnis cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonim.
Hujus in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Devinctum à tergo palmis, ſubſtrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ

Afficiunt: reus est sine crimine, judice nullo
Accusatus Amor: se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cuncta exprobrantes tolerati insignia Lethi
Expediunt: hac arma putant, hac ultio dulcis,
Vt quo quaque perit, studeat punire dolorem.
Hac laqueum tenet: hac speciem mucronis inanem
Ingerit: illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, sine fluctibus æquor:
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces, rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis lugentibus, inque paventem
Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci:
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum
Sola volunt: stilus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem:
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus,
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites Furias: natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum; quod vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit: quod pube pudenda
Helleſpontiaci ridetur forma Priapi,
Quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, & graviora paventem
Olli purpureum multato corpore rorem
Sutilis expressit crebro rosa verbere: quæ jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum,
Inde truces cecidere minæ: vindictaque major
Crimine visa suo Venerem factura nocentem.
Ipsa intercedunt Heroides, & sua quæque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas:
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam cassa terrore quietem.
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido,

Effu-

Effugit, pulsa tandem caligine somni,
Evolat ad superos, portaque evadit eburna.

VENUS.

ANTEQUAM Veneris imaginem describam, ejus naturam paucis adumbrandam, operæpretium duxi, ad caussam eorum intelligendam, quæ inferius dicentur. Venus igitur libidinis, ac lasciviæ Dea habebatur, tamquam ea libidinem, lasciva que cogitationes in hominum animis injiceret, quas illa etiam ad opus deducendas curaret. Itaque eam Amoris matrem finxerunt, quod scilicet numquam fere mas cum fœmina conjungatur, nisi amore intercedente. Eamdem etiam veteres, sicuti & Hymenæum, ac Junonem, nuptiis præposuerunt; eæ namque contrahuntur, ut per concubitum proles sequatur. Pulcritudo quin etiam in Veneris potestate esse credebatur, quam illa tribuere, adimereve cuilibet pro libito posset. Ea juxta physicos vim in animantibus cunctis insitam repræsentat, qua ad procreandum illæ excitantur. Quamobrem qui sentiunt, animum nostrum è cœlo in corpus delabi, & ex singulis cœli globis varios affectus contrahere, ex Venere appetitum ad venerea illum sortiri asserunt. Alii etiam fabulas ad res naturales pertrahentes, Venerem, Junonem, Lunam, Proserpinam, Dianam, aliasque nonnullas Deas idem numen, diversas virtutes sub variis nominibus adumbrans, esse dicunt; quemadmodum hic ex diversis Veneris imaginibus cernetur. Habetur in fabulis, eam ex maris spuma exstitisse, ubi in id Saturnus patris Cœli virilia, à se abscissa projecisset: quod cum ab aliis multis, tum à Leone Hebræo optime in dialogis de Amore explicatur, cum ergo veteres illam è mari ortam exprimere vellent, eam inde emergentem, in concha stantem, adolescentulam, pulcerrimam nudamque depingebant: eamdem interdum in mari natantem designabant. Huc Virgilius lib. v. Æneid. alludit, cum Neptunum Veneri respondentem inducit, in hæc verba;

Venus libidinis Dea.

Veneris ortus.

Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis.

Quare & Græci eam ἀΦροδίτην à spuma appellant. In Jovis etiam Olympii templo, ut Pausanias in Eleis prioribus refert, Venus visebatur, quæ è mari emergens à Cupidine excipiebatur. Interdum eadem conchàm manu tenens, roseo serto redimita effingebatur; nam Rosæ ei sunt dicatæ, ut inferius latius dicemus: Concha autem, eam ex mari ortam innuit. Eam statim è mari Paphum appulisse dicebant, forte quod Cyprii, aut quod talem cœli positum sint sortiti, aut alia de causa, mirum in modum veneris voluptatibus sint dediti. Itaque præcipue eam cultu prosequebantur, templumque illius apud eos exstabat, in quo ejus statua non humanam figuram præferebat, sed quoddam in basi latum, atque rotundum erat, quod paulatim in acumen vergebat: cujus

rei, ut scribit Cornelius Tacitus nulla videbatur ratio reddi posse. Sed tamen aliqui sentiunt, hanc figuram corporis humani umbilicum referre: hæc Veneri est attributa, quod libido in mulieribus in hac parte residere ac inde incipere credatur. At quid dicemus de Jove Ammonio, qui ut superius meminimus, ita erat effictus? Ego hujus sum sententiæ, aliquid Arcani sub hac figura latere, quod ejus authores invulgus proferre noluerint, ut posteris materiam ad aliquid per se excogitandum relinquerent: aut quod antiqui semper sint arbitrati, res ad religionem pertinentes esse celandas, aut tam obscure innuendas, ut à nemine intelligi possent, nisi ab eo qui magnum studium ad eas indagandas attulisset: hoc ideo senserunt; quod ita majori venerationi essent futuræ. Veneri etiam sicut & cæteris Diis currus est tributus, quo per aerem, per mare, aut qua tandem libuisset veheretur. Sed Claudianus, cum eam in nuptias Honorii & Mariæ inducit, à Tritone humeris vectã, ac ejus cauda sursum erecta tamquam umbraculo tectam fingit. Ejus currus à candidissimis columbis trahi dicitur; hujusmodi enim aves maxime ei congruere videntur; ideoque Veneris aves dicuntur, nam præcipuo quodam impetu ad coitum feruntur, nec est ullum anni tempus quo ab hoc opere cessent. Fabulantur etiam *Poetæ*, ideo columbas Veneri esse gratas, quod *Peristera* Nympha quæ unice ab ea diligebatur, in hanc avem sit mutata. Ælianus præterea hinc ostendit, Veneri columbas esse sacras, quod in Erice Siciliæ monte quidam festi dies in Veneris cultum celebrarentur, quos Siculi transitus dies appellabant: nam tunc Venerem in Lybiam transire dicebant, atque ea de causa in illa regione nulla eo tempore Columba apparebat, tamquam omnes ad suam dominam comitandam essent profectæ: post nonum diem una omnium pulcherrima è mari Lybico evolare cernebatur, non aliis similis, sed rubra ut Anacreon scribit, ea Venus esse existimabatur, quam ille purpuream appellat: hanc infinitæ propemodum sequebantur. Itaque Ericis montis accolæ tunc reditus dies celebrabant, & divites opipara convivia instruebant, quemadmodum Athenæus refert, Cycni quoque Veneris currum pertrahebant, juxta Horatii, Ovidii, Statiique sententiam; aut quod avis hæc per se sit innocentissima, cum neminem umquam lædat, aut propter cantus suavitatem, qui magnopere libidines in nobis excitat. Hæc Dea nuda effingitur, eam scilicet ob causam, quod Venereis voluptatibus addictus, sæpe omnibus suis bonis spoliatur; nam ejus rem familiarem meretrices abliguriunt, corpus debilitatur, animus ea labe adspergitur, ut nihil amplius pulcritudinis in eo exsistat. Vel eamdem nudam veteres ostenderunt, ut nos inde intelligeremus, amatoria furta latere diu non posse, nam tandem aliquando in lucem emergant, necesse est, tum scilicet, cum minime suspicamur. Huc fortasse Praxiteles spectans, Gnidiis Venerem ex candidissimo marmore nudam effinxit, quæ tantæ erat pulcritudinis, ut multi Gnidum navigarent, ejus tantum videndæ cupiditate allecti. Ferunt amore captum quemdam, cum deli-

Columbæ Veneris aves.

Imago 83. a.

Cygni Veneri sacri.

tu-

luisset in templo, simulacro cohæsisse; ejusque cupiditatis esse indicem maculam. Venus per mare natat; unde intelligamus licet, quam sit amara hominum lascivorum vita: quæ assiduis incertorum consiliorum procellis agitatur, in quibus sæpe naufragium faciunt. In Saxonum historiis exstat, fuisse in Saxonia ejusmodi Veneris simulacrum: Stabat Dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextera mundi figuram, sinistra mala aurea tria ferebat: post etiam erant nudæ Gratiæ, nexis manibus poma gestantes, averis invicem vultibus dona conferentes: jugales quadrigæ aderant, gemini cycni, totidemque columbæ. Myrtus erat Veneri sacra: quod crederetur vim habere, ad amorem inter duos conciliandum, eumque conservandum. *Myrtus Veneri sacra.* Plutarchus pacis eam symbolum esse dicit: hinc factum est, ut ovantes myrtea corona cingerentur: nam ii cum parvo labore, & absque cæde de hostibus victoriam reportassent, Veneris planta coronabantur: ea enim vim, bella discordias aversatur: Alii sentiunt, myrtum Veneri datam, quod planta sit maritima, unde & nata sit Venus. Eidem rosæ sunt sacræ: quod sicut ex rubræ sunt, & non sine spinarum punctionibus decerpi possunt, ita & Veneris voluptates secum ruborem afferunt, & conscientiæ stimulis assidue nos pungunt: ita ut maximum ex eis dolorem contrahamus: præterea rosæ pulcritudo brevi durat, citoque languescit: idem voluptatibus fœdis accidit: ideoque ex rosis Veneri serta conficiebant. De eis fabulantur, olim eas fuisse albas; sed quondam Venerem, cum suppetias amasio suo Adoni latura curreret, cum scilicet Mars hunc suum rivalem jam esset de medio sublaturus, pedem rosarum spinis incautam imposuisse, ab eisque cruentatam, suo sanguine rosas respersisse, indeq; eas rubras effectas esse. *Rosæ Veneri sacræ.* Venerem Apuleius, cum de Judicio Paridis, in scena exhibito, agit, sic fere describit; Erat illa pulcerrimi aspectus, coloris suavis, atque jucundi, & nuda fere suam venustatem demonstrabat, nam pertenui velo operta, sua membra non operiebat, sed potius adumbrabat. Corpus candidum erat, ita ut cælitus descendisse diceres: velum erat cæruleum, maris instar, unde ea nata esse creditur: eam lascivi Amores præcedebant, faces præferentes, ut antiquorum erat mos, apud quos quinque pueri novam sponsam, ad mariti domum euntem cum facibus præcedebant. Veneris quoque latera hinc Gratiæ, illinc Horæ claudebant; quæ floreis sertis voluptatum Deam adornare videbantur. Ita Apuleius Venerem exprimit. Sed alii eam pone Gratias, ad latera Cupidinem, & Anterotem habentem effingunt. Horatius eam lætam, & ridentem facit, dicitque Jocum ac Cupidinem illam circumvolare. Homerus eam fere φιλομμειδῆ hoc est, risus amatricem cognominat; risus enim est lætitiæ argumentum, quæ lasciviam comitatur. In Petri Appiani antiquariis exstat puer nudus, alatus, myrtoque coronatus, qui humi sedet, ac barbiton pulsat, quem inter crura continet: ejus inscriptio est VENUS: ante hunc alius puer ei similis

rectus stat, eumque inspicit, ambabusque manibus, in altum elevatis comam una cum facie muliebri tenet; ex ea pannus usque ad mediam comam dependet. Faciei inscriptio est JOCUS, pueri est, CUPIDO. Veneri non solum lascivas, sed & pudicas cogitationes veteres adscribebant. Itaque Romani, libris Sibyllinis per decemviros inspectis, censuerunt, ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quo virginum, mulierumq; mens à libidine ad pudicitiam converteretur; caussam nominis Ovid. lib. IV. Fast. affert, quod lascivarum fœminarum corda, ad pudicitiam converterit. Eo spectasse Marcellus videtur, qui, victis Syracusis, templum Veneri extra urbem ad mille circiter passus posuit, ut scilicet procul lascivia à Romanis mulieribus abesset, sicut templum illud à mœnibus Romanis recedebat. Ad hoc Romanæ adolescentulæ, nubiles jam proficiscebantur, sigilla quædam offerentes, ex argilla, aut panno confecta, quibuscum jam in puellari ætate ludere solitæ essent. Venus hæc verticordia illi similis erat, quæ a Græcis ἀποστροφία appellabatur, vertibilem nos diceremus, hæc homines à scelestis & impiis operibus, & desideriis parum æquis, malisque cogitationibus avertere putabatur. Nomen id illi Harmonia Cadmi uxor imposuit. Apud Græcos Venus erat etiam Urania, hoc est, cœlestis cognominata, à qua purum illum, ac sincerum amorem ad nos manare arbitrabantur, qui omnem penitus corporum conjunctionem aversatur. Erat & alia, πάνδημος, hoc est, popularis dicta; quam scopas arieti insidentes, pedeque testudinem opprimentes finxit, ut Alexander Neapolitanus refert. De eadem re *P*lutarchus in præceptis connubialibus meminit; rationemque reddit, dicens; apud Eleos Venerem esse, quæ pede testitudinem calcat; ut eo mulieres docerentur, ad ipsas domus custodiam pertinere; easque decere, parum admodum loqui, cum Silentium mulierum sit maximum ornamentum. Idem *P*lutarchus alibi ejus imaginis rationem explicans, scribit adolescentulas, dum adhuc sunt innuptæ, sub alterius custodia esse debere: sed, cum matrimonio junctæ fuerint, ipsarum esse manus, domum custodire, cæterum semper silentium illis esse servandum, tamquam viris incumbat, pro eis, ubi opus fuerit, loqui: nam *P*linius scribit, testudinem lingua carere: idem refert. Idetiam Ælianus confirmat, testudinem fœminam in coitu aversam se mate[illegible] præbere: atque ideo vix se in pedes erigere posse, cum magno periculo, ne sit feris præda, præcipue aquilæ: quare maxime à coitu refugit, quem tunc appetit cum quamdam herbam tetigerit. Hinc mulieres discant, quanto se discrimini committant, cum suam pudicitiam prostituunt, sibique statuant tunc tantum concubitum expetendum, cum prolis relinquendæ gratia, se legitimo matrimonio junxerint. Veteres solebant cum Venere Mercurium conjungere, quo innuebant, amorem suavibus verbis conciliari plerumque solere. Hac etiam de caussa, inter Gratias Veneris comites Pithos collocabant, quæ à Latinis Suadela dicitur, & erat persuadendi Dea.

Imago 84.

Hæc

Hæc in Jovis templo apud Eleos Veneris, è mari emergenti, à Cupidine quo sustentatæ, coronam offerebat. Megarenses quoque Suadelæ simulacrum in Veneris templo dedicarunt: primus fuit Theseus, qui auiatarum simul conjunctarum cultum induxit; ut Pausanias scribit, cur in civitatem plebem per agros sparsam coegisset. Alibi etiam per Græciam templa Suadelæ erant posita una cum Venere: nam juxta Ovidium lib. 1. v. Fastorum Venus.

Illa rudes animos hominum contraxit in unum,
Et docuit jungi cum pare quemque sua.

Amatoresque primi eloquentiam invenerunt, qua adolescentulas, à se adamatas ad sua vota pertrahere studebant; multaque alia ad earum pudicitiam expugnandam excogitarunt, atque invenerunt. Itaque Arcades Venerem Machinatricem, atque Inventricem appellabant. Venerem veteres licet lætis, mollibus, voluptuosisque præposuerint (nam eam Jupiter apud Homerum, hortatur ut, à tristibus bellis absit, tum, cum ipsa suppetias Æneæ contra Diomedem latura, in manu vulnus suscepit; hæc inquiens, Martis, aut Minervæ esse opera, ad ipsam vero non bella, sed amatoria officia spectare) Sed tamen eam quoque armatam interdum effinxerunt: hujus rei causam sic Lactantius narrat; Cum, inquit, Messenios obsiderent Lacedæmonii; & illi furtim deceptis obsessoribus, egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, à Spartanis mulieribus fugati, fusique sunt. Cognitis autem hostium insidiis, Lacedæmonii sequebantur: his armatæ mulieres obviam longius exiverunt: quæ cum viros suos cernerent, parare se ad pugnam, quia putarent Messenios esse, se eorum uxores esse indicarunt: at illi, uxoribus cognitis, in libidinem concitati, sicut erant armati, permixti sunt utique promiscue (nec enim vacabat discernere) Quare propter hujus facti memoriam, ædem Veneri armatæ & simulacrum posuerunt. Legitur de hac re elegans sane Ausonii Epigramma, de Græco expressum; quod est hujusmodi;

Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas:
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus, Armatam tu me temeraria temnis?
Qua, quo te vici tempore, nuda fui.

Eadem hanc, vel aliam ob causam est quoque Victrix cognominata. Et in agro Corinthio Veneris statua exstabat; Victoriam porrigentis; Nicophorosque, hoc est, Victoriam gestans dicebatur. Eam, Pausanias scribit, ab Hypermestra dicatam: nam illa, cum, patris imperio contempto, suum virum interficere noluisset, à patre fuit in judicium vocata, sed judicum sententiis absoluta, Veneri ejusmodi statuam posuit. Romani autem Venerem Victricem ita effingebant, ut in quodam Numeriani Imper. numismate cernitur. Erat imago stolata quæ dextra Victoriolam porrigebat, sinistra nescio quid hac forma Δ: quod alii putant, umbilicum esse, qua specie apud Paphum colebatur, ut supra docuimus; alii speculum arbitrantur; nam Philostratus in

Amorum tabula scribit, Nymphas Veneri statuam posuisse, quod tam pulcræ prolis esset mater, speculum etiam argenteum dedicasse. In quodam Faustinæ numismate Venus cernitur, sinistra clypeum ad humum protensum tenens, in quo duæ imagunculæ sunt exsculptæ; dextera vero Victoriam porrigens: inscriptio est, VENERI VICTRICI. In alio ejusdem Faustinæ numismate ubi inscriptio est, VENUS, mulier recta cernitur, quæ sinistra vestis lacinias tenet, sursumque reducit, dextera nescio quid porrigit, pomum videtur; ob memoriam forte pomi illius, quod ipsi à Paride est adjudicatum. Pausanias etiam eidem pomum in manus tradit, cum de quopiam Veneris simulacro scribit, quod erat apud Sicyonios, ibi narrans, templum Deæ positum, in quod non nisi duabus mulieribus aditus patebat; quarum una, quæ & templi custos erat, dum huic muneri præerat, casta perseverabat; altera virgo erat, nam sacras res tractabat, hæc anno expleto, alteri hanc sacrorum administrationem tradebat. Cæteri, qui Deam veneraturi veniebant, foras pro januis stabant. Deæ statua erat aurea, ea sedebat; manu una aliquot papaveris capita tenebat, altera pomum; in capitis vertice nescio quid affixum habebat, quod cardinem referret. De quadam Venere Pausanias in Laconicis meminit, quæ Morpho dicebatur à Tyndareo posita, erat enim ædicula supra Veneris armatæ fanum, ubi Dea sedebat, in capite tegumentum habens, & ad pedes pedicas; quibus innuebatur, juxta nonnullorum sententiam, uxores viris, quibus cum sunt matrimonio conjunctæ, connubialia vincula dissolvere non debere. Nam quod Veneri vincula Tyndareus pedibus injecerit, ut filiarum opprobria ulciscereturn, non credendum Pausaniæ videtur; idque non injuria; nam statuas veteres Diis dicabant, ut erga eos pietatem, ac religionē præ se ferrent, aut ut ab eis hac ratione opem impetrarent; vel etiam ut earum forma diversas Deorum virtutes adumbrarent. Itaque non solum *V*eneris, sed etiam nonnullorum Deorum pedes pedicis vincti cernuntur, non contumeliæ, aut injuriæ referendæ gratia, sed alias ob causas, de quibus superius egimus. Licet autem *V*enus meretricum numen esse proprium putaretur, ut quæ Meretriciam artem prima invenisset exercuissetque. Itaque Meretrices ejus Festa summa cum religione celebrabant, ab ea votis & precibus contendentes, ut venustatem, pulchritudinem ac gratiam sibi apud omnes conciliaret, quo maxima lucra, ac pecunias ab amatoribus extorquere possent; sed tamen eadem summo cultu etiam ab honestis puellis afficiebatur, quod existimarent, eam sibi ejusmodi venustatem ac formam elargiri posse, ut facile nubere possent: nam & *V*enus, ut alibi scripsimus, apud antiquos matrimonio erat præposita. In Græcia quoque erat spelunca, ubi sicut Pausanias refert, *V*eneri divini tribuebantur honores, quo diversas ob causas multi confluebant, sed Viduæ præsertim, à Dea felices alteras nuptias precaturæ, Nuptæ quin etiam *V*enerem orabant, ut concordiam

Imago 85 a.

Venus armata.

diam sibi cum suis viris conservaret, lætaque prole se fœcundaret. Quamobrem Venus omnium generum mulieribus erat commune numen; quæ cum majori se religione erga Deum obstringi, quam viri sentirent, quidquid sibi prospere successisset, Veneri acceptum referebant: neque vero homines erga eam se ingratos præbuerunt: Nam beneficia ab ea recepta, magna animi gratitudine sæpe compensasse leguntur. Itaque Romani, cum à Gallis in Capitolio obsiderentur, ubi maxima omnium rerum penuria laborabant, quia mulieres sibi comas, ad funes in machinarum usum conficiendos, absciderunt, liberati obsidione. Veneri, ab ipsis Calvæ cognominatæ Templum, ut Lactantius scribit, dedicarunt, in Beneficii à mulieribus accepti memoriam conservandam: sed aliâs semper Venus pulcherrima coma effingitur, qualem eam Claudianus in Nuptiis Honorii & *Mariæ* describit, ita dicens;

Cæsariem tum forte Venus subnixa coruſco
Fingebat ſolio; dextera, lævaque ſorores
Stabant Italiæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat; hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidam diſcrimen erat: ſed tertia retro
Dat varios nexus, & juſto dividit orbes
Ordine.

Neque solum comatam Venerem Antiqui sed & barbatam expressêrunt: nam ejusmodi statua apud Cyprios visebatur, ut Alexander Neapolitanus scribit; quæ aspectu quidem virili erat, sed muliebrem habitum gestabat. Suidas scribit Veneris simulacrum aliquando effingi solitum cum pectine & barba, quod Romanis aliquando mulieribus pestilens irrepsit pruritus, quo Morbo cum pili decíderent omnes, pectinum non erat usus. Quare mulieres tam deformi, ac invenusto morbo primum angebantur: hinc Veneri vota facientes, deæ miseratione eis pili iterum succreverunt: & propterea mulieres hac peste liberatæ, Deæ simulacrum cum pectine posuere; eidemque simul barbam effinxere, ut Dea masculâ, & fœminea instrumenta haberet, ut omnis generationis præses crederetur: ideoque superiora corporis cingulo tenus maris speciem præferebant; inferiora vero fœminæ. Neque Veneri tantum à veteribus tributum est, ut mas simul, & fœmina esset, sed cæteris quoque Diis, quibus utriusque sexus nomen est inditum, ut significaretur inter eos nullam in hoc esse differentiam, qualem inter mortales cernimus. Proditum est, apud Carenos, qui sunt Arabiæ populi, observatum esse, ut, qui Lunam fœmineo genere, & nomine putarent nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviret: qui vero marem esse crederet, is in uxorem dominaretur, neque ullas muliebres pateretur insidias. Hinc licet Græci vel Ægyptii eo genere, quo

Venus Barbata.

Imago 86. a

Dei omnes mares, ac fœminæ.

quo fœminam hominem, etiam Lunam Deum dicerent, myſtice tamen Deum intelligebant: ideoque ab Ægyptiis vitulus pro Luna tanto cultu eſt
Lunus Deus. affectus. Parthi Lunum Deum venerabantur. Philochorus etiam, qui idem Lunæ, ac Veneris numen eſſe arbitratur (qua in ſententia etiam Ægyptii fuere, qui Veneris ſtatuam, ſicut & Lunæ cornutam effingebant) ſcribit, mulieres virili veſte, homines que muliebri, Veneri ſacra feciſſe. Neque ab hac ſententia videtur Seneca in Naturalibus quæſtionibus recedere; ubi ſcribit; Ægyptios ex ſingulis elementis bina feciſſe, unum maſculum, alterum fœminam: nam in aëre ventum maſculum eſſe dicebant, fœminam vero id, quod non moveri, caliginoſumque eſſe videtur; ſalſam aquam marem, dulcem fœminam; in igne id maſculum eſſe, quod comburit, quod lucet vero, fœminam; in terra maſculum, quod eſt durum, ut ſaxa, fœminam quod molle, culturæque eſt patiens. Macrobius lib. 1. Satur. refert, ſimulacrum hujus Deæ in monte Libano fictum fuiſſe capite obnupto, ſpecie triſti, faciem manu læva intra amictum ſuſtinens, ita ut lacrymæ à ſpectatoribus manare credantur. Imago hæc Veneris erat, Adonim plorantis, qui fuerat ab apro interfectus. Quare in hujus rei memoriam quædam feſta dicta Adonia celebrabantur: tum mulieres cadaverum ſimulacra feretris imponebant, quæ lacrymis proſequentes, ad ſepulturam efferebant: id Plutarchus ſcribit, Athenis factitatum, ut lacrymas à Venere in Adonidis morte ſparſas commemorarent. Apud Argivos, ſicut Pauſanias meminit, Adonim plorabant quadam in ædicula, quæ non multum à Jovis Servatoris fano aberat. Hanc Veneris imaginem ita Macrobius ibidem exponit; Phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero hemiſphærium terræ, Proſerpinam vocaverunt, ergo lugens inducitur Dea, quod Sol annuo greſſu, per duodecim ſignorum ordinem pergens, partem quoque hemiſphærii inferioris ingreditur: quia de duodecim ſignis Zodiaci ſex ſuperiora, ſex inferiora cenſentur: & cum eſt in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tamquam Sole raptu mortis temporalis amiſſo, & à Proſerpina retento: rurſumque Adonim redditum Veneri credi volunt, cum Sol, evictis ſex ſignis annuis inferioris ordinis, incipit noſtri circuli luſtrare hemiſphærium, cum incremento luminis & dierum. Ab apro autem tradunt interemptum Adonim, hiemis imaginem in hoc animali fingentes, quod aper hiſpidus, & aſper, gaudet locis hiſpidis, & lutoſis, pruinaque contectis, proprieque hiemali fructu paſcitur glande. Ergo hiems veluti vulnus eſt Solis, quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem; quod utrumque animantibus accidit morte. Quare dicta imago terræ quoque hiemalis eſt, quo tempore obnupta nubibus, Sole viduata ſtupet; fontesque velut terræ oculi, manant; agriq; iterũ ſuo cultu vidui mœſtam faciem uberius ſui monſtrant. Hæc Macrobius. Sed & Euſebius in libris de Præparatione Evangelica

phy-

physicè de Venere loquens, ab ea dicit, vim generandi in animantes manare, ac eam semini vim indere; ideoque muliebri forma præditam, ut immutatur, rerum ortum ab ea proficisci, pulcram eam effingi, quod omnium stellarum longe pulcerrima videatur, quæ vesperi Hesperus, mane Lucifer, juxta M. T. Ciceronis sententiam appellatur; eidem Cupidinem ad latus adstare, quod ab ea libidinès immittantur: ubera, ac genitalia operta habere; nam intra illa semen, item & Lac, unde ex semine nata nutriantur, conditum est: è mari natam ferri; quod ejus aqua humida, ac calida credatur, quæ assidue motetur, ac agitata spumas uberes emittat; quæ omnia in semen quoq; quadrant. Multa quoque de Venere dici possent, si quis de ea, tamquam de erronum una, deque effectibus, qui huc in terras ex ea dimanant, loqui vellet. Ex quo intelligi daretur, quamobrem veteres, Martem, Deum ita ferocem una cum ea placide degere finxerint. Sed id cum ad nostrum institutum non admodum faciat, optimo jure à nobis prætermitti posse censemus. Quare ad Gratias ac Horas, Veneris comites transeamus.

GRATIÆ.

DESCRIPTA à Venere, ejusque filio Cupidine, reliquum est, ut ad ejus comites adumbrandas; accedamus atque ita ad umbilicum institutum opus perducamus. Eæ Venerem semper assectari dicuntur; nam sicuti Venus, ac Cupido efficiunt, ut per continuam prolem succrescentem humanum genus conservetur; ita & Gratiæ homines inter se colligatos continent; nam mutua beneficia, quibus alter alterum prosequitur, sunt causſæ, cur alter alteri sit gratus; ac omnes vinculo amicitiæ simul copulētur; qua ex hominibus sublata, non est dubium, quin homines cæteris animantibus longe inferiores essent, civitatesque disturbarentur, immo ne essent quidem. Itaque dici fortasse potest, satius fuisse mortales nusquam fuisse, quam ubi fuissent, vivere absque Gratiis. At divina providentia, quæ huic rerum universitati prospicit, eas exsistere voluit. Hæ juxta quorumdam sententiam Veneris ac Bachi filiæ fuerunt, interque mortales sibi domicilium constituerunt: quæ fabula ideo ficta videtur, quod nihil fere hominibus est gratius iis, quæ ab his Deis in nos manant. Alii aliter eas natas fabulantur: sed est extra rem, qua de agimus, varias de hoc variorum opiniones inquirere. Nonnulli dicunt idem Gratiarum numen esse, atque Horarum, sed distincta tamen esse inter eas munera: Chrysippus Gratias paullo juniores, ac pulcriores Horis esse dicebat, ideoque Veneri comites attributas. Horas Homerus ait, cœli portis præesse, curamque habere, ut modo serenum, modo nubilum sit. Hæ idcirco Solis equos curare finguntur, quod ex cursu Solis oriantur, seu potius mensurentur, & distinguantur. Unde Ovidius lib. 11. Metam. ita de eis scribit,

Gratiæ quorum filiæ.

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Jussa Dea celeres peragunt.

Horæ quattuor. Nec aliud quicquam Horæ sunt, quam anni tempora: hincque est, cur eas quattuor faciant, sicut & quattuor sunt anni partes, ita à Sole distinctæ, ac nominatæ: nam apud Ægyptios Sol præter alia nomina, etiam Hori nomen obtinuit. Itaque de Horis Eusebius in lib. de præparat. Evang. scribit, Horæ, quas quattuor anni tempora, ac cœlum claudere, & aperire dicunt, interdum Soli tribuuntur, interdum & Cereri, atque ideo duos calathos ferunt, alterum florum plenum, quibus ver innuitur; alterum ficubus; quibus æstas significatur. Eas Ovidius libro 1. Fastorum Jano comites adscribit, in cœli januis custodiendis. Ibidem libr. v. Floræ comites facit; sicque Floram dicentem inducit,

Conveniunt pictis incincta vestibus Horæ,
Inque leves calathos munera nostra legunt.

Pausanias scribit, veteres eas in Jovis capite una cum *Parcis* effinxisse; hoc fortasse innuentes, Fatum nil aliud esse, quam Dei voluntatem, a quo etiam temporum vicissitudo proficiscatur. *Philostratus* eas sic describit; Horæ, corporea specie in terram profectæ, manus contingentes, annum volutant, & tellus belle fert annua omnia. Flavæ autem hæ super spicarum comis ambulant, non tamen ut frangant, aut flectant, sed usque adeo sunt leves, ut ne cum segete quidem cadant. Sunt autem aspectu valde suaves, artisque mirandæ; dulcissimus est earum cantus, in orbeque convertendo, admirabilem spectatoribus præbent oblectationem, cum omnes veluti saltitent: sublatum autem brachium, comæque demissæ libertas, fervensque præ cursu gena, & una salientes oculi, eas pulcerrimas reddunt. Quia ergo hæ efficiunt, ut terra semina sibi commissa magno cum fœnore restituat, perinde atque beneficiorum memor, nobis gratiam referat; hinc factum est, ut Gratiæ quattuor esse ferantur, sicut & quattuor sunt anni tempora, quæ Horæ dicuntur: ex quo intelligitur, illas atque has idem esse. Gratiæ autem coronatæ, una floribus, fructibusque terræ, altera spicis, & frumento, terra uvis, & pampinis, atque pomis, ultima olivis, cæterisque similibus, Apolloque manu dextera eas gestare fingebatur; quod eæ anni partes à Sole proveniant. Eædem Veneri quoque comites sunt assignatæ; quod olim putarent, ab eis proficisi, quod ad oris speciem, corporisque pulcritudinem spectet; ut Diodorus refert. Earum quoque munus est, ne homines beneficiorum sint immemores, sed grato animo gratiam rependant. Quare aliqui duas tantum Gratias esse existimarunt, ut Lacedæmonii, qui quemadmodum *Pausanias* in Laconicis refert, duas tantum coluerunt, quia duo tantum ab eis in homines opera manant, unum, quod est, in alterum beneficium conferre, alterum, beneficia accepta compensare. Sed tamen idem Pausanias scribit, omnes, qui in Delo

Gratiæ quattuor.

Gra-

Gratiis una cum Mercurio, aut Apolline ſtatuas poſuere, tres eas effinxiſſe, easdemque tres in arcis Athenienſis veſtibulo exſtitiſſe. Itaque vulgo receptum eſt, eas tres eſſe: nam beneficia accepta non ſolum paria reddere, ſed majora etiam, & duplicata debemus. Hinc fit, ut earum una terga ad nos obvertat, duæ vultibus nos intueantur, hoc innuentes, nobis in beneficio referendo majori liberalitate utendum, quam cum priores officiis aliquem provocamus, quæ in eum collocare non debemus remunerationē exſpectantes, nam fœnus id potius eſſet, quam beneficium. Gratiæ quin etiam virgines hilares, ac ridentes effinguntur, ut hinc intelligamus, eum, qui beneficium præſtat, nulla fraude uti debere, ſed animo candido, ſimplici, atque hilari omnia facere. Eodem etiam ſpectat, quod illæ nudæ zonisque ſolutæ pinguntur, quales Horatius deſcripſit, nam amici inter ſe animos nudos, apertos, ac omni fraude ſolutos habere debent. *Pauſanias* in Bœoticis ſe ignorare fatetur, à quo Gratiæ nudæ primum fuerint effictæ, cum olim veſtibus amictæ paſſim pingeretur, ſeque cauſſam latere, cur poſtea nudæ exprimi ab omnibus & pictoribus, & ſtatuariis, cœperint. Idem ſcribit, Eteoclem Bœotum primum Gratias colendas inſtituiſſe, easque tres induxiſſe, ſed ſe ignorare dicit, quibus eas nominibus appellarit, Heſiodus autem illas ita nominavit, unam Euphroſynam, quæ hilaritatem ſignificat, alteram Aglajam, quæ majeſtatem ac venuſtatem ſonat, tertiam Thaliam, quam florentem feſtivamque interpretemur licet, quartam Homerus *Paſitheam* nuncupavit, quam Juno uxorem Somno ſe tradituram pollicetur, ſi is Jovem ſopiat: idem unam nominat Gratiam, quam Vulcani uxorem, cumque eo ſemper degiſſe dicit: hanc pulcra coma decoram Thetidi obviam prodeuntem deſcribit, cum ea ad Vulcanum proficiſceretur, oratura ut is arma pro Achille filio ſuo fabrefaceret. Eleos Gratias ita formaſſe legimus, ut una roſam altera talos tertia myrti ramum manu præferret: Ratio eſt; quod roſa & myrtus Veneri ſunt ſacræ, ideo ſunt eis traditæ, quæ ut plurimum Veneris ſunt comites: talus virginum luſus repræſentat; quales matronas haud deceant, Hæc Pauſanias. Alii roſa earum feſtivitatem innui dicunt, talo viciſſim eas commeare debere; myrto, eas ſemper vivere oportere. Alexander Neapolitanus refert, qui ab Ariſtotele in Ethicis eſt mutuatus, olim Gratiarum Templum in media platea conſtrui ſolitum eſſe; ut eo ſcilicet homines admonerentur, quo prompto animo beneficia compenſarent, id enim Gratiarum munus eſſe exiſtimabant. Sed id temere fieri nequaquam debet; nam tantum eſt in vitio ponendum, beneficium in indignum, præſertim non indigentem conferre; quam non ei præſtare, qui noſtra ope indigeat, præcipue ſi dignus ſit cui ſuccuratur. Id etiam nobis gratiarum imagine ſignificatum, in qua interdum earum Dux Mercurius cernitur, qui rationem ac prudentiam monſtrat, ut his ducibus homines utentes, quomodo, quando, quibusque ſit beneficium præſtandum cognoſcant, divinam

nam semper pro virili parte bonitatem imitantes, quæ semper ad nobis benefaciendum est parata. Ideoque, ut Macrobius arbitratur, Apollo singebatur dextera Gratias gestare, sinistra arcum & sagittas, quod ad noxam sit pigrior Deus, & promptior ad salutem. Sed quomodo circa beneficia gerere nos debeamus, præclare Seneca lib. 1. de benef. ex Gratiarum imagine ita docet, Tres Gratiæ sunt, quia ut quibusdam videtur, una sit, quæ dat beneficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat: aliis vero, quod tria beneficiorum sint genera, Promerentium, addentium, simul & accipientium, reddentiumque. Quid ille consertis manibus, in se redeuntium chorus? Ob hoc, quod ordo beneficii per manus transeuntis nihilo minus ad dantem revertitur, & totius speciem perdit, si usquam interruptus est, pulcherrimus, si cohæsit & vices servavit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse, & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt, &
Imago 88. a. sincera, & omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec adstricti, solutis itaque tunicis utuntur. Pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt, sed colophonem huic Gratiarum descriptioni, & universo simul libro addamus, elegans sane Epigramma adscribentes, quod Romæ in ædibus Columnensium Gratiarum simulacro est inciſum: id est tale,

Sunt nudæ Charites niveo de marmore: at illas
Diva columna suis ædibus intus habet:
Par tribus est facies, qualem decet esse sororem:
Par tribus est ætas, Par quoque forma tribus,
Grata Thalia tamen gemina conversa sorori
Implicat alterne brachia blanda soror.
Euphrosynem dextra stupeo Aglaiamque sinistra
Miror, & implicitis Brachia nexa modis,
Jupiter est genitor peperit de semine cœli
Eunomia, & Veneris turba ministra fuit.
Inde alitur nudus placida sub matre cupido,
Inde Voluptatis, inde alimenta Deis.

INDEX RERUM ATQUE VERborum, quæ hoc Libro continentur ordine Alphabetico digestus.

A Cervi lapidum cur circa Mercurii statuam congerentur, 145
Acheron quid significet, 128
Accipiter cur Apollini sacer, 29
Accipiter Solis symbolum, 53
Acinacis Martis simulacrum apud Scythas, 172
Achelous pro aquis dulcibus capitur, 115
Acheloi imago, 117
Acis à Polyphemo interfectus, 117
Adad, & Atergatis imago, & ejus expositio, 35
Adiantho herba Pluto coronatus, 125
Adoniorum festorum ritus, 324
Æacus inferorum judex, 120
Æga Solis filia, 163
Æga à Jove gestata quæ esset, 73
Ægis unde dicatur, 163
ab Ægyptiis Græci Deorum cultum sunt mutuati, 3
Ægyptii elementa coluere, absq; effigie, 4
Ægyptii maxime monstruosos Deos habebant, 14
Ægyptii quando suem sacrificarent, 50
Ægyptiis cur nefas vaccam immolare, 53
Ægyptii cur pavonis pennis domorum januas ornarent, 80
Ægyptiorum regum habitus, 114
Æneæ ad inferos aditus quid significet, 124
Aër masculus, & fœmina, 224
Aër subinde Solis virtute varias induit qualitates, 37
Æsculapii statua ex vitice, 13
Æsculapius quid significet, 37
Æsculapii aliud simulacrum, quod erat Auximi, & ejus significatio, 38
Æsculapii fabula quod Glaucum Minois filium ab inferis revocarit, 39
Æsculapii simulacrum apud Phliasios, 38
Æsculapius nutritus à canibus, 96
Æsculapius cur dictus Cotylæus, 148
Æternitas comitabatur semper Deos digniores, 14
Affectus humani non sunt per se mali, 127
Agdistis mali genii ortus, 93
Agesilaus statuas sibi decerni noluit, 10
Aglaia una Gratiarum, 224
Alcibiades in suspicionem affectati principatus venit, 141
Alcibiades pulcerrimus, 213
Alexandri Mater à serpente dicta est gravida facta, 185
Alectryon in gallum conversus, 175
Almon fluvius, 94
Amantium extremæ partes cur modo frigidæ sint, modo calidæ, 212
Amata virgo Vestalis, 97
Amor vehementissima, ac perniciosissima omnium animi perturbationum, 204
Amor terrenus unde ortum traxerit, 206
Amor admodum gravis Deus, 207
Amores Nympharum filii, 207
Amoris laquei quid significent, 209
Amor liquidus & lubricus, 210
Amoris currus ignitus, 211
ab Amore cur fingatur Pan devictus, 213
Amor captus apud inferos ab Heroinis, ac patibulo affixus; 215

in Amphiarai antro Somniorum porta esse credita, 143
Amphitrite Neptuni uxor, 111
Angeronia Dea, 160
Anguium complexus concordiæ symbolum, 136
Anguilla cur invidiæ symbolum, 199
Animæ, quarum corpora insepulta, centum errare annos dicebantur, 134
Animus à Saturni orbe qui immutuetur juxta quosdam Philosophos, 19
Animi nostri divinitas, 22
Animus noster duplici lumine præditus, 23
Animus omni fortuna valentior, 201
Animi nostri ex Venere appetitum ad venerea trahunt, 217
Anni Symbolum, 15
Anseres cur Junoni sacri, 80
Antevorta, & Postuorta Divinitatis comites, 22
Anthracia una ex Arcadicis Nymphis, 101
Antiochi Sotheris visum, 40
Antipodes qui, 122
Antoninus Imperator Cereris sacris initiatus, 101
Anubis effigies, 146
Apidis oracula quo pacto ab Ægyptiis eliciebantur, 33
pro Apolline reliqui dii ponebantur, 25
Apollo lyram tenens, quid significaret, 26
Apollo cur in medio Musarum, 27
Apollinis alia imago, & ejus expositio, 28
Apollo cur Lycius nuncupetur, 28
Apollo cur dicatur medicinæ Deus, 31
Apollinis statua apud Patrenses, 34
Apollinis simulacrum apud Assyrios, ejusque expositio, 34
Apollinis simulacrum in Laconia, 36
Apollo cur dicatur Cyclopes interfeciisse, 37
Apollo cur Sminthius diceretur, 41
Apollinis statua Neapoli, ac ejus causa, 42
Aper hiemis symbolum, 224
Apri imaginem Germani ferebant, 95
Aqua multis numinibus est adscripta, 96
Aqua masculus, & fœmina, 223
Aquila cur Jovi sacra, 71
Aquila cur esset Victoriæ symbolum, 174
Aquila Persarum vexillum, 175
Arcades se omnium Græcorum antiquissimos jactabant, 58
Arcadum cultus erga Deas Eleusinas, 101
Arcadiæ situs, 58
Arcana passim non vulganda, 64
Argilla cur effingendis Diis non admodum congruat, 13
Ariadna à Theseo relicta, 127
Aries Ægyptiis sacra, 76
Arimaspi unicum habent oculum, 154
Asininum caput qui coluerint, 5
Asinus cur Apollini sit dicatus, 42
Asinus cur Bacho sacer, 182
Asinus victima Priapi, 189
Assyrii Solis ac Lunæ simulacra non admittebant, 25
Astarte Cœli filia, Saturni soror, & conjux, 19
Athenis de nomine imponendo contentio inter Neptunum, & Minervam, 111
Athenæ sub Minervæ tutela, 157
Athenienses cur cicadas aureas capillis implicitas gestarent, 58
Athenienses quomodo cultum panis receperint, 60
Athenienses quid Jovi sacrificarent, 77
Athenienses sapientes, riteque sacrificantes, 125
de Atta fabula, 93
Attis quid significet, 95
Audire hominem, quatuor auribus præditum, quid sit, 31

Averrunci Dii cur ab antiquis colerentur, 126
ex Auro cur Dii effingerentur, 12
Aurora quomodo efficiatur, 44
Auſtri ſive Noti effigies, 115

B.

BAcharum habitus, 181
Bachinalia ſplendidiſſima à Ptolomæo Philadelpho celebrata, 181
Bachanalium ritus, 188
Bachus vini repertor, 177
Bachus cur juvenis effingeretur, 74
Bachus cur ſit dictus Muſarum dux, 178
Bachus infernus Deus eſt creditus, 181
Bachus triumphi inventor, 182
Bachi navis deſcriptio, 183
Beelzebubus muſcarum Deus, 151
Belli portarum deſcriptio, 24
Belli ineundi mos apud veteres, 156
Bellonæ, & Minervæ idem numen, 155
Belluæ, quæ ab Ægyptiis colebantur, 34
à Belluis nutriti homines, 96
Beſtiæ in Deos relatæ, 2
Bœotia diluvio ſubmerſa, 86
Bona Dea cui rei præeſſet, 115
Boreæ venti effigies, 116
Boves Apollini cur eſſent grati, 32
Bovis cornua cur Dianæ templo affigerentur, 46
Brennus quomodo Panico terrore perculſus, 60
Bruto malus Genius viſus, 192

C.

CAduceatores cur oleam ferrent, 136
Caduceus Mercurii quid eſſet, 135
Caduceo Mercurii cur ſint duo angues additi, 136
Cœli portæ quot ſint, 20
Caia Cæcilia eadem ac Tanaquili Tarquinii Priſci uxor, 88
Caligula divinos ſibi honores uſurpabat, 9
Calvaria ſimulacri loco à Scythis habita, 5
Cambyſes Apim interfecit, 33
Canephoræ virgines quæ, 101
Canis ſacer inferorum Deo, 52
Canis candidus fidei ſymbolum, 139
Canopus apud Ægyptios Deus habitus, 111
Caper cur Apollini ſit dicatus, 42
Caper cur Bacho immolaretur, 102
Capra cur magni fieret apud Græcos, 64
Cardineæ Deæ ſacrificandi ritus, 21
Cardinea vel Carna Dea cur colerctur, 130
Cares primi Ferri officinas inſtituiſſe, mercede militaſſe, loris clypeos appendiſſe, & criſtas galeis accommodaſſe feruntur, 74.
Carpaſium linum igni non conſumitur, 157
Carpathus inſula, 114
Caſſiteridarum Inſularum incolarum forma, 127
Caſtores viſi Vacieno, nuntiantes victoriam de Perſe reportatam, 82
ſub Caſtoris nomine etiam Pollux intelligebatur, 83
caſtores cur ſint tributi comites Junoni, 84
cato ſtatuas ſibi poni noluit, 10
ex cedro cur Dii effingerentur, 11
Celtæ loco Jovis altiſſimam quercum venerabantur, 76
Cerberus cur fingatur ad inferni fores excubare, 123
de cerbero fabula unde initium traxit, 124
ceres eadem ac Terra, 91
Cereris inventa 99
ceres cur legifera ſit dicta, 99

Cereris numen ad quam terram referatur, 100
Cereris Eleusine sacra, 101
Cereris cum sue convenientia, 102
Cereris Nigræ simulacrum, 103
Cervus Dianæ gratissimus 45
Cervorum cornua in Dianæ templis suspensa, 46
Charontis officium, 133
Charybdis mulier rapacissima, 110
Chimæræ effigies, 131
Ciconiæ natura, 68
Circenses ludi cur Neptuno essent sacri, 113
Clava Herculis quid significet, 151
Claudiæ Vestalis pudicitia quomodo comprobata, 94
Clavis cur in mulierum manus tradi soleret, 48
Clavis cur Plutoni tribuatur, 49
Cleomenis Alexandri ducis commentum, ad pecuniam conficiendam, 34
Clodius sacra Bonæ Deæ violavit, 105
Clypeus Minervæ quid significet, 162. 128
Cocythus quid significet, 162
Coloniæ non transmittebantur sine Deorum consilio, 42
Columbæ cur Veneris aves dicantur, 218
Colus, & fusus cur ferretur à sponsa olim, 85. & 86
Compitalia festa, 189
Comus conviviorum Deus, 177
Concordiæ effigies, 138
Consentes Dii qui, & quot, 3
consualia festa apud Romanos quæ, 112
cor in parte sinistra hominis, 65
cor Dei symbolum, 66
corpus nostrum à cerbero repræsentatum, 124
corybantes Magnam matrem obeuntes quid significent, 92
cornua cur fluminibus tribuantur, 117
cornua cur Bacho tribuantur, 179
Cornucopiæ unde originem traxit, 70
corona querna quibus daretur, 76
corvus cur sit Apollini sacer 29
cranes, sive carna, aut cardinea Dea præposita cardinibus, 21
cubus cur dicatus Magnæ matri, 95
Cuninæ Deæ munus, 91
Cupido Deus, rebus Veneris præsidēs, 204
Cupidinis simulacrum in gymnasiis olim ponebatur, 206
Cupidinis fontis vis, 212
cupiditas cur sit homini data, 127
è curru olim pugnare solebant, 79
Currus Bachi quid significet, 183
Cybele eadem ac Terra, 91
Cycnus cur Apollini sacer, 29

D.

Dædala Junonis festa, 85
Dædalus primum cæpit statuas affabre facere, Jason. 115. 35
Damias, & Auxesias tutelaria numina Epidauriorum, 12
Danai cum Gelanore de imperio contentio, 28
Draco in Æsculapii tutela, 38
Deæ Syriæ simulacrum plurima numina referebat, 78
Deæ magnæ quæ essent, 101
Decima Parca, 132
Demogorgonis Æternitas comes, 14
Delphines cur Neptuno gratissimi, 111
Dercetus figura, 115
Deverra Deus quis, 63
Deum naturaliter homo cognoscit, 2
Dii majorum gentium qui, & quot secundum Pythagoricos 3
Deorum simulacra qui populi repudiarunt, 4

Deos qui coluerint absque nominibus, 5
Deorum multitudinem qui in Græciam invexerint, 6
Diis cur humana effigies sit tributa, 7
Deorum statuæ, & cognomina ex affectibus humanis, 10
Deorum alii masculi, alii fœminæ, alii virgines, alii matrimonio juncti, 11
Dii pennates lignei, 13
Dii etiam forma belluarum expressi, 14
Deos laneos habere pedes quid significet, 19
Dii apud antiquos quo pacto introducti, 24
Dii numquam senescunt; 25
Diis statuæ positæ pro ratione beneficiorum receptorum, 41
Deorum manus exosculari, 50
Dei imago apud Ægyptios, & declaratio, 58
Dii custodes mulieris recens fœtæ, 63
Dei conditoris apud Ægyptios simulacrum & ejus explicatio, 66
Dii cur inter se sint implexi, 96
Deorum imagines absque hominis aut animalis figura, 75
Dii è cœlo in Ægyptum fugati à Typhone, 186
Dii omnes mares simul, & fœminæ, 223
Dextera tamquam sacra existimata, 138
Diana venationis Dea, 47
in Dianæ tutela silvæ, ac luci positi, 45
Dianæ simulacrum apud Arcades, 47
Diana cur omnibus Deis antiquior diceretur, 48
Dianæ simulacrum apud Siculos, 49
Diana idem numen ac Proserpina, 51
Dictamnum parturientibus impositum, multum prodest, 49
Dindymene mater, 93
Dionysii Tyranni dicterium in Æsculapium, 25
Dionysius dictus Bachus, 177
Dioscuri, Castor & Pollux, 82
Dioscurorum simulacrum, 84
Diphthera Jovis liber, 73
Discordia pulsa cœlo, 172
Ditis nomine cur Pluto appelletur, 121
Divites singulis mensibus Lunæ sacrificabant, 57
Divitiæ Lunæ comparantur, 58
Dius Fidius quis esset, 70
Draconis leges etiam res inanimes reas faciebant, 77

E.

EBrietas Bachi mysterium, 180
de Ebrietate lepida historia, 184
Ebur cur effingendis Deorum simulacris non valde sit idoneum, 12
Echo, à Pane amata quid significet, 62
Eduæ Deæ munus, 91
Elementa ab antiquis sub Deorum nominibus culta, 78
Elementa apud Ægyptios mascula simul, & fœminea, 223
Eleusinæ Deæ quæ essent, 101
Empusa mutabilior quid sit, 52
Encedalus gigas quis fuerit, 165
Endymion cur Lunæ amasius sit dictus, 56
Epidaurii quomodo gravissimæ sterilitati consuluerint, 12
Epipyrgia Hecate dicta, 51
Equorum quadrigæ Phœbi nomina, 41
Equus ex Neptuni percussione editus, 112
Equi cur Neptuno conveniant, 113
Equi effigies in vexillis Romanorum, 174
Ercynæ amnis ortus, 106
Eteoclis & Polynicis pugnæ imago, 132
Eventus boni simulacrum cum bona Fortuna positum, 203
Eumenides, 126
Evocatio Deorum quomodo fieret, 173

Euphrosyna una Gratiarum, 228
Euri effigies, 116
Eurynomes figura, 115
Eurynomus inferorum Genius, 123
Euthymus athleta cum malo Genio congressus, 192

F.

FAbæ cur impuræ, 103
Faces cur præferrentur nuptiis, 84
Famæ effigies, 170
Fama cur præcedere Martis currum dicatur, 171
Fatum quid sit, 132
Fatum Fortunam vincit, 102
Fauna eadem quæ Bona Dea, 105
Faunus numen Aventini montis, 56
Fauni, Sylvani, Satyrorumque imago, 63
Favoris imago, 203
Fecialis officium apud Romanos, 156
Felicitas Dea, 203
Felis cur Lunæ symbolum, 57
Feni fasciculus pro vexillo apud Romanos, 174
Feronia libertinorum *Dea*, 83
Ferula cur Bacho sacra, 182
Ferrum, aliaque metalla cur dedeceant Deorum simulacra, 12
Fides cur tecta, atque secreta, 138
Fistula septem calamorum in manibus panis quid significet, 62
Flammeus nuptarum velum, unde sit dictum, 84
Flagellatio apud Lacedæmonios ad Dianæ aram, 45
Flamini Diali nefas fabas attingere, aut nominare, 103
Flaminico divortiũ facere non licebat, 89
Florum usus apud veteres, 178
Flora florum Dea, 104
Floræ imago, 116
Fluvii cur arundine coronarentur, 117
Fluxus & refluxus maris, Luna est caussa, 57
Fœderum percutiendorum ritus apud Romanos, 69
Fœneratores Kalendis pecunias collocacabant, 24
Fons mirabilis naturæ contra periuros, 69
Fortitudo vera quæ, 161
Fortunæ simulacrum in Nervæ numismate, 86
Fortuna cur culpetur, 193
Fortunæ bonæ, ac malæ imago, 195
Fortunæ suæ quilibet faber, 201
Fortuna sine Virtute nequam felix, 203
Forulus, vel Forculus Deus præpositus foribus, 21
Fraudis descriptio, 199
Fulmen multorum Deorum insigne, 72
Furiæ Plutonis administræ, 125
Furiæ tres, 126
Furiæ cur facibus armatæ, 147
Furina Dea, 126
Furoris effigies, 171

G.

GAlathea unde dicta, 108
Gallus cur Apollini sacer, 29
Gallus cur sit Æsculapio sacer, 38
Galli cur appellarentur Magnæ matris sacerdotes, 93
Gallus cur *Marti* sacer, 175
Ganymedes Jovis pocillator, 25
Geminorum signum quod, 82
Genius quid sit, 190
Genius floribus coronabatur, 102
Genio malo impia sacrificia oblata, 192
Germani templis, & statuis carebant, 5
Germani quos Deos coluerint, 6
Germani Tellurem colebant, 95
Gigantes contra *Deos* pugnantes, quid significent, 166

Glandibus primi homines victitarunt, 92
Glauca Saturni filia, 18
Glauci imago ex Philostrato, 107
Gnidiæ Veneris pulcritudo, 128
Gorgion bellua quæ sit, 163
Græci cur Deos armatos effingerent, 10
Græci nimis ambitiosi in statuis, 13
Gramen cur Marti sit sacrum, 176
Gratiæ cur quatuor 226
Gratiarum imago, 227
Gratiæ cur tres esse dicantur, 228
Gratiarum templum cur in media platea ædificaretur, 229
Gryphes qui sint, 154
Gymnasiorum Dii, 146

G.

HArpocratis simulacrum 33
Harpocratis effigies 160
Harpiarum effigies, 129
Hastæ Deorum imaginibus cur additæ, 79
Hasta Minervæ quid significet, 162
Hebes Deorum pocillatrix, 25
Hecate idem numen cum Diana, 49
Hecatæ sacrificabant suibus, ac ovibus, ib.
Hecatæ in triviis sacrificabatur, 50
Hecates cœna quæ esset, 51
Hecates simulacrum triceps, ejusque expositio, 52
Hecatombæ quomodo fierent, 49
Hedera cur Bacho sacra, 182
Hera Neptuni & Cereris filia, 102
Herculanus nodus quid denotet, 88
Herculis simulacrum, ab Evandro positum, 13
Hercules liberos LXX. reliquit, 88
Herculis ad inferos aditus quid significet, 124
Hercules ramum Acheloi fluvii ex una in aliam partem derivavit, 117
Herculis, & Mercurii unum numen, 146
Hercules XLIV. numerati, 147
Hercules unde arma sit mutuatus, 148
Hercules bibax, 148
Herculis sacrificia plena maledicentiæ, 149
Hercules cur pelle leonina fingatur indutus, 150
in Herculis templum quoddam nec muscæ, nec canes ingrediebantur, 151
Herculis templum quibus mulieribus liceret ingredi, 152
Hercules infans admotus ad Junonis ubera, 86
Hermæ statuæ quæ, 141
Hermaphroditus Veneris filius, 216
Hesperus omnium stellarū pulcerrima, 225
Hetrusci in quot partes cœlum diviserint, 43
Hieroglyphicæ litteræ, 3
Hierosolymitani templi ornamenta in Pacis templum translata, 137
Hippocoon ab Hercule interfectus, 148
Hippomanis, & Atalantæ fabula, 92
Hippopotami natura, 68
Hippopotami forma, 118
Hircus Priapi symbolum, 297
Homines marinos reperiri, 108
Honoris effigies, 158
Horta Dea, 160
Humiditas, & caliditas ad rerum procreationem coire debent, 85
Hydra ab Hercule interfecta, 149
Hygicia Æsculapii filia, & ejus imago, 41
Hymenæus Nuptiarum Deus, 87
Hypermestra suum virum servavit, 221

I.

IAnus primus templa Diis in Italia dicavit, 20

Jani similitudo cum Sole, 21
Janus mundi Symbolum, 22
Jani quadricipitis imago quid denotet, 23
Icilus Somni filius, 144
Ignis, atque aër majorem cæteris elementis vim habent, 78
Ignis & aqua cur olim sponsæ proponerentur, 85
Ignis perpetuus à Vestalibus custoditus, 97
Ignis Persarum Deus. 111
Ignis duplex consideratio ibid.
Impari numero cur Dii cœlestes gaudere dicantur, 85
Imperatores cur lauro coronarentur, 30
Infans cur statim editus, in terra deponeretur, 90
Inferorum Judices qui, 120
Intercido Deus quis, 63
Invidiæ imago, 199
Io, & Isis idem numen, 53
Iphigenia Dianæ sacrificata 45
Ira cur sit homini data, 127
Iræ effectus, 171
Iris Junonis nuncia, 81
Isidis cultus apud Ægyptios, 32
Judæi nullam Dei imaginē susciebant, 4
Judicis imago apud Thebanos, 68
Judices cur fallantur, 120
Judices quales esse debeant, 196
Jugum cur imponeretur matrimonio conjungendis, 87
Junonis Metapontiæ templum columnis viteis fulcitum, 86
Juno Regina Romæ appellabatur, 12
Juno mensium Kalendas tenebat, 24
Juno Jovis Soror, 78
Juno capta pro terra, 78
Juno pacifica Dea, 79
Juno divitias significat, 80
Junoni quatuordecim Nymphæ ministrabant, 81
Juno sponsa, 85
Junoni aves sacræ, 80
Juno cur sponsa vocaretur, 84
Junonis cum Jove dissidia quid adumbrent, 86
Junonis cognomina, quatenus nuptiis præest 88
Juno aliquando terram adumbrat, 96
Junoni urbium portæ erant dicatæ, 113
Jupiter, quid per se, quid ex Deorum sententia faciat, 3
Jovis statua ex vite confecta, 13
Jovis oculus, 31
Jupiter cur dictus Opt. Max. 58
Jovis attributa ex Orpheo, 59
Jovis imagines, quæ ad principes docendos pertinent, 67
Jupiter marinus, 68
Jovis Horcii statua contra periuros, 69
Jupiter Horcius. 70
Jupiter idem numen cum Bacho, 71
Iupiter Custos quomodo effingeretur, 72
Iupiter Labradeus cur sit dictus, 74
Iovis simulacrum apud Sicionios, 75
Iupiter in alias, atque alias subinde formas mutatus, 77
Iupiter nutritus à capra, & picis, 96
Iurandi ritus in ludis Olympicis, 69
Iurare per Genium principis, 300
Iustitia cuncta cernit, 67
Iustitiæ insignia, 196
Iuventas quomodo expressa, 26

L.

Lamiæ quæ sint, 130
Lanuvini Junonem sospitam colebant, 86
Lapides quadratos qui pro Deis coluerint, 5
ex Lapide atro cur Dii effingerentur, 12
Lares Dii qui, 98

Lares

Lares genii mortuorum, 189
Lari avis voracitas, 149
Lasciviæ imago, 65
de Latona fabula, 28
Laurentia meretrix magnam hæreditatem populo Romano reliquit, 104
Laureatæ litteræ quæ, 174
Laurus cur sacra Apollini, 30
Laurus cur sacra Lunæ, 50
Laurus victoriæ symbolum, 174
Lebetes quid essent, 152
Legati pro pace quomodo ornabantur, 136
Legumina à Cerere distributa, 103
Lenæus dictus Bachus, 177
Leonum mos, in suis vestigiis tegendis, 92
Leones cur Cybelæ attribuantur, 95
Leones cur sacri Vulcano, 169
Lethes aqua, 40
Letheus fluvius quid significet, 128
Levanæ Deæ munus, 91
Liber dictus Bachus, 177
Libido cur sit homini data, 127
Libitina idem numen cum Venere, 133
Ligneis simulacris quamdiu Romani usi sint, 13
Limentinus Deus liminum præses, 21
Lingua cur Mercurio consecrata, 142
Locrensibus castores adjutores contra crotoniatas, 82
Loti arboris natura, 59
Lucerna Minervæ, 157
Lucinæ simulacra cum eorum expositione, 48
Ludi Florales, 105
Lunæ semestris bos sacrificabatur, cum infantibus nomina imponerentur, 48
Lunæ triplex simulacrum, & cur, 51
Lunæ simulacrum apud Martianum Capellam, 54
Lunæ varii colores quid præsagiant, 55
Lunæ natura quo pacto ad mores conformandos deduci possit, 57
Lunulæ in calceis quid significent, 57
Lunus Deus, 223
Lupercalium ritus, 86
Lupus cur sub Apollinis tutela, 28
Lupi pellis pro caduceo apud Hispanos, 137
Lupus in Romanorum vexillis, 103
Lupus Silentii symbolum, 98
Lycurgus Deorum effigies repudiavit, 4
Lyssa quarta furia, 129

M.

MAcaria Dea, 203
Mænades quæ, 181
Magica ars Romanis exosa, 57
Magna mater cur Ops sit appellata, 91
Magnæ matris imago ex Buccatio cum expositione, 92
Magna mater quomodo è Phrygia Romam advecta, 94
Magnæ matris effigies in Faustinæ numismate, 95
Majora initia Cereris, 103
Malorum catalogus, inferni fores obsidentium, 135
Mala punica Concordiæ symbolum, 139
Manii Dii, 126
Manubiæ emissæ à Jove differentes ab iis, quæ ab aliis Diis emitterentur, 72
Manus aperta pro vexillo apud Romanos 174
Manus osculari quid significet, 139
Marcellus triumphans, Romam cum Deorum simulacris intravit, 6
M. Tullii Duumviri pœna, ob publicatos sacrorum libros, 11
Marini Dei canis capillis, & senes effingebantur, 107
Martis effigies cur effingeretur in ædium

rusticarum portis, 167
Mars cur fingatur cum Venere rem habuisse, 169
Martis arma, 170
Mars communis Deus, 175
Marsiæ simulacrum libertatis insigne, 183
Massilienſium vetus sacrorum mos, 5
ex Materia lucente cur Dii effingerentur, 11
Medusa quæ fuerit, 163
Medea eadem quæ Bona Dea existimata, 105
Menippus Cynicus inferorum nuncium sedebat, 127
Mercurii columnæ, 3
Mercurius subterraneus idem qui Trophonius, 40
Mercurius Jovis nuncius, 135
Mercurii virgæ effectus, 140
Mercurius Mercatorum Deus, 142
Mercurius cur imberbis, 144
Mercurius pro Sole positus, 145
Mercurii oraculi consulendi ritus, 152
Mercurius cur Minervæ conjunctus, 153
Meretrices per Sirenes repræsentatæ, 109
Minervæ sacrificandi ritus, 8
Minerva cur sit solis virtus, 35
Minerva quæ fulmina jaculari dicatur, 72
Minervæ erant dicatæ arces, 103
Minerva Orci galeam induit, 122
Minerva Prudentiæ Dea, 153
Minervæ galea quid significet, 154
Minerva unde sit dicta, 155
Minervæ armorum descriptio, 162
Minerva, & Vulcanus cur ex æquo Athenis præesse dicerentur, 166
Minerva Frænatrix, ibid.
Minerva cur fingatur virgo, 176
Minio qui se inficerent, 76
Minos inferorum judex, 120
Minois imago ex Dante, 121
Minotaurus in Romanorum vexillis, 174
Miraculum cum magna mater Romam veheretur, 94
Miraculum de lapide quodam reperto in Sipylo, 96
Mnemosynes aqua, 40
Mœragetis Dei officium, 133
Momus Somni & Noctis filius, 199
Momi qui dicantur, 199
Morpheus Somni filius, 144
Morta Parca, 132
Mulieres prudentia destituuntur, 154
Mundus cur non possit esse Deo coæternus, 14
Mundi imago, una cum expositione, 22
Mundus quomodo pro Jove capiatur, 59
Mundi imagines apud Ægyptios, 66
Mundus hic à Platonicis infernus vocatus, 128
Murali corona qui donarentur, 96
Mures unde oriantur, 41
Musæ singulæ in singulis cœlis, 26
Musæ sæpe ex dentac Nymphæ, 178
Mutinus Deus quis esset, 188
Myiodes Deus muscarum, 151
Myrtus cur Veneri esset sacra, 219

N.

NArcisso Pluto coronatus, 125
Narcissi fabulæ significatio, 196
Narcissus amore mortuus, 214
Naturæ symbolum cur sit Vultur, 53
Natura quomodo pro Jove capiatur, 59
Nealcis pictura belli, quod inter Persas, & Ægyptios gestum est in Nilo, 75
Necessitatis vel Violentiæ templum, 132
Nemesis, & Fortunæ idem numen, 195
Nemesis facta ex lapide, quem Persæ tulerant,

rant, ut ex eo victoriam de Athenienſibus reportandum effingerent, 196
Nepheia quid ſignificet, 57
Neptuno aquarum regnum obtigit, 106
Neptuni templum mirabile apud Atlanticos, 111
Neptunus primus equos domuit, 112
Nereis viſa, 108
Nero noluit initiari ſacris Eleuſinis, 101
Nicon eximius athleta, 77
Nili effigies, 118
Noctua cur Minervæ ſacra, 157
Nona Parca, 132
Noctis imago, 142
Numæ libri cur combuſti ſint, 11
Nuncii Deorum qui, 135
Nuptiales ritus olim adhibiti, 88
Nuptiales preces, 87
Nuptiales Dii, 88
Nuptiarum mos apud veteres, 84
Nuptiarum concepta verba, 88
Nuces in Jovis erant tutela, 89
Nymphæ pro aquis potabilibus captæ, 178

O.

Occaſio idem numen, ac Fortuna, 201
Occidens ſiniſtra cœli pars, 43
apud Oceanum cur Dei cœnare fingantur, 28
Olea pacis ſignum, 136
Opinionis imago, 158
Ops eadem ac Terra, 91
Oracula ab omnibus Diis edita, 152
Orci galea quid ſit, 122
Oreſtes furiis agitatus, 126
Oriens dextera cœli pars, 43
Oſiris apud Ægyptios eſt Sol, 29
Ovantes cur myrtea corona cingerentur, 219
Ovis cur non mactetur Thebis, 76

P.

PAlæmon portuum Deus, 111
Palæſtra Mercurii filia, 140
Pales paſtorum Dea, 103
Paliliorum ritus, 104
Pallas gigas à Minerva occiſus, 155
Palma cur Victoriæ ſymbolum, 175
Palma maſculei, & fœminei ſexus, 187
Pan ſymbolum univerſi, 60
Pan pro Sole poſitus, 62
Pan unus ex majorum gentium Diis apud Ægyptios, 64
Pan, atque Satyri cur maxima numina Ægyptiis, 65
Panici terrores qui ſint, 60
Papaver cur ſacrum Lunæ, 57
Papaver fertilitatis ſymbolum, 99
Par numerus cur Diis inferis gratus, 85
Parcæ tres, 131
Parcarum nomen unde ſumatur, 132
Parthenope quomodo Neapolim condiderit, 42
Partus quinarium numerum non ſuperat, 85
Paſiphae tauri amans, 215
Paſithea una Gratiarum, 228
Paſtores ſub Mercurii tutela, 145
Paventiæ Deæ officium, 91
Pavo cur Junoni ſacer, 80
Pavor, & Terror Martis comites, 161
Pavor, & Pallor ſimul culti, 162
Pauſanias in ſomnis monitus, ne de ſacris Eleuſinis ſcriberet, 101
Pacis celebre nomen Romæ, 137
Pacis, aut fœderis apud Romanos percutiendi ritus, 174
Pecunia initio in corio cudebatur, 17
Pegaſi equus, 44

Penatēs *Dii* qui, 190
de *Penelope* narratio, 89
Pentheus Bachi contemptor quo pacto punitus, 185
Peplum Minervæ quale fuerit, 165
Peristera Nympha Veneri grata, 218
contra Periuros fons mirabilis, 69
Perpetuitas, & Æternitas quid inter se differant, 14
Persæ abundant asinis, 75
Perseus Medusam interfecturus Orci galeam induit, 122
Perseus Medusam interfecit, 163
Phallus quid, 188
Phallophori qui, 188
Phantasus Somni filius, 144
Phlegethon quid significet, 129
Phœbi imago apud Martianum *Capellam*, & ejus expositio, 36
Phœbi currus, 42
Phœbas tripodi insidens, vaticinabatur, 152
Phœnices cur suos *Deos* cum crumenis effingerent, 10
Pherephattes, *Proserpina* dicta, 106
Phœbetor Somni filius, 144
Phocarum figura, 115
Phrygia *Dea* quæ, 92
Pictores, ac sculptores à poetis exempla desumpserunt, 75
Pica cur Bacho sacra, 182
Picus, montis Aventini numen, 56
Picus cur Marti sacer, 175
Pietas in parentes quo pacto conciliaretur. 96
Pileati servi qui, 83
Pilem rubrum quinam apud Ægyptios gestarent, 29
Pilumnus Deus quis, 63
Pinus cur *Pani* sacra, 65
Pinus cur sacra Matri magnæ, 93
Pini natura, 200
Pirithoi ad inferos descensus quid significet, 124
Pitho inter Gratias 220
Pitys à Pane amata, 65
Plataici Dii qui, 169
Platanus Genio sacra, 192
Plutoni cur sit Cerberus triceps tributus, 120
Pluto divitiarum Deus, 121
Plutonis imago ex *Martiano*, 122
Plutus cæcus cur fingatur, 124
Plutus cur in Fortunæ manibus sit effictus, 194
Pœnitentia Occasionis comes 201
Poetæ omnium primi de Diis scripserunt, 24
Poetæ cur Lauro coronarentur, 30
Poetæ cur hedera coronarentur, 178
Polieo Jovi ridiculus sacrificandi ritus, 77
Polyphemus Galatheæ amator, 108
Pomona hortorum Dea, 104
Pomum jacere, amorem offerre alicui significat, 208
Populus Diis manibus sacra, 181
Porca cur victima Magnæ matris, 95
Porca prægnans cur Cereri immolaretur, 102
Porca prægnans Bonæ *Deæ* immolabatur, 105
Porrigere herbam quid significet, 136
Portuni ædes, 69
Potinæ Deæ munus, 91
Præficæ munus, 125
Præstites Dii homini nascenti, 145
Precum imago, & ejus expositio, 20
Priapus ex Bacho cur ortus fingatur, 187
Priapi effigies, 188
Primorum hominum sacrorum mos, 4
Principes sunt vivæ Deorum imagines, 22

Prin-

Principum ſtatuæ quid dignitatis haberent, 10
Promethei furtum ignis cœleſtis quid innuat, 8
Prometheus ſtatuariæ artis inventor, 7
Prometheus tamquam Deus habitus, 8
Prometheus ignem è cœlo ſuffuratus, quid ſignificet, 166
Proſerpina unde dicta, 92
Proſerpina cur fingatur à Plutone rapta in Sicilia, 100
Proſerpina ſimilis poteſtatis cum Bona Dea, 106
Protervia ſacrificium quale eſſet, 169
Proteus futurorum prædictor, 104
Providentia Dei numinis loco habita, 8
Providentia quomodo pro Jove capiatur, 59
Pudicitiæ imago unde deſumi poſſit, 94
Pudor pro Deo habitus, 89
Pulcritudo quomodo concilietur, 147
Pyramis cujus rei ſymbolum, 75
Pythagoras cur fabarum uſum prohibuerit, 103
Pytho ab Apolline interfectus, quid ſignificet, 27

Q.

QUatuor anni temporum imagines, 23
Quercus pro numinibus habitæ, 5
Quinarii numeri natura, 84
Quinque Dii in nuptiis adhibiti qui ſint, 85

R.

RElegio præcipua hominis virtus, 1
Religionis penitus expertes Belluæ, 2
Regis imago apud Ægyptios, 68
Reges olim pro diademate haſtam geſtaſtabant, 79
Rhadamantus inferorum judex, 121
Rhamnuſia Nemeſis cur cognominata, 195
Rhea eadem ac Terra, 92
Rheæ cur ſint attributa cymbala, tympana, faces, & lampades, 97
Rhodiis in ortu Minervæ cur aurum depluiſſe dicatur, 125
Romæ erat alter populus lapideus, 9
Romæ natalis, 104
Romani ſine ſtatuis diu fuerunt, 4
Romani quando primum ſtatuas receperunt, 5
Romani patritii cur geſtarent lunulas in calceis, 57
Romani quid Jovi ſacrificarent, 77
Romani belli tempore duplicia ſigna oſtendebant, 112
Romulus, & Remulus nutriti à lupa, 86
Romulus, & Remulus à Flora nutriti, 104
Roſa cur Veneri ſacra, 219

S.

SAcerdotibus ſolis arcana ſacrorum erant cognita, 10
Sacerdos Bellonæ apud Cappadoces ſecundum à Rege locum tenebat, 155
Sacrificium ridiculum Herculi factum, 149
Sacrificium inhumanum Dianæ oblatum apud Patras, 46
Sacrificia cur non ſine igne, 98
Salutis ſimulacrum, 169
Sanitatis ſignum, 40
Sapientiæ tres partes, 154
Sappho maſcula, 215
Satrapis effigies, 104
Saturnus pro tempore ponebatur, 16. & 18
Saturnus cur fingatur à Iove filio è cœlo in terras pulſus, 16
Saturnus cur in Deos relatus, 17
Saturni fabula qua dictus eſt filios devoraſſe, 17
Saturnus cur fingatur lapidē devoraſſe, 18

à Saturni stella plurimæ calamitates orbi terrarum importantur, 19
Saturni imago tempus significans, 19
Satyrorum imago, 64
Satyri cur *Bachi* comites, 65
Scarabeus cur Solem adumbret, 30
Scipionis statua cur non in foro, sed in Capitolio esset, 10
Scipionis mater à Serpente dicta est gravida facta, 185
Scyphus Herculis quis, 148
Scyllæ imago, 110
Scythæ nulli Deo templum posuerunt, præterquam Marti, 171
apud Scythas sacrificandi ritus, ibid.
Semele fulmine icta, 214
Semini ut ad fructus perveniat quid necessarium, 122
Semiramis sui effigiem colendam publicè proposuit 7
Semiramis nutrita ab avibus, 96
Semiramis Dercetus filia, 115
Senectutis causa quæ sit, 177
Serapis Ægyptiorum Deus quis fuerit, 36
Serapidis imago apud Ægyptios, & ejus significatio, 37
Serpens cur sit sacer Æsculapio, 38
Serpentes cur divinæ cujusdam naturæ existimati, 67
Serpentes cur Cereri attributi, 100
Serpens cur sit Minervæ sacer, 162
Serta à Bacho inventa, 182
Seruchus auctor idololatriæ, 7
Sesostris Ægyptiorum rex, 100
Severæ Deæ, 126
Sicilia cur Cereri dicatur gratissima, 100
Sigaleonis effigies, 160
Signa, & tabulæ pulcræ moribus quantum officient, 7
Sileni simulacrum, 65
Silenus nisi coactus verum dicere volebat, 178 178
Silentium maximum mulierum ornamentum, 220
Silvanus silvarum, & agrorum Deus, 63
Simulacrorum usus unde prodiit, 4
Simulacra cur varie effingerentur, 10
Simulacra Deorum cur lignea apud veteres, 12
Simulacra ex homine & bellua apud Græcos, 65
Sirenum figura, 109
Sirenum scopuli ardui, 110
Sistrum Isidis quomodo esset effictum, & quid significaret, 57
Solis, ac Jovis inter se junctorum simulacrum, 25
Sol omnium erronum regula, 26
Solis navis imago, & ejus significatio, 29
Solis imago apud *Phœnices*, 31
Solis mensa quæ, 34
Solis simulacrum apud Ægyptios, ac ejus expositio, 36
Solis imago Elephantinopoli, ejusque expositio. 43
Solis imago apud *Phœnices*, 75
Sol occidens igneus, significat ventos, 115
Solis, ac Justitiæ oculus, 196
Somnia vera cur cornea dicantur, 143
Somnus cur una cum Musis, 142
Somni sedes ubi, 143
Sosipolidis ara, 69
Sosipolis Eleorum Deus, 191
Sphingum natura, 131
Sphinx cur collocata in vestibulo templi Minervæ, 154
Sponsæ cur flammeum ferrent, 89
Statuarum origo, 6
Statuarum multitudo, & studium apud veteres, 9

Statuæ quibus ponerentur, 10
Statuæ pretiosæ materiæ unde ortum habeant, 12
Statuarum materia, 11
Statuarum quæ partes ex marmore effici solerent, 13
Stelliæ quo pabulo alantur, 28
Stimula Dea, 160
Strigum effigies, 128
Suadela inter Gratias, 220
Suevi Liburnam navem colebant, 54
Summano fulmen attributum, 72
Sus cur victima sit cereris, 102
Sus in Romanorum vexillis, 174
Syringa à pane amata, 65

T.

TAcita Dea, 160
Talus cur portetur à Gratiis, 228
Taraxippus Deus quis sit, 113
Taulonis cujusdam factum, 77
ad Tauricam Dianam hospites mactabantur, 45
Telephus nutritus à cervis, 96
Tellus dicta Euryssernos, 91
Tellus à Germanis Dea habita, 95
Tempus æternitatis imago, 14
Tempus cum mundo cœpit, 17
Temporis imago, 18
Terminus Deus à Romanis cultus, 18
Terra omnium Deorum prima, 90
Terra cur Deorum mater dicatur, 90
Terræ variæ virtutes à Diis variis adumbratæ, 99
Terra est multis numinibus adscripta, 96
Terra cur Rhea vocetur, 97
Terra frumenti ferax Cereri attributa, 100
Terra masculus, & fœmina, 224
Terrena tamquam gradus ad superorum cognitionem, 204
Terror utilis mortalibus, 73
Terror, & Timor Minervæ comites, 161
Testudinis natura, 220
Thalassio cur in nuptiis apud Romanos invocaretur, 887
Thales aquam omnium principium statuit, 104
Thalia una Gratiarum, 228
Thoit, vel Theut *Mercurius* ab Ægyptiis dictus, 140
Thyrsus Bachi quid significet, 183
Tiberis effigies, 116
Tigribus cur Bachi currus dicatur trahi, 184
Timor Deus habitus, 161
Tisiphones imago, 128
Titanes quomodo per Panem fugati, 60
Toga palmata quid sit, 76
Tridens Neptuni quid significet, 107
Triptolemus à Cerere per terrarum orbem missus, 101
Tripus quid esset, 152
Tritones qui sint, 107
Trito in Epiro visus, 108
Tritonum imago, 109
Tritonia palus in Libya, 155
Triumphatoribus cõvicia objici solita, 182
Triumphantium insignia apud Roman. 76
apud Troglodytas Solis fons, 75
Trophonio erant angues consecrati, 39
Turtures consecratæ Furiis, 129
Tutelarium *Deorum* nomina cur celarentur, 173
Typhon fratrem Osiridem in frusta dicitur discerpsisse, 186
Tyrrheni piratæ à Bacho in Delphines conversi, 184

V.

VAcca Terræ symbolum, 95
Vagitani Dei officium, 91
Vannus cur Bacho sacer, 180
Vælovis potestas, 70
Veneficiorum vires, 55

Veneris Paphiæ ſtatua, 75
Venus Parcarum natu maxima, 133
Venus gemina juxta Platonicos, 204
Venus libidinis, ac laſciviæ Dea, 217
Venus cur nuda effingatur, 218
Venus Popularis quæ, 221
Venus cur cognominata Machinatrix, & inventrix, 221
Venus prima meretriciam artem invenit, 222
Venus cur ſit cognominata Calva, 223
Venus cur cum barba ſit efficta, 223
Ventus quid ſit 115
Venti principales quatuor, 116
Verba alata, 139
Veritas in profundo puteo ſepulta, 157
Veritatis deſcriptio, 158
Veritas in vino eſt, 177
Veritatis ager apud inferos, 120
Veritatis portæ, 196
Vertumni ſtatua, 13
Vertumnus hortorum Deus, 104
Vertumni ſtatua, 118
Veſta eadem ac Terra, 91
Veſtæ ſimulacrum, ejusque expoſitio, 97
Veſtæ templum cu rotundum, 98
Veſta cujus ignis ſit ſymbolum, 99
de Veſta fabula, 99
Veſtalium inceſtarum ſupplicium 58
Veſtibula Veſtæ conſecrata, 98
Vexilla Romanorum quas imagines præferrent, 174
Via lactea unde nomen traxit, 86
Via virtutis ac Voluptatis, 159
Victimæ ſimulatæ, 50
Victima, ſuper quam conceptum eſſet jusjurandum, non veſcebantur homines, 69
Victimæ, quæ Jovi immolabantur, 77
Victimæ cur aliæ aliis Diis, 102
Victoria Stygiæ paludis filia, 128
Victoria ſine alis apud Athenienſes cur effingeretur, 173
Victoria communis Dea, 175
Viduæ cur religioſe Venerem colerent, 222
Vinum non adhibebatur in Cereris ſacrificiis, 102
Vinum natura candidum, 177
Vini immodice ſumpti effectus, 178
Virginenſis Dea quæ, 89
Virtutes, & Vitia tamquam Dii ab antiquis culta, 2
Virtutis male habitæ á Fortuna effigies, 158
Virtus, & Voluptas viſæ Herculi, ibid.
Virtus ſola noſtra, 195
Virtus ſine Fortuna nequaquam felix, 204
Virtus ſola, an absque Fortuna quidquam poſſit, 201
Vitis præcipue ſacra Bacho, 182
Vitulus laceratus in Bachi myſteriis, 185
Ulmus Somniorum ſedes, 143
Vlyſſes quomodo evitarit Sirenes, 109
in Umbilico mulieribus libidinis ſedes, 218
Volupia voluptatis Dea, 160
Voluptatis imago, 159
Vulcano ſacrificandi ritus, 8
Vulcanus cujus rei ſit ſymbolum, 66
Vulcanus quæ fulmina jaculetur, 72
Vulcanus cur Minervam uxorem ducere nequivit, 166
Vulcanus é cœlo cur projectus in Lemnum ceciderit fingatur, 167
Vulcanus & Venus cur conjuges fingantur, 168
Vultur cur Marti ſacer, 175
Vulturis natura, 199

X.

Xanthus & Cyllarus, equi, 82

Z.

Zephyrus Floræ maritus, 116

FINIS.

p. 26. de Saturno

Imago. 2.

[illegible]

p. 19.

p. 23. Jani facies bifrons

P. 24.

f. 25.

Apollo.

p. 26.

p. 29.

Imago 9.

Imago. 10

p. 36.

p. 33.

p. 55.

Imago 13.

p. 43.

p. 47 de Diana

p. 52

mutabilis Empusa

p. 57.

p 62. echo



p 66.

Imago 20

p. 79.

Imago. 21.

Imago 22

p. 75

p. 76

p. 80.

Junonis imago

Imago. 26

p. 82

Castor & Pollux

p. 86

Imago. 28.

p 89.

Hyemens



p. 92

prima mater terra

p. 94.



Templi vestæ.

p. 99

Proserpina Cereris filia a Plutone rapta
& ad inferos tracta
Neptuno in equo Conversa



p. 106.

Imago 35.

p. 112

Imago. 36.

p. 113

p. 113.

p. 514.

p. 116.



Imago. 40

p. 118.

Circa Nili simulacrum pueri ludentes.

p. 123.

p. 126.

p. 130.

Lamiæ

Imago 45

Imago 46

Imago 47

p. 135.

merenius p 142. 43

p. 138.

p. 140.

Imago. 51.

Imago. 52.

Im/Iago53

Imago. 54.

p. 178.

Imago. 55.

0:151:



p. 154.

p. 155.

Imago. 58.

p. 181.



p. 159.

Omphale. Hercules

Imago. 60.

Minerva

Imago 61.

Vulcano v. pd 67.

Imago 62



p. 171.

pag. 174.

Imago. 65.

Bacchus

Iniago. 66.

p. 179.

p. 181.

p. 182.

Imago. 10.

p. 186.

Imago. 72.

Imago 75
DEI PENATI

p. 192.

Imago. 75.

p. 194

p. 195.

p. 196.

L. 201.

p. 202.

P. 203.



D.2.07.

P. 213.

Imago. 83.

P. 220

p. 222.

Imago. 86.

Imago. 87.

p. 225.

p. 228.



1736

c.